[illegible]

21. 20 559

36.24.e.26

ISIDORI CLARII,

EPISCOPI FVLGINATIS,

Orationum quas extraordinarias appellauit,

Volumen Primum.

AD PIVM V. PONT. MAX.

In quibus vtriusque sacri instrumenti, insigniores quique loci, erudita facundia scitè, ac luculenter illustrantur. omnibus qui Christiana philosophia delectantur, sed concionatoribus præsertim opus summopere necessarium.

Nuper in lucem editum.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, apud Dominicum Nicolinum.
M D LXVII.

BEATISS.^{MO} PATRI PIO V. PONTIFICI MAXIMO,

BENEDICTVS GVIDIVS MONACHVS totius congregationis Casinensis nomine.

TU quidem tot, ac tantis, in augusta hac summi Pontificatus sede constitutus Beatissime Pater occupationibus distineris: vt qui te inde vel leuiter auocent, in publica totius Christianæ Reip. commoda grauiter peccare videantur. nam dum, & Christiano orbi in commune consulis, & vt pulcherrima sacrosancti œcumenici Tridentini concilij decreta, quantum in te est, vbique seruentur, o-

mni studio prouides: omnem etiam, quæ ad seruandam valetudinem plurimum confert, animi in pomeridianas horas interdum, & post cibum remittendi, occasionem amittis. Quod cum mecum ipse cogitarem, merito me reprehendi posse existimaui, si longo, ac non necessario sermone negotia Beatitudinis tuæ commorarer: itaque omissa longæ præfationis circuitione, quam nec meus audet pudor tentare, nec tuæ possunt innumeræ Pater Beatissime occupationes perferre, nouem supra sexaginta ISIDORI CLARII *episcopi Fulginatensis, & Theologi inter Christianos oratores eminentissimi, atque oratoris inter sublimes Theologos facundissimi, qui nostræ Casinensis familiæ alumnus fuit, Orationes tibi consecrabo. Jis nihil habuit præstantius nostra Congregatio, quibus cum Beatitudinem tuam supplex adiret, hoc tempore, quo te ad summum pontificatum euecto Christianæ gentes summa vndique voluptate afficiuntur. nam cum superioribus mensibus optatissimus ille nuncius diuinitus aduenisset, Sanctitatem tuam mirifi-*

co

co omnium Cardinalium consensu Pontificem maximum esse declaratam, nihil prius habuit Casinensis familia, quàm vt suis propè sedibus excitos ad te vndique monachos suos, si fieri posset, cunctos mitteret, qui in sanctissimis pedibus tuis deosculandis Beatitudineq; tua veneranda partes suas minimè desiderari paterentur. id vno eodemq; tempore cum præstare non posset, quando hinc inde diuersis septis includimur, ad has ISIDORI CLARII *orationes accessit: quibus nunc sub Beatitudinis tuæ nomine, Andreæ Pampuri vigilantissimi Præsidis nostri cura in lucem editis, non secus ac si istuc tota adijsset, Beatissimis pedibus tuis oscula daret, omnesq; monachos suos Sanctitati tuæ, quam Cardinalem aliquot iam annos summa semper fide coluerunt, nunc certè in perpetuum dicaret, ac consecraret. Videre enim illa videtur, te vno ad Christianæ nauis gubernaculum sedente, quo neque meliorem, neq; sanctiorem, aut orthodoxæ Reip. rationibus accommodatiorem optare quisquam potuisset, Christianam rempublicam uarijs tur-*

bulentißimorum temporum procellis pridem iactatam, in te ipso iam pulcherrimè quasi tranquillo quodam portu consistere. Et meritò quidem. Tu enim nunc Beatissime Pater veteres illos PETROS, LINOS, CLEMENTES, CLETOS, *quos vniuersus orbis miris effert in cœlum laudibus, tua ista insigni pietate ita refers, vt ecclesiam Dei, cuius illi vitæ sanctitate, & sacræ eruditionis præstantia fundamenta pridem iecerunt, quæ nunc peruersa hominum improbitas, & diabolicæ tyrannidis labes conatur euellere, non tueri modo, sed augere etiam vnus omnium vehementer poßis. cuius rei plura iam signa, atque indicia tuis in actionibus publicè habitis Christianus orbis conspexit; quando tu, quæ tua summa est prudentia, constantia, grauitas, animi magnitudo, eam iam cunctis spem euertendi terrestrem illam, ac fœdam Babylona concitaris, tuisq; sanctißimis manibus instaurandi aliam longè meliorem sanctam Hierusalem, cœlestem, immaculatam, & omnibus vndique virtutibus conspicuam, quæ nullos*

ven-

ventorum flatus, nullam aquarum vim perhorrescat, vt nemo sit, qui pro salute tua quotidie vota non faciat. Quamobrem Pater Beatissime, ne hæc spes Christianos homines destituat vitæ tuæ commodis consulendo, quæ nobis vita nostra carior est, vt diu vniuerso orbi viuas & valeas, sedulò, ac diligenter incumbe. nam intestinis Christianæ societatis bellis compositis, atque incendijs tua potissimum ope restinctis, non peroptata modo aurei illius sæculi, sed quædam sancta primeuæ Ecclesiæ ætas emerget, qua verè hoc æuo te Pontifice præclara illa Seruatoris nostri sententia tua summa cum laude re ipsa comprobetur: Fiet vnum ouile, & vnus pastor.

Venetijs, VI. Kal. Maij. M D L X V I I.
Ex cœnobio Diui Georgij Maioris cognomento.

ORATIONVM ISIDORI CLARII, QVAS EXTRAORDINARIAS APPELLAVIT, INDEX.

Hominem ex anima. Oratio. i. Folio 1. a.
habita in Dominica in albis.
Cum superioribus diebus. Oratio ii. 5. a.
De selectioribus locis, quæ apud prophetas apertius futuram nobis uitam, resurrectionemq; pollicentur, ad Alexandrum præsidem.
Cum [illegible] Paulus. Oratio iii. 11. b.
Habita in die ascensionis Domini.
Cum superioribus diebus fueritis. Oratio iiii. 16. a.
Habita in die sancto pentecostes.
Stu[illegible] 20. b.
De spiritu sancto.
Ill[illegible] est. [illegible] 25. b.
Quæ habita fuit in Dominica infra octauam natiuitatis Domini.
Cum multa sint olim a uetustioribus. Oratio vii. 31. b.
In feria quarta cinerum.
Facturus hodie de ieiunio [illegible] Oratio viii. [illegible]
De ieiunio.
Ecclesia Dei quæ (ut ait paulus.) Oratio ix. 41. a.
De tentatione, habita Dominica prima quadragesima.
Antequam de iudicio. Oratio x. 45. b.
De morte.
Co[illegible]m [illegible]ibus.
De iudicio Dei.
Cum Dominus, ac Seruator noster. Oratio xii. 56. [illegible]
De eodem iudicio.
Posteaquam de morte tractatum à nobis est. Oratio xiii. 59. b.
De pœnitentia.
Quæ superiori oratione dicta. Oratio xiiii. 63. a.
Item de pœnitentia.
Cerno hanc uetusti ecclesiæ moris. Oratio xv. 67. a.
Item de pœnitentia.
Frequens iste, quem cerno. Oratio xvi. 71. a.

Qua

Qua admonet quædam scitu necessaria ciuitati, ad ueterem hominem benè penitus exuendum, nouumque induendum.
Ea matrum natura est. Oratio xvii. 76. a.
Eiusdem sententiæ.
Postea quam superioribus orationibus. Oratio xviii. 80. a.
De *fructu orandi.*
Memini me superiore oratione. Oratio xix. 85. a.
De gratiarum actione.
Gratiarum actio, de qua nudiustertius. Oratio xx. 88. a.
De *sacramento eucharistiæ.*
Christus surrexit à mortuis. Oratio xxi. 92. b.
De *resurrectione.*
Admirandum ego uobis hodie. Oratio xxii. 96. b.
De ascensione Domini.
Cernebam aliquot iam menses. Oratio xxiii. 100. a.
Habita in senatu Fulginensi.
Cum semper quidem, ac toto anno. Oratio xxiiii. 103. b.
De differentia diuinæ legis atque humanæ, & quid inter uetus nouumq; testamentum intersit.
Cum præter illa, quæ superiori oratione. Oratio xxv. 107. b.
De *discrimine & conuenientia legis naturæ, & Euangelij.*
Petendum nobis in his diuinarum. Oratio xxvi. 111. a.
Aggreditur interpretationem Decalogi.
Pulchra mihi uidentur esse à nobis. Oratio xxvii. 114. a.
Prosequitur interpretationem Decalogi, obiterq; tractat de inuocatione sanctorum.
Non facies tibi sculptile. Oratio xxviii. 118. a.
Eiusdem sententiæ, quæ confutat nonnullos superstitiosos errores circa fidem, & cultum imaginum, reliquiarumque sanctorum.
Ego enim sum Dominus Deus tuus. Oratio xxix. 122. a.
Prosequitur interpretationem Decalogi.
Non assumes nomen Dei in uanum. Oratio xxx. 125. a.
De non usurpando nomine Dei in uanum.
Memento ut diem sabbati sanctifices. Oratio xxxi. 129. b.
De die sabbati sanctificando.
Honora patrem tuum. Oratio xxxii. 133. b.
Quod parentes sint maximo honore prosequendi.
Non occides. Oratio xxxiii. 137. b.

De

De homicidio.
Duæ apud Grecos dictiones sunt. Oratio xxxiiii. 141. b.
De inuidia.
Non committes adulterium. Oratio xxxv. 146. a.
De adulterio.
Non facies furtum. Oratio xxxvi. 153. a.
De furto.
Non loqueris contra proximum tuum. Oratio xxxvii. 157. a.
De falso testimonio.
Non concupisces domum proximi tui. Oratio xxxviii. 161. a.
De cōcupiscentia pernitiosa, in qua detestatur auaros, et auaritiā.
Admiranda sunt consilia, & iudicia. Oratio xxxix. 165. a.
De passione Domini Seruatoris.
Tota quidem Seruatoris Christi uita. Oratio xxxx. 173. b.
De passione Domini Seruatoris.
Quæ duabus superioribus orationibus. Oratio xli. 185. a.
De passione Domini Seruatoris.
Ecclesia Christi optima credentium. Oratio xlii. 200. a.
Habita in Dominica prima quadragesimæ.
De ieiunio, oratione, atque eleemosyna.
Cerno mysteriorum, quæ hodie. Oratio xliii. 203. b.
Habita in Chrismatis confectione.
De triplici spetie olei sacri.
Super montem excelsum ascende. Oratio xliiii. 205. a.
De resurrectione Domini.
Cum ad nascentis ecclesiæ tempora. Oratio xlv. 209. a.
De ascensione Domini.
Si ecclesia quemadmodum à me. Oratio xlvi. 212. b.
De die sancto pentecostes.
Peracta solemni illorum dierum. Oratio xlvii. 216. b.
Habita in festo sanctiss. trinitatis.
Non difficile mihi est. Oratio xlviii. 222. b.
De ueritate, & nonnullis filij Dei appellationibus. Tota ferè ex Gregorij Nazianzeni oratione secunda de filio.
Vnus ædificans, & unus destruens. Oratio xlix. 227. a.
Habita, cum ad uillam proficiscendum fuit.
Benedictus Deus & pater Domini nostri. Oratio. l. 230. b.
Habita post reditum è uilla.

Ingens

gens rerum, quæ hodie ab ecclesia. Oratio. li. 234. b.
De natiuitate Domini.

Quæ in Domini, ac Seruatoris nostri. Oratio. lij. 239. a
De epiphania Domini in illud Matthæi.
Cum natus esset IESVS. *&c.*

Quæ res in hominum uita duæ Oratio. liij. 245. a.
De amore.

Ea quæ de amore dicta à nobis sunt. Oratio. liiij. 250. b.
Interpretatio in Psalmum. CIII.

Voluptatem, quæ est diuinorum operum. Ora. lv. 258. b.
In eandem sententiam, de contemplatione operum Domini.
Hactenus immensa cœli, & elementorum spatia. Ora. lvi. 265. a.
Vidimus superiore oratione. Ora. lvij. 273. a.
Hactenus quæ hominum causa. Ora. lviij. 281. b.
(*Eiusdem sententiæ.*)

Cum nudiustertius contra carnis lasciuiam. Oratio. lix. 289. b.
Contra gulam.

Creauerat Deus hominem. Oratio. lx. 294. a.
De humilitate.

Cum recens de humilitate. Oratio. lxi. 298. b.
De liberalitate.

Cum superioris anni quadragesima. Oratio. lxij. 303. a.
De uirginitate.

Annuntio uobis gaudium maximum. Oratio. lxiij. 308. a.
De resurrectione Domini *IESV.*

Cum hoc interuallo, quo in uilla sum. Oratio. lxiiij. 313. b.
Habita post reditum è uilla.

Cum subit animum recordatio. Oratio. lxv. 318. a.
Habita in feria quarta cinerum.

Superiori oratione ostendimus ex Ioele. Oratio. lxvi. 323. b.
Habita feria sexta post diem cinerum.

Hodie ecclesia Christi diem celebrat. Oratio. lxvij. 329. b.
Habita, cum ad uillam fuit proficiscendum.

Paulus apostolus, sapientissimus. Oratio. lxviij. 334. a.
Post reditum è uilla.

Hodie uox exultationi, & salutis. Oratio. lxix. 340. b.
De natiuitate Domini.

FINIS.

ΕἸΣ ἸΣΙΔΩΡΟΝ

κλάριον, μέλος.

Προαπέρου Μαρτινεγγίου τοῦ Μοναχοῦ.

Στροφ. Ἔιτις ἀνδρῶν πρῶτα ἐν ἁλικίᾳ
κωλ. θ. Αὑτὸν ἄλοις μουναδικᾶς
Βιοτᾶς δῆσεν κρατεροῖς,
Ἐντὸς ἀγνευτηρίων θῆβαν ὑπὸ
Μυρίων καλῶν χειᾷ σώφρων δαμάσας
Ἐμπαθεῖς θυμοῦ ταραχᾶν χάσειν ὁρμὰς,
Πάγχυ τὲ ψυχὰν ἔχειν
Ἔργων ἀδίκων καθαρὰν ἔ-
σπουσεν, ἀστράπτων μέγας.
Αντιστρο. Ἐν βροτοῖς ἀστὴρ ὅδ᾽ ἑωσφόρος ἰών.
κωλ. θ΄. Εἰ θεοῦ δ᾽ αὖ σιὼ παλάμα,
Κατὰ λειμῶνας ζαθέους
Ἱερᾶν μοισᾶν, λόγων κάλ᾽ ἄνθεμα
Ἐν φρενὸς πυκναῖς ἀπέδρεψεν μελέταις,
Εἰς δ᾽ ἀλαθείας φάος εἴρυσεν ἄλλους
Ζῶν λόγοις θανὼν γραφαῖς,
Τόνδ᾽ οὐκέθ᾽ ἑωσφόρον αὐδῶ,
Ἀλλὰ χρυσοῦν ἅλιον.
Ἐπῳδ. Ἴστε δ᾽ ἀεραέοτα πῖλον τόνδε σεμνῷ
κωλ. ί. Κρατὶ φίλοι μάλα φωτὸς,
Εὐκλεῶν ὃς ἄνυσε
Κλάριος κλεινὸς τὰ δ᾽ ἀγάλματα δῖα βίβλων.
Οἷς οὔποτε πότμον ἐφάψει
Ἁ χρόνω βία κραταιά.
Χαῖρ᾽ ἐπισκόπων κλέος ἀθάνατον,
Χαῖρ᾽ ἄωτε τῶν μοναστᾶν εὐσεβέων
Εὐμθυὴς κόμπον δέκου καλᾶν ἀοιδᾶν
Οἰκέων σταθμῶς ὀλύμπω.

ISIDORI CLARII, EPISCOPI FVLGINATIS, ORATIONVM, QVAS extraordinarias appellauit,

Volumen primum.

ORATIO PRIMA.
Habita in dominica in albis.

HOMINEM ex anima & corpore constare manifestum est, ac uires omnes agendi atque omnem motum ab anima in corpus proficisci. qua recedente cernimus corpus non solum nihil posse agere, sed omnino corrumpi atque dissolui. cum ergo tanto interuallo anima corpori antecellat, nihil mirum est, si affectus, qui ad animum pertinent, quos spirituales solemus appellare, ijs, qui ad corpus inclinant, præstantiores sint, atque efficaciores, Hoc in amore experimur, cum scilicet, qui spiritualis est, & ob Deum atque animæ salutis causa exercetur, longè uegetiorem esse illo, qui corpus spectat. uidere enim est, parentes, quorum amor facile alios amores superat, cum affectum hunc in filios plurimum corporearum rerum gratia exerceant, interdum à filijs animo abalienari, quoties eos non ita obsequentes habent, ut ipsi uellent. at uerò in spirituali amore non id vsu uenit. nam longanimus est ac benignus, neq; unquam induci potest, ut cuiusquam iniuria irritetur. Videte. enim Mosen, qui omnes omnium parentum affectus in creditum sibi populum charitate superauit. parum aberat ab eo, ut ab ingrata multitudine lapidibus obrueretur, neque tamen unquam suam in eos charitatem imminuit. quin & inuitante Deo, ut si- Exo. 17.

neret disperdi populum duræ ceruicis, & pollicente se facturum, ut eis interfectis Moses cresceret in gentem magnam, non assensit, sed pertinaciter in hoc incumbens, ut seruarentur, admirando se
Exo. 32. dandæ Diuinæ iræ usus modo, [*aut parce* (inquit) *populo, aut*
Rom. 9. *dele me de libro uitæ;*] In eundem modum Paulus, quamuis à sua gente multa esset perpessus, optasset tamen pro eiusdem gentis salute, anathema esse à Christo, & illis promissis bonis carere, modo hæc Christo accederet gloria, ut Iudæorum populus seruaretur. Hunc ipsum affectum induant necesse est episcopi & pastores, & longè solidiori charitate in sibi subiectos ac curæ suæ traditos afficiantur, quam ij, qui corporum sunt parentes. neque satis est semel atque iterum admonuisse, atque à peccatis reuocauisse, sed eandem semper incudem tundant oportet; nulla subditorum
1. Co. 13. ingratitudine uel socordia offensi aut irritati. [*charitas* enim *non irritatur.*] neq; unquam satis à se factum fuisse debent existimare. In hunc ego nunc sermonem ueni ob ea, quæ iam audietis. satis quidem esse debuerant ad uos in uia Dei continendos, ea, quæ toto hoc anno à me audiuistis, ut, cum hoc tempore & per exhomologesim perpurgati & cœlesti Eucharistiæ cibo corroborati sitis, iam per uos sine nostro adminiculo alacres ingrederemini, ac dilatato corde curreretis per uiam mandatorum Dei. sed superiorum annorum exempla me nunc quàm maximè solicitum habent ac pauidum, atque simillimè afficior, ut siquis pater charissimum filium haberet, qui tam grauiter ægrotasset, ut ad mortem proximè accessisset, qui demum à morbo recreatus, nondum firma tamen esset ualetudine. hoc in statu curæ esset patri dare operam, primum ne recideret, deinde ut in pristinum robur restitueretur. sic ego nunc, cum hæc ciuitas letali adhuc morbo laborauerit, atque ab hoc morbo per hosce dies uisa sit conualescere, sum uehementissimè anxius, quærens quo pacto Deo opitulante fiat, ut ne in eundem morbum relabatur, atque ita confirmetur, ut incolumis posthac ualensque perseueret. terret enim me quod hactenus factum fuisse animaduerto, ut scilicet quotannis ad eadem uitia atque peccata sitis reuersi, quod quid fuit aliud, quàm illud, quod prouerbio dicitur, canis reuersus ad uomitum, & sus lota ad uolutabrum luti? Quicunque autem hac ingressi sunt uia, quid egerunt aliud, quàm quod & Pilati milites? nam & ipsi Chri

sto

sto Domino, ut regi, purpureum circundederunt uestimentum. [*& flexo genu salutabant eum, aue rex Iudaeorum.*] sed tamen non Mat. 27.
hoc adorare fuit, sed illudere: etenim expuebant mox in eum, & Ioan. 19.
arundine caput percutiebant. sic isti, qui post reconciliatam cum Mar. 15.
Deo & Christo eius amicitiam, sine ullis retinaculis ad eadem quotannis & grauiora interdum peccata reuertuntur, illudunt potius Christo, quàm eum adorent. praebentque satis apertam significationem, se ne tum quidem, cum redire cum Christo in gratiam arbitrati sunt, id fuisse assecutos, cum hoc factum ex animo non sit. quod enim ex animo fit, illud perdurare diutius consueuit. Quare cogitandum nobis hodie est, & causa inuenienda, quamobrem tanta uecordia in re tanti ponderis maxima uestri pars usa fuerit. & duae quidem mihi causae in praesentia occurrunt. una quòd non intellexistis, uos nunquam, dum hic mos seruatus à uobis est, seriò poenituisse, quod si fuisset factum, non tam facile ad rem, cuius uos uehementer poenituisset, reuersi fuissetis. [etenim cum inimico (ait quidam ex ethnicis) in gratiam nemo cito redit.] uidemini potius eum ad exhomologesim relinquendorum peccatorum gratia accessistis, non deposuisse peccata, ut capitalem hostem sed ut charissimum amicum, quo diutius carere non possitis. atque ob hanc causam ad eundem, quàm ocyssimè potuistis, estis reuersi. quod cum factum sit, non uideo cur securi esse possitis, uobis remissa fuisse peccata. nam rectè quidam uir è nostris, non minus sapientia quàm sanctitate magnus dixit, hanc esse optimam coniecturam, quòd remissa nobis peccata fuerint, si eum affectum in nobismet sentiamus, ut dicere possimus cum propheta.
[*iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*] quem affectum si habuissetis, profectò nunquam redissetis Ps. 118.
ad id, quod odio essetis prosecuti, atque abominati. Altera causa est, cur tam citò pristinam peccandi consuetudinem repetieritis, quòd non solerter cogitastis, quid sit peccare, & quantum damni peccata afferant. quodque omnia mala, quae hominum genus perpessum est, atque in dies patitur, à peccato profecta sint, atque hoc unum efficere, ut à Deo, hoc est, ab omni bonorum fonte disiungamur. qui cum paratus semper sit ad benignè nobis faciendum, opponimus ei peccatum tanquam murum, qui illius ad nos beneficentiae accessum prohibeat. uidete enim quid dicat Esaias.

Esa. 59. [*Ecce non est abbreuiata manus Domini, ut saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, ut non exaudiat. sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret,*] Qui obsecro barbari crudelius in hominem sæuirent, quàm peccatum faciat? quòd si quis in barbarorum manus incidisset, crudeliterque ab illis fuisset affectus, demumque ab eorum potestate liberatus, censetis hunc commissurum unquam, ut in eorum recideret potestatem? non opinor. idem proculdubio usu ueniret, si immanitatem peccati, atque ingentia damna, quibus homines afficit, studiosè cogitaretis. nunc uerò cum ad illud tam facilè sitis reuersi, significatio fit, vos ista minimè intellexisse. Quare postea quàm nunc habetis, qui horum uos admoneat, nouas quæso induite cogitationes, & date operam, ut ita tyrannus iste pestilentissimus ex hac urbe extrudatur, ut posthac aditum in eam non inueniat. sicque apud uos reputate. si à quopiam tyranno fuisset hæc ciuitas plures annos oppressa, & crudelem in modum ciues diuexati, eoque tandem aliquando Diuina ope, & ciuium uirtute exacto, si qui è ciuibus uestris clam prodere hanc ipsam ciuitatem eidem tyranno tentauissent, nónne in hos supremis maximisq; supplicijs, vt patriæ proditores animaduertissetis? at ij, qui ad pristinos mores & priora peccata reuerti uoluerint, hanc proditionem molientur, tantò ea, quam diximus, pestilentiorem, quantò animi damna corporeis damnis sunt grauiora. Quocirca nunc quàm maximè inuigilandum est, ne per quenquam uestrum aditus huic hosti pateat, &, qui primus id tentare ausus fuerit, in hunc facto agmine omnes arrepta Diuini honoris æmulatione, cum uestra & eiusdem ipsius, qui peccauerit, utilitate animaduertatis. imitemur Diuinum Paulum, qui ob unum scortatorem tam acriter Corinthios obiurgauit, quòd eum tolerarent. [*non luctum habuistis* (inquit) *ut* 1.Cor.5.
ibidem. *tollatur de medio uestrum, qui hoc opus fecit?*] & rursum. [*nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate ergo uetus fermentum.*] hoc est, profligate hunc scelestum, qui hoc egit. Sed video non esse satis admonuisse uos ista, nisi etiam remedia adhibeam, quibus ualentiores ad obsistendum peccato, atque ad cordis munditiem, quam per hosce dies estis assecuti, seruandam, esse possitis. Primum igitur illud moneo, ut exhomologesim

mologesim, & Eucharistię sacramentum sæpius frequentetis. hoc enim præcipuum adiumentum est ad sistendum frequentem illum ad peccandum lapsum, atque ad ingrediendum per uiam mandatorum Dei. quare qui dignus haberi uult, qui inter fideles habitet, ter saltem per annum id pręstet, in paschate uidelicet, in pentecoste, in natali Domini. qui autem formam aliquam euidentiorem præ se Christiani hominis ferre uoluerit, singulis hoc mensibus faciat. sed qui uetustiorem patrum morem imitari maluerit, octauo quoque die, nempe Dominico ad Eucharistię sacramentum accedat. nam eos, qui semel tantum per annum hoc præstant, ego sanctorum patrum uestigia, ac decreta secutus, inter fideles non censeo numerandos. nam arguuntur manifestè, ne illud quidem, quod semel faciunt, ex animo, sed inuitos & coactos facere. si enim libentes facerent, profectò rem tantę dignitatis tantęq; utilitatis sępius repetere eos delectaret. Hoc autem à vobis esse præstandum, ergo sanè in spem ingentem venio, hac nimirum ductus coniectura, quòd multa, à quibus superiore anno, quo primum uobis episcopus datus fui, uidebamini abhorrere, iam complecti cœpistis, & in primis hanc ipsam exhomologesim. de qua sæpius repetenda cum uerba facerem, principio res videbatur admodum insolens, post uerò multi uestrum illi assueuere. idem de meretricibus accidit, quas cum in locum unum, eumque abiectiorem cogi uellem, resque procrastinaretur, tandem frequenti senatus assensu decretum est, ut ab his sordibus ciuitas purgaretur. in eundem modum de puerorum educatione est factum, vt demum fueritis assensi, ut ad aliquam Christianę uitę formam, quam prorsus ignorabant, instituerentur. quis uerò principio à uobis impetrasset, quod superioribus diebus est factum, vt tota ciuitas uicissim in templo per triduum una quotidie hora flexis genibus attentè Deum precaretur? quę res tam fuit noua, ut multi, qui canis aspersi caput sunt, nunquam ante tota superiore uita hoc munus pręstiterint. Hęc ergo, quæ hactenus sunt facta, spem mihi non exiguam afferunt, ea assequendi, quæ reliqua sunt. quare pergite, & in eam uitam, quam maxima uestri pars instituere uelle uidetur, toto animo incumbite, factisque ipsis significate, uos cum Christo consurrexisse, cuius rei signum esse hoc Paulus docet, si superna quæramus. sic enim ait.

Col. 3. ait. [*si consurrexistis cum Christo, superna quærite; ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, superna curate non terrestria.*] quamobrem? causam assignauit, cum dixit. [*ubi Christus est.*] neque hoc fuit satis, sed adiecit, [*ad dexteram Dei sedens.*] nam cum Christi mem bra simus, & ipse horum membrorum sit caput, quid tam consentaneum est, quàm assiduè quęrere, ut membra suo capiti coniungantur? cum uerò etiam huius capitis dignitas attenditur, quòd scilicet ad dexteram Dei sedet, quo neque maius, neque pręstantius quicquam excogitari potest, miror, si quis attentè hoc apud se reputet, si aliud quippiam agitare animo patiatur. hæc cogitatio efficiebat, ut Paulus de se suique similibus diceret. [*no-*

Phil. 3. *stra conuersatio in cœlis est, ex quo & Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso.*] cum verò audimus ipsum sedere ad dexteram Dei, existimare debemus eandem gloriam ad nos etiam, tanquam tanti capitis membra pertinere.

Ephe. 2. quamobrem idem Paulus aiebat, [*conuiuificauit nos* (nempe Deus) *unà cum Christo, simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus.*] Profectò enim sola resurrectionis contemplatio, quicquid in nobis est, totum in se conuertere, ac rapere deberet, vt omnem prorsus huius uitę momentanęæ, ac miseræ cogitationem abijceremus, & de illa duntaxat immortali, ac beata commentaremur. quod quàm turpe est, nos in tanta ueritatis luce positos non pręstare, cum olim uir ethnicus in medijs tenebris hæc uerba protulerit. [tempus est, inquiens, de illa perpetua potius, quàm de hac exigua uita cogitare.] quid censetis hunc fuisse facturum, si à Diuinis oraculis, quæ vestras nunc aureis circunsonant, audiuisset, fore, ut hæc mortalia corpora in im-

Mat. 13. mortalem uitam resurgant, atque ut iusti fulgeant sicut sol in regno patris eorum. Hæc huius ethnici uerba nostram vehementer vecordiam arguunt, [qui inuentis frugibus (vt quidam dixit) glande uescamur?] & oblatis tam admirandis pollicitationibus, nihil excelsum, puerorum more, meditemur, sed identidem ad terram feramur. Ostendamus tandem aliquando, nos ex eorum esse numero, qui ex Deo nati sunt, qui soli uincere mundum pos-

1. Ioa. 5. sunt. [*quis est* (inquit) *qui uincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei?*] cur hoc? quia uidelicet fides hæc, quòd

Iesus sit filius Dei, reliqua omnia complectatur, quibus philosophia nostra constat. cum enim credis Iesum esse filium Dei, mox agnoscis ipsum vera omnia attulisse, atque iccirco sine ulla dubitatione illi esse & credendum & fidendum, neque vllis vel minis, vel cruciatibus ab eo recedendum, qui pro momentanea afflictione tam incomprehensa bona rependere paratus sit. [*hæc ergo uictoria est* (ait Ioannes) *qua uincit mundum, fides nostra.*] at ea quæ ab hominibus excogitata est philosophia, hoc præstare non potest, quæ inconstantissima est, neque solidi quicquam habet. vt nulla res tam firmis argumentis ab vno astruatur, quæ non euertatur ab altero. at nostra non sic, sed quemadmodum à Deo profecta sunt, ita Diuina veritate nixa, inconcussa ac stabilia perseuerant. quibus si attentè, ut æquum esset, operam daremus, & in ijs, quemadmodum nobis à Deo præcipitur, meditaremur die noctuque, vigilantiores, feruidioresque reperiremur. neque committeremus, vt maior temporis pars terrenis hisce, caducisque rebus impenderetur. Videte enim quid Paulus admoneat, [*Pascha* (inquit) *nostrum immolatus est Christus*,] itaque festum celebremus. neque enim hęc iccirco dixit, quòd paschale tunc tempus esset, verum quòd, cum festi dies instituti sint, ut in eis Diuinis rebus incumberemus, iam post agnitam hanc veritatem, tota reliqua nostra vita tanquam festus dies, in quo Diuina duntaxat cœlestiaque meditemur, esse nobis debeat. Hoc non admodum difficile erit vobis, si nunc, cum purificare interiorem hominem curauistis, nouam vitam aggredi ex animo decernatis, & illud præstare, quod beatus Petrus admonet. [*deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidentiam, & omnes obtrectationes, quasi modo nati infantes, lac illud non corporis sed animi, quod dolum nescit, appetite, ut in eo crescatis.*] alioqui nisi progressus istos faciatis, regressus ad peiora vitia statim consequetur. de homine enim ita scriptum est, quòd nunquam in eodem statu permaneat, quo fit, ut qui non progrediuntur, regredi sit eis necessarium. quod qui faciunt, Seruatoris uerba meminerint. cum ei, quem sanauerat, dixit. [*ece sanus factus es, iam noli peccare, nequid tibi deterius contingat.*] Hæc uia est, non solum animæ salutem assequendi, verum etiam humana hęc & corporea commoda, & sistendæ Diuinæ iræ, quam dudum experimur nostris

1. Ioa. 5.

1. Cor. 5.

1. Pe. 2.

Iob 14.

Ioa. 5.

ſtris ſceleribus irritatam. Cernitis hanc cœli intemperiem & aquarum illuuiem, quę hac una uia arcenda eſt, ſi interiorem hominem perpurgatum habeamus. at ſine hoc remedio, ſupplicationes illas, quas à me tam anxiè poſtulaſtis, ſi adhibeatis, erit reduuiam curare, cum capiti medendum ſit. nam flagella, quę ob peccata adhibentur, tum demum, aut potius tunc ſolum amouentur, cùm peccato finis imponitur. dum enim cauſa perdurat, id, quod ex ea cauſa conſequi ſolet, etiam perdurare neceſſe eſt. iccirco medici cum curare morbum uolunt, morbi cauſam & tanquam radicem euellere ſtudent, intelligentes nunquam fieri, vt, niſi ea tollatur, conſequi ſanitas poſsit. Enimuero miſeret me interdum ac pudet etiam, tantas offuſas eſſe animis hominum, pręſertim Chriſtianorum tenebras, qui non intelligant, nihil eſſe aliud, quod boni appellatione dignandum ſit, niſi animi ſanitatem. quæ ſi cogitetur quanti ſit, non pœnarum & caſtigationum metu eam quæreremus, ſed ſola illius contemplatione utilitatis, quæ tanta eſt, ut qui in eam incumbunt, longè beatiores ſint etiam in medijs maximisquè calamitatibus, quàm ij, qui contraria ingrediuntur uia, cum in ſumma ſe uerſari felicitate arbitrantur.

Pro. 12. ob hanc cauſam de utriſque aiebat Salomon. [*non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo.*] quid enim tam beatum, quàm ita munitum eſſe, vt nullis perturbationibus tanquam uentorum flatibus queas commoueri? quid rurſus tam miſerum, quàm malo repleri, quod dudum dixit Salomon de impijs, qui ſoli florere in hac uita exiſtimantur? non'ne hæc ſola cogitatio inuitare homines deberet, ſi etiam nihil in futurum expectaretur, ad uitam cum uirtute ducendam? cum uerò

Eſa. 64. pręterea ea bona parata ſint, quæ, ut ait propheta, [*nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt,*] profectò erimus ſtipites, niſi tandem aliquando expergiſcamur, & Dei erga nos bonitatem agnoſcamus. quam bonitatem ij tantummodo intelligere poſſunt, qui interiorem hominem mundum purgatumque habere ſtudent. quemadmodum ait propheta. [*quàm*

Pſal. 72. *bonus Deus Iſrael ijs, qui recto ſunt corde.*] nam etſi benignus in

Pſ. 144. omnes & miſericors eſt, [*ſuauis enim* (inquit) *Dominus uniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*] quia tamen ſoli, qui recto ſunt corde, intelligere hoc idonei ſunt, iccirco dixit, Deum

eſſe

eſſe illis bonum. Vt ergo tanti boni ſimus participes, quod reliquum eſt temporis, innouandæ uitæ noſtræ incumbamus, & audiamus quod Paulus ait. [*ſiquis in Chriſto noua eſt creatura, uetera* 2.Cor.5.
tranſierunt, ecce noua facta ſunt omnia.] quod utinam omnes aſſequamur. iuuante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & Spiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO SECVNDA.

De ſelectioribus locis, quæ apud prophetas apertius futuram nobis uitam reſurrectionemq́ pollicentur, ad Alexandrum præſidem.

CVM ſuperioribus diebus in mutuo congreſſu in eum ſermonem ueniſſemus, cur nullam Moſes in ſuis libris, quæ in hiſtoriç quidem narratione appareat, de perpetua & immortali, quam expectamus, uita, fecerit mentionem, quæſiuiſti tu præſes optime Alexander, ecquæ in ueteri teſtamento loca ita apertè de excitandis ad uitam humanis corporibus, deque futura beatorum æternitate loquerentur, ut beatus ipſe Iob de ſua ex- Iob. 19.
pectatione profitetur. cui cum reſpondiſſem, eſſe illam quidem auctoritatem tam teſtatam & apertam, ut nihil dici apertius potuiſſet, ſed inueniri tamen plurima in prophetarum ſcriptis teſtimonia, quç eadem prædicarent. tu ad hæc efflagitaſti, uti ne grauarer, ea colligere, aut certè nonnulla, quæ plus lucis haberent, quæque ſponte ſua (ut ſic dicam) nulla adhibita externa ui interpretationum, ipſa per ſe id ſentire, & dicere uiderentur. tibi enim in præſentia parum ocij ad hæc quçrenda ſuppeditari. at ego, qui tam iuſta poſtulanti, & ea, quæ ad Chriſtianam pietatem pertinerent, negare non eſſem auſus, pollicitus fui me daturum operam pro uiribus, ut id prçſtarem. atque hoc eò libentius facio, quòd ad ui-

ros in magiſtratu & ſplendore aliquo conſtitutos maximè pertinet, in ijs eſſe exercitatos, & paratos rationem reddere eius philoſophiæ, quam ab ipſis cunabulis profeſsi ſunt, Chriſtianæ ſcilicet doctrinæ & Euangelicæ eruditionis. Et ſanè quidem nihil ſalubrius uerſare animo homines poſſunt. [cum ſemper tempus ſit (ut etiam uir ethnicus Cicero ait, ad Atticum ſcribens) de illa perpetua potius, quàm de hac exigua uita cogitare.] præſertim cum ex hac exercitatione illud prætereа conſequatur, quòd in iudicijs rebusq; omnibus ac cauſis tranſigendis, cum ab hac pulcherrima ſublimium rerum quaſi ſpecula ad inferiora iudicanda te referes, animus Diuina quadam luce factus illuſtrior, maxima cum admiratione omnium, quæcunque diſcutienda erunt, ſapientiſsimè iudicabit. Sed, cum id negocium, quod à te mihi propoſitum eſt, animo complector, uidetur mihi res digna, quæ aliquantò diligentius tractari debeat. atque ita fiet, ut & ſuſcepta res dignitatem ſuam ſeruet, & tu intelligas, animum mihi tuis uotis obſequendi non defuiſſe. Illud itaque prius inueſtigabimus, quàm fuerit æquum, & fortaſſe etiam neceſſarium, ut latenter primo, deinde aliquantò apertius, poſtremo latiori ſpecie Diuinæ res hominibus manifeſtarentur. quod & in humana ſapientia factum fuiſſe animaduertimus. neque enim illas Epicuri atomos aliam ob cauſam plerique introductas arbitrantur, & eius generis multa ab Homero & uetuſtioribus philoſophis, quibuſdam fabularum inuolucris obtecta, niſi ut ſecretiores naturæ rerum intelligentiæ, quas excogitauerant, occultarentur, ne facile cuiuis prophano, nec ſatis philoſophiæ ſacris initiato obuiæ fierent. progreſſu uerò temporis deinceps apertius ſemper ſunt pertractata. Sed relinquamus illis ſua ſomnia, & horum, quæ propoſuimus, exempla à noſtris accipiamus. Duæ factæ fuerunt illuſtres ex omni æuo uiuendi mutationes, quæ duo teſtamenta appellantur, & terræ motus, altera à ſimulacris ad legem Moſis, altera à lege ad Euangelium; tertia uerò nobis promittitur ex ijs ſedibus ad ſupernas illas & cœleſtes tranſmigratio. In his ergo duobus teſtamentis id accidit, ut non ſimul utrunque promulgaretur, ne potius cogi homines uiderentur, ſi propoſitæ illis res eſſent nimium ab uſu ſeparatæ, quàm duci perſuaſione, quæ maxime eſt hominum generi conſentanea. Itaque cum Deus Hebræorum populo

legem

legem dedit, partem cultus gentilium abstulit, culturam nimirum simulacrorum, modum uerò & ritus permisit sacrificiorum. magna est enim uis consuetudinis, & nimis nouum uisum fuisset, omnia eodem tempore abstulisse. Cum uerò introductum est Euangelium, & intellectum est, Deum spiritum esse, oportereque adoraturos, in spiritu & ueritate adorare, tunc uetera sacrificia sublata sunt, permisso pro tempore usu circuncisionis, qui postea & ipse breui finem accepit. Eodem modo Diuinarum rerum mysteria quibusdam gradibus ad hominum agnitionem peruenere. uetus enim lex patrem apertè prædicauit, filium obscurius. noua filium manifestauit, spiritus uerò sancti Diuinitatem quasi clanculum demonstrauit, ut quidam dicerent, [*ne, si spiritus sanctus quidem sit, scimus.*] qui tamen & Deus esse, & eiusdem cum patre & filio Diuinitatis demum intellectus est. atque id fortasse erat, quod rudibus adhuc discipulis filius dixerat, multa se habere adhuc illis dicenda, quæ neque dum ferre possent. Hæc uerò his temporum interuallis ita distributa sunt, quia non satis tutum erat, nondum intellecta patris Diuinitate, filium introducere. rursus non ante de spiritus sancti Diuinitate tractandum erat, quàm filij natura cognosceretur, ne id infirmis hominum cogitationibus accideret, quod usu interdum uenit in corporeis cibis, ut alimenta etiam optima, si nimia fuerint, stomachum grauent. Sic opinor, Mosen primo orationis suæ faciem obtexisse, cum non possent (sicut scriptum est) [*filij Israel intendere oculos in eum ob uultus claritatem,*] & eam ob causam uelata mysteria ad posteros transmisisse, quæ uulgum quidem laterent [*non poterit* (inquit) *uulgus in montem ascendere*] sed peritioribus tamen & exercitatioribus inaccessa non essent. quo tempore uidetur mihi quoddam illi æuo fuisse crepusculum. facto autem aliquo mentis ac animorum progressu, surrexere prophetæ & Diuini uiri, qui quasi in clarioris auroræ exortu iam aperire inciperent etiam scriptis (nam antea sola uiuæ uocis receptione utebantur) esse alteram uitam expectandam longè ista præstantiorem. discutienda esse hominum in ultimo tempore & rectè & iniquè facta, surrectura etiam hæc humana corpora ad immortalem uitam. sed ferè ita sermonem moderabantur, ut esset frequentius, [*tenebrosa aqua in nubibus aeris,*] & essent (quemadmodum Danieli dictum

Ioan. 4.

Act. 19.

Exo. 34.

Exo. 19.

Psal. 17.

 fuit)

Dan.12. fuit) *clausi signatique sermones usque ad definitum tempus*,] & interea docti tantum intelligerent, nec sanctum canibus traderetur. At ubi uenit plenitudo temporis, ut inuiseret nos oriens ex alto, ortus est sol, & non solum explosæ tenebræ, sed & umbræ inclinauerunt, ut iam uox clamantis in deserto, non uelata, ut antea,

Mat.3.4 appellatione exclamaret: [*pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*.] tunc filios esse nos regni, & patrem in cœlis habere intelleximus, tunc perfectius philosophari ab omnibus hominum generibus cœptum est, ut non sit posthac barbarus

Psal.18. neque Scytha, neque Thrax, ubi [*in omnem terram exiuit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ uerba eorum*.] quæ dum mecum ipse cogito, uideo dici posse felicia tempora, quibus editi in lucem sumus, nisi tam inerter philosopharemur, tamque pigriter ad tanta promissa inuitantis Dei accederemus. Sed nunc, cum expositæ sunt causæ, cur diuersa pro temporum statu fuerit ratio tractandi de Diuinis cœlestibusque rebus, age iam in medium proferamus è Diuinis uoluminibus testimonia, quibus expectatæ à nobis æternitatis & secuturæ uitæ multis ante seculis mentio facta est, quàm ipse Dei filius eandem & apertissimis sermonibus, & ipsis, quod multò maius est, rebus declarauisset. Neque uerò existimes uelim, curæ mihi fuisse loca omnia persequi quæcunque reperiri possint, ad id, quo de agimus, pertinentia, nam hoc maioris temporis quàm unius dieculæ negocium esset, sed ijs duntaxat, quæ in tumultuaria opera quærentibus facilius sese obtulerunt, in præsenti contenti erimus, eaque ita diuidemus, ut primo inuestigemus, quæ corporum nostrorum reparationem ad immortalem uitam nobis pollicentur; deinde quę futurum totius generis hominum iudicium attestantur. postremo quæ de perpetua uita generatim meminerunt, ad quam etsi superiores etiam duę partes referantur, aptior tamen uisa est mihi ista distinctio. Primum ergo illud erit, quod ad resurrectionem per-

Osee 13. tinet, quod apud Osee legitur. [*absorpta est mors in uictoriam, ubi est tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria?*] uel, ut alia habet æditio. [*ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne*,] quod testimonium etsi per se satis apertum sit, ipsum tamen & Diuini Pau-

1.Cor.15 li auctoritas ad Corinthios de resurrectione scribentis firmius fa-

Psal.15. cit. quemadmodum & illud. [*prouidebam Dominum coram me*

semper,

ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. propter hoc lætatum eſt cor meum & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. notas mihi feciſti uias uitæ, replebis me iucunditate cum facie tua.] Totum hoc de reſurrecturo Chriſto à mortuis, geminæ fidei noſtræ columnæ Petrus Act. 2.
& Paulus teſtati ſunt. Quid Danielis uerbis apertius? [*Multò* 13.
(inquit) *de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobria & contemptum ſempiternum.*] Dan. 12.
quemadmodum & illud Eſaiæ. [*Viuent mortui tui, cum corporibus reſurgent.*] Eſa. 26.
& Sophonias. [*mortuos, qui receſsiſſe uidebantur, congregabo.*] Soph. 3.
Oſee rurſus poëtico quodam ſchemate, [*uiuificabit* (inquit) *nos poſt duos dies, in tertio die ſuſcitabit nos, & uiuemus in conſpectu eius.*] Oſee. 6.
perinde quaſi in ænigmate doceret Chriſti Domini reſurrectionem, quæ tertio die facta eſt, noſtræ omnium reſurrectionis cauſam eſſe futuram. &, ne uel Iudæus ipſe hoſtis noſter audeat reluctari, ſcimus has poſteriores geminas auctoritates ab Hebræis ipſis ante etiam Seruatoris aduentum in hanc ſententiam fuiſſe declaratas. Quis uerò dubitet ad id facere & illud Pſalmiſtæ, [*non reſurgent impij in iudicio.* hoc eſt, cum iudicandi ſurrexerint, non ſubſiſtent, *neque peccatores in conſilio iuſtorum?*] Pſal. 1.
quando illud, quòd apud Moſen legitur, [*ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob,*] de reſurrectione dici, ipſa ueritas, ut tres Euangeliſtæ memorant, affirmauit: ſic enim ait: Exo. 3. Mat. 22. Mar. 12.
[*Quòd uerò reſurgant mortui, & Moſes oſtendit iuxta rubum, cum dicit Dominum Deum Abraham & Deum Iſaac & Deum Iacob. Deus autem non eſt mortuorum ſed uiuorum. omnes enim illi uiuunt.*] Luc. 20.
quæ interpretatio quam uim & apud ipſos ſcribas habuerit, audi quid ſequatur. [*Reſpondentes autem quidam ſcribarum dixerunt. magiſter bene dixiſti.*] Quàm pulchrè Sophonias & reſurrectioné & iudicium & futuram uitam uno complectitur loco. [*Expecta me dicit Dominus in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, ut congregem gentes & colligam regna, & effundam ſuper eos indignationem meam, & omnem iram furoris mei. in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero uno.*] Soph. 3.
Sed cum ad beati Iob ita perſpicuam prophetiam uenio, ut apo-

stoli potius aut Euangelistæ, quàm prophetæ pręſe perſonam ferat, uenit mihi in mentem illud cogitare, uirum ethnicum tam clarè loquentem in ipſa dicendi luce ſignificaſſe, gentium populos prius habituros fuiſſe rerum diuinarum aperta myſteria, quàm ipſum Iudęorum genus. perſpice enim uerborum euidentiam. expectabamus dum diceret, credo, ſed parum (inquit) efficaciæ
Iob. 19. apud me habet hoc uerbum. [*ego uerò ſcio quòd redemptor meus uiuit,*] & hanc illius uitam in me quoque redundaturam, & iccirco [*in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.*] Num de communi terra, an de ea ipſa, in quam tuum corpus conuerſum erit? nimirum [*in carne mea uidebo Deum Seruatorem meum.*] Qui fieri poteſt, ut idem ille ipſe ſis? aut quo tam tenui diſcerniculo à reliqua terra ſeparaberis? non quęro (inquit) modum, quem ſapientiſſimus auctor nouit, cuius mihi pollicitatio omnium rationum inſtar eſt, [*quem uiſurus ſum ego ipſe, & hi oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*] neſcio quis, quem parum fidentes quidam ſomniant. Et non metuis ne tibi quis hanc ex animo euellat opinionem? non ego, [*nam repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo,*] & in ijs penetralibus, quę nulli hoſti ſint penetrabilia. O fidentem hominem, & mirificum uirum, cui nos poſt tam multas tantorum uirorum auctoritates atque adeo exempla & admiranda prodigia & ſigna, nondum in fide pares ſumus. Sed nunc ſigillatim
Eſa. 3. aliqua de futuro Dei iudicio teſtimonia proferamus. [*Dominus* (inquit Eſaias) *ad iudicium ueniet cum ſenibus populi ſui, &*
Eſa. 45. *principibus eius,*] & alibi. [*uiuo ego, dicit Dominus, quòd mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino.*] quam ſenten
Rom. 14. tiam aſtruit Paulus ad Romanos ſic ſcribens. [*Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ſicut ſcriptum eſt. uiuo ego, dicit Dominus, quòd mihi flectetur omne genu,*] cæteraque. Quid autem certius illo eiuſdem prophetę loco, quem ipſe Dei filius de ſe prędictum fuiſſe profite-
Luc. 4. tur? ſic.n. Lucas ait. [*& traditus eſt illi liber Eſaiæ prophetæ, & ut*
Eſa. 61. *explicuit librum, inuenit locum, ubi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me propterea quòd unxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, & prædicem captiuis remiſſionem, ut prædicem annum Domini acceptum & diem ultionis Deo noſtro. & complicato libro reddidit miniſtro ac reſedit, & omnium in ſynagoga oculi erant defixi in eum. cæpit autem dicere ad illos. hodie impleta*

eſt

est haec scriptura in auribus uestris.] Quem censemus diem ultionis, nisi de quo alibi scriptum est. [*Dies ultionis in corde meo: annus retributionis meae uenit?*] At Dauid. [*Parauit* (inquit) *in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terrae in aequitate, iudicabit populos in iustitia.*] & alibi. [*tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini quia uenit, quoniam uenit iudicare terram; iudicabit orbem terrae in aequitate, & populos in ueritate sua.*] qui etiam admonet, quę pręcessura sint signa. [*Ignis ante ipsum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.*] hunc diem idem propheta iram uocat, dicens. [*apprehendite disciplinam*, uel, ut in Hebraeo est, *amplexamini filium, nequando irascatur Dominus, & pereatis de uia, cum exarserit in breui ira eius.*] Nam quòd de filio Dei haec scripta sint, is non dubitabit, qui meminerit Pauli uerba ad Hebręos dicentis. [*cui unquam angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te?*] quae auctoritas ex eodem psalmo accepta est. Idem alio loco. [*semel locutus est Deus, bis hoc audiui, quòd potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua.*] quod intelligi nisi de supremo die possibile non est; sicut & illud. [*Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.*] Artificiosè & penè poëticè, ut ille alter dudum de tertio resurrectionis die, ita hic idem, sepositum ad iudicanda etiam ociosa & uolatilia uerba, diem festum appellauit, siue etiam ob futuri conuentus celebritatem. Et hęc quidem, quae hactenus in medium allata fuerunt, arguunt certè & ipsa uitae aeternitatem, sed sua tamen etiam huic parti loca assignanda sunt. & principio illud Esaię celeberrimum, cuius & apostolus ad Corinthios meminit. [*quemadmodum*, inquiens, *scriptum est, quae oculus non uidit nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quae praeparauit Deus diligentibus se.*] & Psaltes. [*dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,*] quod etiam ad resurrectionem pertinere significat apostolus ita dicens. [*per Christum omnes uiuificabuntur. unusquisque autem in proprio ordine. primitiae Christus, deinde ij, qui sunt Christi in aduentu ipsius, mox finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum aboleuerit omnem principatum & omnem potestatem ac uirtutem. nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos.*] De eodem filio & subijciendis ei in fine omnibus,

Marginal references: Esa.63. — Psal.9. — Psal.95. — Psal.96. — Psal.11. — Heb.1. — Psal.61. — Psal.75. — 1.Co.2. — Esa.64. — Psa.109 — 1.Co.15

omnibus, idem Paulus interpretatur illud eiusdem prophetæ.
Psal. 8. [*omnia subiecisti sub pedibus eius. in hoc enim* (ait) *quòd ei subiecit*
Heb. 2. *omnia, nihil omisit illi non subiectum.*] at nondum uidemus illi omnia esse subiecta. eum uerò, qui pusillum quiddam diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum propter cruciatum mortis gloria & honore coronatum. Eam uitam requiem interdum ipse
Psal. 94. Dauid appellat. [*quibus iuraui in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam.*] quam ne forte terrenum aliquod promissum suspiceris, audi apostoli interpretationem. nam post citatam hanc au-
Heb. 4. ctoritem, addit.] *Postquam igitur illud reliquum est, aliquos introire in eam, & quibus prius annuntiatum fuit, non introierunt propter incredulitatem, rursum quendam præfinit diem, hodie, in Dauid dicens. post tantum temporis quemadmodum dictum est, hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra. nam si eis Iesus requiem præstitisset, nequaquam de alio posthac die locutus fuisset. itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.*] & paulò post. [*Studeamus igitur ingredi in illam requiem, nequis eodem concidat incredulitatis exemplo.*] In eundem modum intelligit, quod dictum est. [*tu es sacerdos in*
Psal. 109 *æternum. siquidem,* inquiens, *ad similitudinem Melchisedec exoritur*
Heb. 7. *sacerdos alius, qui non iuxta legem mandati carnalis factus sit, sed iuxta potentiam uitæ indissolubilis. testificatur enim ad hunc modum: [tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. abrogatur enim quod præcessit præceptum propter imbecillitatem & inutilitatem. nam nihil ad perfectionem adduxit lex, uerum erat introductio ad spem potiorem, per quam appropinquamus Deo.*] At uerò uis, ut ex ipsa Mosis lege eruamus spem futurorum bonorum? audi
Heb. 11. Paulum. [*Per fidem Abraham commigrauit in terram promissionis, ueluti peregrinans, cum in tabernaculis habitasset cum Isaac & Iacob cohæredibus eiusdem promissionis. expectauerat enim habentem fundamenta ciuitatem, cuius opifex & conditor est Deus,*] & de posteritate eorum idem paulò post sic ait. [*iuxta fidem mortui sunt ij omnes, cum non accepissent promissiones, sed procul eas uidissent, & credidissent, salutassentq; & confessi fuissent, se hospites atque aduenas esse in terra. nam hæc qui dicunt, declarant se patriam inquirere. &, si illius quidem memores fuissent, unde fuerant profecti, habebant opportunitatem reuertendi, nunc autem meliorem expetunt, hoc est, cœlestem.*] hæc ille, ut intelligamus plurima eius generis apud

Mosen

Mosen, ignorata à nobis delitescere. Idem adducens Aggeum, Ag. 2.
[*at nunc* (inquit) *denuntiauit dicens. adhuc semel, ego concutio non* Heb. 12.
modo terram uerum etiam cœlum. porrò illud quod dicit, adhuc semel,
significat eorum, quæ concutiuntur, translationem, utpote quæ facta
sint, ut maneant ea, quæ non concutiuntur. quapropter regnum assu-
mentes, quod concuti non possit, habeamus gratiam.] Iam nihil du-
bitandum est (ut ad Mosen reuertamur) suspensum illum ser- Nu. 21.
pentem, quem aspectando læsi à serpentibus seruabantur, seruan-
dus à Christo significasse, ut ipse ait. [*& sicut Moses exaltauit ser-* Ioan. 3.
pentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui
credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.] Sed Psaltes
noster frequentius ferè, quàm omnes alij, ista commemorat.
[*Lætentur* (inquit) *omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt,* Psal. 5.
& habitabis in eis.] audis æternam exultationem, quæ sine æter-
nitate uitæ esse non posit? & de uiro iusto. [*dabis eum in benedi-* Ps. 20.
ctionem in seculum seculi, lætificabis eum cum uultu tuo.] &, [*edent* Psal. 21.
pauperes. & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt
eum.] & ne opineris de præsenti dictum saturitate, [*uiuent* (in-
quit) *corda eorum in seculum seculi.*] &, [*credo uidere bona Domini in* Psal. 26.
terra uiuentium.] nam hæc, quam existimamus uitam, mors est,
teste etiam Socrate. de utrorumque autem, id est, & improbo-
rum & iustorum exitu sic ait. [*Iuxta est Dominus ijs, qui afflicti* Psal. 33.
sunt corde, & humiles spiritu seruabit. multæ tribulationes iustorum,
& de omnibus liberabit eos Dominus. custodit Dominus omnia ossa
eorum, unum ex ijs non conteretur. mors peccatorum pessima,] &, *re-*
dimet Dominus animas seruorum suorum.] quæ omnia si ad præ-
sens tempus accommodes, nihil inuenies, quod sibi consentiat.
At, quæ erit futurorum uoluptas? [*Inebriabuntur ab ubertate do-* Psal. 35.
mus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. quoniam apud te est
fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen.] & rursum. [*nouit Do-* Psal. 36.
minus (quasi numero careant) *dies immaculatorum, & hæreditas*
eorum in æternum erit. iniusti punientur, & semen impiorum peribit.
iusti autem hæreditabunt terram (nempe uiuentium) *& inhabita-*
bunt in seculum seculi super eam.] Deinde in eo psalmo, ubi sub
tabernaculorum nomine laudat cœlestia habitacula, [*beati*, in- Psal. 83.
quit, *qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt*
te.] De filio & eius regno. [*ipse inuocabit me pater meus es tu, Deus* Psal. 88.

C *meus*

meus & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. in æternum seruabo illi misericordiam meam & testamentum meum fidele ipsi. & ponam in seculum seculi
Psal. 16. *semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.*] Illa uerò. [*ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*]
Psal. 30. &, [*quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te.*] non solum per se patent, sed à uetustis etiam Hebræis ante Seruatoris tempora in eundem modum fuerunt interpretata.
Psal. 17. Illud etiam, [*propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo*
Ps. 116. *canam.*] &, [*Laudate omnes gentes Dominum, & collaudate eum om-*
Esa. 11. *nes populi.* &, [*erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gen-*
Rom. 15. *tibus, in eum gentes sperabunt.*] hæc de Christo dicta apostolus profitetur. hęc uerò spes nisi de futuris in cœlo bonis intelliga-
1.Co.15. tur, &, [*si in hac tantum uita sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*] ergo ad futura animum referamus necesse est, sicut & cœleste est regnum Christi, tametsi humanis
Esa.9. appellationibus describatur, ut Esaias ait. [*Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, a modo & usque in sempiternum.*] Vide adiunctam æternitatem. quemadmodum & angelus ad uirginem ait. [*Dabit ei*
Luc.1. *Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob,*] tantum ne? immo [*in æternum, & regni eius non erit finis.*] Plura id genus supererant testimonia, quæ non solum mihi & tibi, qui hęc non tanquam ambigentes quęrimus, sed etiam parum fidentibus fidem facere possent. sed animus est, id quod reliquum est orationis, in præstantiori atque utiliori cogitatione occupare. quę cogitatio & superiora uehementer confirmabit, & materiam suppeditabit, qua multa occultiora & longè magis abstrusa in sacris literis ipse per te excogitare, & inuenta, certissimè de hac eadem æternitate loqui, credere possis. Quare mecum hac ingredere, & sic cogita, id esse plerunque in causa, cur dubitemus, non an uera & tuta sint philosophię nostrę iacta fundamenta, & Diuinos prophetas hæc omnia prędixisse, & Euangelicam legem à ueteris testamenti patribus multis ante seculis fuisse prædicatam. nam,
Psal. 92. ut ait propheta Deo, [*testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*] sed ueremur interdum ne theologi, dum ecclesię instructioni & ædificationi student, uim, pietatis tamen causa, scripturis & testi-
monijs

monijs prophetarum adhibeant. quod ut demus, id accidere aliquibus posse, ea tamen, quę ab apostolis & Euangelij scriptoribus producta sunt testimonia, dicere, aut dubitare minus esse auctorum sententię consentanea, aut uim ullam ab eisdem apostolis illis auctoritatibus adhibitam, id uerò blasphemum esset atque execrabile. nam si spiritus est, qui reuelat mysteria, qui etiam scrutatur omnia, etiam profunda Dei. [*& sicut nemo hominum nouit* 1. Co. 2.
ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo,] sic & ea, quę sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei. ij profectò ea rectè nouerunt, quibus Deus per spiritum suum reuelauit, qui audacter dicunt, [*nos uerò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex* 1. Co. 2.
Deo est.] Quare ea demum firma & immota manent, quę uel Paulus uel reliqui eiusdem ordinis uiri ita esse intelligenda affirmauerunt, ad quos tanquam ad clarissimos septentriones cursum nos omnem nostrum dirigere necessarium est. hos si imitabimur, non ijs tantum, quæ sunt manifestissima, cuius generis ea sunt, quę hactenus proposuimus, assentiemus, sed in altum ducentes nauim laxabimus retia, & profundissima quæque sine ullo temeritatis metu, audebimus perscrutari. Adeamus enim ipsum Paulum, illumque tota mente atque omni animo intueamur, quàm fidenter dixerit, omnia tanquam figuras Hebræis contigisse, eaque 1. Co. 10.
ipsa figuras nostri esse. Latissimum sanè illis uerbis spatiandi nobis campum demonstrauit, atque ob hanc causam non ueretur profiteri, id quod scriptum est. [*Abraham duos filios habuisse, al-* Gen. 21.
terum de ancilla, alterum de libera,] tametsi uerissima historia sit, Gal. 4.
esse tamen totum per allegoriam dictum. & cum illud Geneseos Gen. 2.
commemorat. [*huius rei gratia relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ, atque è duobus fiet una caro. mysterium,* inquit, *hoc magnum est, uerum ego dico de Christo & de ecclesia.*] Ephe. 5.
&, quod dictum fuit Abrahæ. [*in Isaac uocabitur tibi semen,*] ille Gen. 21.
sic interpretatur, [*non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij promis-* Rom. 9.
sionis, æstimantur in semine.] de quo & ad Galatas sic ait. [*porrò* Gal. 3.
Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, & non dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine tuo qui est Christus.] Quid illud Deuteronomij, quàm mirè interpre- Deu. 30.
tatur? [*quæ ex fide est iustitia, ea sic loquitur. ne dixeris in corde tuo,* Rom. 10.
quis ascendet in cœlum? hoc est, Christum ex alto deducere, aut quis

descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere. sed quid
dicit? prope te uerbum est in ore tuo & in corde tuo. hoc est uerbum
Deu.15. *fidei quod prædicamus.*] eadem fiducia alibi scribit. [*In Mosis lege*
1.Cor.9. *scriptum est non alligabis os boui trituranti. num boues curæ sunt* Deo?
an hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc scriptum est.]
Act.13. Sic abstrusa illa Esaiæ uerba, [*dabo uobis sancta Dauid fidelia,*] ad
Act.13. Christi resurrectionem retulit. sic enim dixit. [*quod autem susci-*
tauit eum à mortuis, ita dixit. dabo uobis sancta Dauid *fidelia.*]
non enim fuissent fidelia, hoc est, perpetuo duratura, nisi Chri-
stus uerus Dauid surrexisset à mortuis. Et apostolus Petrus, sum-
mus (ut uerbis Dionysij utar) theologorum uertex, duo è psal-
mis testimonia in unum connectens, ait de Iuda fuisse propheta-
Act.1. tum. [*Viri fratres* (inquit) *oportuit impleri scripturam hanc, quam*
prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda.] & post paulò, [*scriptũ*
Psal.68. *est enim in libro psalmorum. fiat commoratio eius deserta, & non sit*
Ps.108. *qui inhabitet in ea. & episcopatum eius accipiat alter.*] Qui idem
Act.3. ita alloquitur Israëlitas. [*quin & omnes prophetæ à Samuele ac dein-*
ceps, quotquot locuti sunt, etiam annuntiauerunt dies istos.] At, si
in eisdem prophetis simplicem orationis contextum obserues, ni
hil minus uidebuntur, quàm ista significare uoluisse. ut quod
Osee 11. per Osee dicitur. [*ex Aegypto uocaui filium meum.*] & Ieremias
Matt.2. de interfectis pueris ab Herode. [*uox in Rama audita est, lamenta-*
Ier.13. *tio, ploratus, & fletus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit*
consolationem admittere propterea, quòd non sint.] Sed quòd plena
sint his mysterijs omnia antiquæ legis uolumina, maximam fi-
dem nobis fecit ipse Seruator & ueritas cum sæpe aliâs, tum etiam
Luc.24. cum discipulos sic alloqueretur. [*hæc sunt uerba, quæ locutus sum*
ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quòd necesse foret impleri omnia,
quæ scripta sunt in lege Mosis, & prophetis, & psalmis de me.] Quæ
cum ita se habeant, audeamus etiam secretiora quæuis ad fidem
nostram astruendam amplexari. quando certò scimus, in ijs the-
sauros eiusmodi arcanorum esse repositos. Ego uerò, quo magis
mirere, aut quo magis audeas potius, & discas, plurima circum-
uoluta esse ænigmatibus, quæ dum aliud agere uidentur, nostra
prædicunt, illud adijciam, quod mirè ab Hebræis fuit intellectum
ante Seruatoris ortum & aduentum in carne. Nam; quod Salo-
Pro.30. mon ait. [*tria sunt difficilia mihi; & quartum penitus ignoro. uia*

aquilæ

aquilæ in cælo, uia colubri super petram, uia nauis in medio mari, & uia uiri in Alma,] id est, adolescentula uirgine. quanquam in Latinis ferè pro adolescentula adolescentia corruptè legatur. Hæc pertinere ad quatuor præcipue Christi mysteria, uir Hebræus cuidam Romano consuli professus est, sed posita esse uerso ordine. Primum enim ascensionem in cœlum, deinde resurrectionem ex sepulcro, tertio uitam, quæ futura esset admiranda, postremo natiuitatem ex uirgine, cuius modum se penitus ignorare Salomon confitetur. Alter eisdem temporibus retulit ad mysterium corporis & sanguinis Christi, quod dictum est. [*Ligans ad uitem pullum suum, & ad palmitem fili mi asinum suum. lauabit in uino uestem suam, & in sanguine uuæ pallium suum. rubicundiores sunt oculi eius uino, & dentes lacte candidiores.*] sed rem obtectis uerbis describi, cum ut uenustior esset oratio, tum ut sensus occultarentur. Quin & ex eisdem fuere, qui dicerent, non extare Diuinarum literarum penè locum ullum, in quo excitandorum ad uitam mortuorum non fiat mentio, quanquam nis nostra illud penetrare non possit. Harum nos rerum omnium cogitatione facilius adducemur, ut ea & credamus, & ipsimet interpretemur, cum aliqua inuenimus, quæ uel exiguum quid lucis secum habeant, ut cum legimus. [*propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.*] &, [*Ipse reget nos in secula.*] &, [*In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.*] quanquam hæc nimis aperta sunt. sed longè etiam minus aperta non dubitemus ad futuram uitam pertinere. ut de baptismate dictum fuisse ab Ezechiele. [*Aspergam super uos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris.*] & à Zacharia. [*In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ierusalem ad emundandum & aspergendum.*] & sexcenta alia fidei nostræ fuisse sacramenta. Sed hæc nimium multa fortasse, & plura quàm expectauisses. at breuius tamen diximus, quàm tanta res dici debuisset. qui siquid diximus, quod aureis tuas implere posit, id Dei benignitati, cuius & ope factum erit. sin minus, quod uereor, id ingenij & uirium imbecillitati, non uoluntati neque animo, qui sanè alacris rem aggressus est, acceptum referas.

Gen. 49.
Psal. 44.
Psal. 47.
Esa. 16.
Eze. 36.
Zach. 13.

ORATIO TERTIA
habita in die Ascensionis Domini.

CVM ostendere uellet Diuinus Paulus quanto interuallo Euangelicæ legis mysteria ijs antecellerent, quæ Hebræorum populo contigerunt, scribens ad Corinthios dixit, [*Si*
2.Cor.3. *ministratio mortis in literis, deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israel in faciem Mosis, propter gloriam uultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in*
ibidem. *gloria?*] & paulò post. [*nec glorificatum est quod claruit, in hac parte, propter excellentem gloriam.*] hoc est, illud uetus testamentum, quod tanta cum gloria fuit datum, non habet gloriam ullam, si
ibidem. cum hoc nouo conferatur, tam excellens est huius gloria. [*nam si id quod euacuatur, & aboletur, & finem habet, fuit cum gloria, quantò magis hoc, quod manet, ac perpetuum est, debet esse plenum gloriæ?*] nam ea, quæ in Hebræorum gentem collata fuerunt beneficia, umbræ quædam erant eorum, quæ ad nos peruenerunt.
1.Co.10 [*omnia enim* (ait Paulus) *contingebant illis in figura.*] quantò ergo umbræ & figuræ inferiores ueritate sunt, tantum illa nostris cedunt, & tamen ea apud gentem illam ita celebrabantur, ut nihil
Psal.77. eorum commemoratione esset apud eos celebrius. [*Quanta audiuimus* (aiebant) *& cognouimus ea, & patres nostri annuntiauerunt nobis, non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera.*] & rursum. [*quanta mandauit patribus nostris, nota facere filijs suis, ut cognoscat generatio altera. filij qui nascentur & exurgent, & narra-*
Psal.43. *bunt filiis suis*] & alibi. [*Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis. manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos et expulisti eos.*] Identidem in eorum canticis men-
Exo.15. tio fit, quo pacto Deus percusserit Aegyptum cum primogenitis eorum, eduxerit Israelem de medio eorum, diuiserit illis mare

rubrum,

rubrum, eduxerit Israëlitas per medium eius, excusserit Pharaonem & robur eius in mari rubro, traduxerit populum suum per desertum. demumque percussis regibus magnis & fortibus, promissæ illos terræ hęredes fecerit. At ista omnia longè magnificentius impleta in nobis cum sint, tam ingrati tamen plerique omnes reperiuntur, ut nemo ferè sit, qui delectetur peruestigare, quid uelit pascha, quid pentecostes, cur inter pascha & pētecosten quinquaginta dies intercedant, cur quadragesimo post resurrectionem die Seruator Christus ascendere in cœlum uoluerit, cæteraque huius generis alia. & quidem scio, pastorum in primis incuria tantam tantarum rerum ignorationem in Christianum orbem fuisse inuecta. sed non prorsus tamen & uos sine culpa estis, qui si uel par studium quærendis ijs, quę ad animorum salutem pertinent, impenderetis, quod in corporea hæc & caduca soletis impendere, non essent tam densæ uestris oculis tenebræ circunfusæ. Verum ne tantus error, qui multum officit pietati, longius feratur, decreui hodie eorum, quę commemoraui, quàm possum breuissima oratione, reddere rationem. quę posthac uos recordati, dabitis operam, ut ea filios uestros doceatis, atque ita fiet, ut & illi posteritati suæ quasi per manus tradant, perpetuaque beneficiorum in nos Dei perduret commemoratio. Facturus erat omnipotens atque optimus Deus rem, quæ omnium & expectationem & uota superaret, ut scilicet unigenam illum filium in generis nostri salutem mitteret, ereptumque de Diaboli manu in libertatem perpetuam uendicaret, atque æterni regni efficeret possessorem, sed non decebat, rem tantam ita repentinè aspectibus obijcere hominum, neque uerò ipsa rerum natura patitur, ut res maximę sine consentaneis medijs introducantur. quod duabus de causis fieri est necessarium. primum ut rei, quæ facienda est, dignitati consulatur, deinde ut ipsius rei simus capaciores, & ei fidem ampliorem habeamus. quod uno atque altero exemplo fiet apertius. Cum immisisset Dominus in populum ignitos serpentes, qui scilicet morsum ardentem infigebant, ac simul uenenum quoddam, quod corpus exureret, immittebant, cumque plurimi morerentur, & pœnitentia ducti rogarent eos tolli, dixit Deus. Nu. 21. [*fac serpentem ignitum*,] hoc est, qui habeat similitudinem serpentis igniti, qualis est serpens ex ęre fabricatus, [*& pone eum* ibidem.

super

super signum.] quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Quid autem fuit, efficere, ut inspecto æneo serpente, qui imaginem uenenati serpentis præ se ferret, homines sanarentur, quàm præparare animos, ut capaciores essent, ad intelligendum id, quod postea
Rom. 8. prædicatum fuit? ut cum Paulus dixit. [*Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis.*]. iccirco Seruator ipse nos
Ioan. 3. huius exempli admonuit, cum dixit. [*sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam.*] Quid enim fuit, aliud sublatus in crucem Dominus, quàm innocens sub peccatoris imagine, ut omnium peccata aboleret, & tanquam æneus serpens, qui uenenati serpentis haberet similitudinem. qui tamen tantum aberat, ut nocere posset, ut etiam læsos à serpentibus, quicunque eum intuerentur, à ueneno & morte liberaret? In eundem modum Abrahæ exemplum in immolato filio præmissum est, ut minus esset mirum, cum audiretur, Deum, qui bonitate omnes homines longissimo interuallo antecellit, dedisse unigenitum suum in mortem pro generis nostri salute. quando homo, ut Deo obtemperaret, unigenitum maximeque dilectum, in quo præterea tam admirandæ factæ fuissent pollicitationes, suis iugulare manibus paratus fuisset. Multa ergo huiusce generis exempla sub figura præcesserant, quæ præparationes essent quędam ad ea facilius intelligenda, quę rerum ueritatem secum afferrent. atque illud in primis, quòd populus Hebræorum, qui populus Dei tunc erat, ab Aegyptiis opprimeretur, deinde Diuina manu liberaretur, obrueretur undis maris Pharao & exercitus eius, cæteraque, quæ supra commemorauimus, atque etiam longè illis plura. significabatur autem in illa Aegyptiaca seruitute, & Pharaonis tyrannide, genus nostrum, in quod natura solus Deus habere ius
Act. 17. debuisset. [*genus enim* (inquit) *Dei cum simus.*] sub Diaboli potestate captiuum, de cuius manu cum benignissimus Deus illud eripere tandem aliquando decreuisset, idque per filii sui immaculati agni sanguinem, videte quàm exquisitam huius rei figuram in hoc ipso ex Aegypto discessu præmiserit. iussit accipi agnum. tantum'ne? immo & masculum, & unius anni, & sine macula, uel hædum etiam, quando & uerus agnus Christus in similitudine

militudine carnis peccati uenit. neque uerò expectetis, dum uobis singulatim delitescentia in hac historia mysteria explicem, sed satis erit, si, temporis angustijs impeditus, summa sequar uestigia rerum. Inter cætera ergo, quæ fieri in hac immolandi agni cerimonia iubentur, mandatur, ut sumant [*de sanguine eius*, & ponant *super utrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.*] cur autem hoc? [*erit*, inquit, *sanguis uobis* ibidem.
in signum in ædibus, in quibus eritis, & uidebo sanguinem & transibo uos, nec erit in uobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.] ob hanc autem causam dies ille pascha est appellatus, à uerbo פסח, quod est transilio. iussique sunt filij Israel appellare hanc immolationem, uictimam transitus Domini, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, & Israelitarum domos liberans. Huic figuræ successit pascha nostrum, de quo Paulus ait. [*pascha nostrum immolatus* 1. Cor. 5.
est Christus,] uerus agnus, de quo prædixerat Esaias dicens.
[*tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine uoce, sic non aperuit os suum.*] & Ioannes Baptista, [*ecce* Esa. 53. Ioan. 1.
(inquit) *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*] huius agni sanguis ueros seruat Israelitas, uerumque Abrahæ semen, qui uidelicet sectantur uestigia fidei Abrahæ. atque ut euidentius figuræ ueritas responderet, quo die agnus ille occidebatur, eo ipso immolari Christus in cruce uoluit. Neque uerò satis fuit eduxisse Hebræorum populum ex Aegypto, nisi Pharaonem & exercitũ eius demergeret in mari rubro, per quod mare Israelitæ siccis pedibus ingrederentur. quod, cum Christiani baptismatis figura fuerit, longè magnificentius in eo ista cernimus adimpleri. nam in ipso Diabolus cum uitijs atque peccatis, eius satellitibus, tãquam Pharão cum exercitu suo disperditur, & fideles liberantur, qui dum quasi per profundum maris ambulantes sepeliri uidentur, deponunt quidem ueterem hominem cum uitijs & concupiscentijs, & cum Christo tanquam sepeliuntur, ut cum eodem resurgant, atque in nouitate uitæ ambulent. quod mysterium Paulus attigit, cum dixit. [*consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.*] Et hæc quidem breuiter de paschatis ratione sint dicta. rursus quærendum est, cur Rom. 6.

D quadixit

quadragesimo post resurrectionem die Seruator Christus ascendere in cœlum uoluerit, & hunc numerum seruare quadragenarium. atque in primis illud occurrit, quòd, si ipsam duntaxat Domini personam intueamur, etiam ipse suum pascha, hoc est, transitum habuit, quod apertè Ioannes Euangelista interpretari uidetur uoluisse, cum ait. [*ante diem festum paschæ sciens Iesus quòd uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem.*] sicut ergo post exitum ex Aegypto populus Hebræorum prius quàm in terram promissam, qua in cœlum ingressus per credentes in Christum faciendus signabatur, ingrederetur, quadraginta annis in deserto moratus est, sic Dominus, cuius mors atque resurrectio ex mortuis exitus è mundo quasi ex Aegypto fuit, ut figuræ responderet, diem pro anno, qui mos scripturę est familiaris, accepit. & per quadraginta dies uisus à suis in multis argumentis. demum in cœlum, hoc est, terram uiuentium, ac fidelibus promissam receptus est. Quid uerò pentecostes? quam si Latina uoce appellemus, quinquagesimam uocabimus. quid uult hic numerus quinquagenarius? uidete ueteris ingentem ac noui testamenti, figurarumque ac ueritatis consensum. postquam egressi sunt filij Israel ex Aegypto, quinquagesimo post exitum die dedit Deus præcepta legis, & ipsemet Hebręorum populum est allocutus. ipse ergo Seruator Christus, qui dixit se uenisse, non ut solueret legem, sed ut impleret, eodem ipso die per spiritum sanctum, quem pollicitus erat se missurum à patre, legem Euangelicam non in tabulis lapideis, sed in ipsis fidelium cordibus inscripsit, quod multò ante per Ieremiam futurum prædixerat. sic enim ait. [*ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum.*] & paulò post. [*hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*] uerum de ipsa pentecostis festa & celeberrima die suo tempore dicendum erit. nunc quando breuiter horum mysteriorum ratio à nobis reddita est, ad huius diei triumphum contemplandum toto animo atque omni mente incumbamus. Hodie Iesus Christus filius Dei cum nostræ naturę substantia super omnes cœlos ascendens sedit ad dexteram Dei. quid hac rerum maiestate magnificentius? quid admirabilius? fragilis natura, corpus è terra compactum, super omnes angelos,

Ioan. 13. *Matt. 5.* *Ier. 31.*

angelos, omnesque beatorum illorum spirituum ordines ad Dei patris dexteram collocatur. eisdem spiritibus non solum non inuidentibus (quod magno sanè exemplo esse nobis debet) tantæ celsitudini tam humilis naturæ, uerum etiam gratulantibus. sic enim canit Psaltes. [*ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in uoce tubæ.*] uidete etiam apud Esaiam pulchram interlocutionem occurrentium & gratulantium angelorum in ipso Christi ascensu, atque ipsius Christi respondentis. [*Quis est* (inquiunt) *iste, qui uenit de Aedom, tinctis uestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?*] respondet. [*ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.*] rursum illi. [*quare ergo rubrum est indumentum tuum, & uestimenta tua sicut calcantium in torculari?*] cernebant enim illum fuisse in passione cruentatum. quibus respondet. [*torcular calcaui solus,*] cæteraque, quæ hilarem & admirandum in modū ibi referuntur. quæ etiam temporis ratio non patitur ut latius explicem. Quis ergo ista pro rerum dignitate cogitans, & bene penitus animo affigens, posset hæc humilia ac momentanea curare, atque illis affici, si etiam regnum aliquod ingens proponeretur? quæ imperia, si huic celsitudini, in qua Christus Dei filius hodie naturam nostram collocauit, comparentur, lusus puerorum aut breuissima scena non æstimabuntur? atque hoc erat sanè, quod admonebat Paulus. [*si consurrexistis* (inquiens) *cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens.*] natura (inquit) uestra in cœlum euecta est, & uos adhuc de terra, infimo mundi loco cogitatis? fratrem habetis regem cœli, qui uos eiusdem regni cohęredes expectat, nec tam felicibus pollicitationibus commouemini? quis uestrum repentino nuntio admonitus fratrem suum regem factum, non continuo exiguas quas haberet facultates, pro nihilo putaret, atque adeo proijceret ob tanti nuntij lętitiam? quamuis illud temporarium ac citò desiturum esset regnum. ad ęterni uerò regni nuntium, quod uobiscum communicare paratus est Christus, sic enim Paulus ait, [*hæredes Dei, cohæredes autem Christi,*] & alibi. [*quòd si filius & hæres* Dei *per Christum.*] ad tantum, inquam, nuntium nō expergiscimur, non inflammamur, & erigimur ad digna nobis cogitanda & expetenda? Sed uideamus, quid eo ipso tempore, quo ascendit, factum & dictum sit. neque enim parū prode

Psal. 46. Esa. 63. Col. 3. Rom. 8. Gal. 4.

rit ista peruestigare. nam in illis, quæ tunc facta sunt, quid nobis faciendum sit, admonemur. Prius quàm à discipulis recederet Dominus, pollicitus est se missurum spiritum sanctum, admonens ne
Act. 1. interim ab Ierosolymis discederent, sed ibi sederent, donec induerentur uirtute ex alto. quibus uerbis admonemur, non cuiuis temere aggrediendum esse negocium Euangelicum, sed eorum tantum esse hoc munus, qui post optimè purgatam uitam Diuina prętera uirtute sunt confirmati. quæ res eos in primis condemnat, qui illotis pedibus non ingrediuntur, sed inuadunt sancta, & cum nondum digni sint, qui inter oues numerentur, pastoris sibi officium usurpant. qui demum factis ipsis non pastores, sed uel lupi uel certè mercenarij esse deprehenduntur. Sed cur ante non sunt per spiritus sancti aduentũ corroborati discipuli, quàm ascenderet Dominus? id autem fieri non potuisse prædixerat an-
Ioa. 16. te quàm pateretur, cum dixit. [*nisi ego abiero, paracletus non ueniet. cum autem abiero, mittam eum ad uos.*] cur hoc ergo? uidetur hoc eam præcipuè ob causam factum esse, ut apertius intelligeretur, Christum esse filium Dei, qui post suum ab hominibus discessum, manifestam præbuerit suæ Diuinitatis significationem, misso quem promiserat paracleto, & tam uehementer confirmatis ad omnia præclara facta ijs, qui in ipsum credidissent, qui confirmatiores etiam in fide sunt facti, quàm si hoc eo præsente accidisset, cum iam certò scirent, uerè illum in cœlum ascendisse, unde promissa dona magnificè præstitisset, atque impletum
Psal. 67. esset, quod multò ante fuisset prædictum. [*ascendens in altum ca-*
Ephe. 4. *ptiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*] nempe ea, quæ Paulus ad Ephesios scribens interpretatur, [*& ipse* (inquiens) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi,*] quod corpus nimirum nos sumus, cuius perficiendi gratia hæc
ibidem. dona data sunt, icciro adiecit, [*donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram plenæ ætatis Christi,*] perstat enim in metaphora, nam dixerat ecclesiam esse corpus Christi. nunc ergo ait, in hoc incumbi, ut corpus hoc perficiatur, ut, cum absolutum fuerit, sit quædam plena ætas Christi, quando corpus Christi hoc mysticum plenitudi-

nem

nem suam fuerit assecutum. perfectio autem agnitionis hanc efficit plenitudinem, quod aperit, cum subdit, [*ne simus posthac pueri.*] Illud etiam utilitatis nostræ gratia est obseruandum, quòd interrogantibus ijs, qui conuenerant, num in tempore ipso restituendum esset regnum Israëli, nondum enim qualitatem regni Christi intellexisse uidebantur, ipse respondit. [*non est uestrum nosse tempora uel articulos temporum, quæ pater posuit in sua ipsius potestate.*] qua in re reprehenditur nostra de rebus futuris curiosa peruestigatio, eorum præsertim, qui per siderum stellarumque motus putant se ea intellecturos. [*pater* (inquit) *posuit hæc in sua ipsius potestate,*] non in cœlorum ac siderum, ut putant, qui toti ab eorum pendent obseruatione. Refert autem de more ad patrem maiora quæque, quamuis eadem & ipse norit. nam, si, cum operandum est, eadem cum patre potestate operatur, ut idem ipse dicit. ubi scire quicquam oportet, non cum eadem scit potestate? & qui nouit patrem, non nouit quid faciat? quando & spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei. [*Et cum hæc dixisset* (inquit) *uidentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.*] fortasse nubis ministerio usus est, ut par honore patri uideretur, de quo scriptum est. [*nubes & caligo in circuitu eius.*] Hæc dum fierent, [*ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt. uiri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. sic ueniet* (inquiunt) hoc est, in eadem ipsa natura, in qua uidistis eum ascendisse in cœlum. quod profectò in cogitationibus nostris esse frequens debet, quę res paratiores nos efficiet, cum erit ei occurrendum. Væ enim, uæ illis, & ingens uæ atque horrendum, qui nunquam ista cogitantes, tantam negligunt salutem. quo enim pudore censetis hos tunc esse afficiendos, cum in conspectu totius orbis terrę filius Dei ueniens cum potestate magna & maiestate, circumuallatus illis angelorum exercitibus, obijciet ijs, quanta pro illis fecerit, quanta sit passus, ingentem & immortalem gloriam, quam illis paratam ipsi spreuissent? & quam ob causam? ob leuem corporis uoluptatem, ob exiguas periturasque diuitias, ob momentaneum honorem, scenæque persimilem. Quare meditemur obsecro ista asiduè, ne ea, quę salutis nostrę gratia facta fuerunt,

nostra

Act. 1.

ibidem.

Act. 1.

ibidem.

nostra ingratitudine ipsi in perniciem nostram conuertamus. & per hosce dies faciamus, quod apostoli admoniti fuerunt, ut fa-
ibidem. cerent, ut scilicet expectarent promissionem patris, nempe spiritum sanctum, quem illi pentecoste acceperunt, ad quem diem omni studio præparemur & nos, ut eiusdem spiritus aduentu in nouam, quemadmodum apostolis accidit, transferamur creaturam, quod fieri non poterit, nisi omnem ueteris fermenti, ut ait
1. Co.5. Paulus, conspersionem abijciamus, & omnem dolum atque ma-
Sapie. 1. litiam deponamus. [*Spiritus enim sanctus*, sicut scriptum est, *disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*] facienda ergo nobis est noua exhomologesis, & puro corde ad Eucharistiæ sacramentum accedendum. meminerītis, quid à nobis superioribus diebus sit dictum, eos, qui tantum in paschate hoc faciunt, non esse dignos, qui inter fideles nu merentur, & præterea argui, non ex animo hoc fecisse. nam si non inuiti hoc præstiterunt, sed libentes atque ex animo, cur non gaudent rem gratam sæpius iterare? quare excusari non possunt, quin apertissimè arguantur, inuiti semper ad tantum munus accessisse. quod quanta cum illorum utilitate sit factum, ipsimet illi dicent. Itaque uitiosum istum morem tandem aliquando deponite, atque ad pristina Christi ecclesiæ instituta reuertamur. sic enim magis tuti futura bona expectabimus. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO QVARTA,

habita in die ſancto Pentecoſtes.

CVM ſuperioribus diebus fueritis à nobis admoniti, quid uelit ſanctiſsimi huius diei celebritas, ſperandum mihi eſt, uos interioris hominis ſpiritum ita compoſuiſſe, ut ſancti ſpiritus, cuius hodie feſtus dies eſt, aptum eſſe domicilium poſſit. nam cum omnes ſolennes ac feſti dies perpurgato ſpiritu agendi ſint, tum hic præcipuè dies ipſi ſpiritui dedicatus. alioqui abſurdum ualde eſſet, ſancti ſpiritus celebrare memoriam ſine ſpiritu, idque eo die, quo eiuſdem ſpiritus munus fidelibus tam copioſè eſt datum, ut per exiguum eorum numerum, qui illius participes fuerunt facti, illud acciderit, quod multò ante fuerat prædictum. [*ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum. in omnem* enim Sap. 1.
terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ uerba eorum.] qui Pſal. 18.
tanquam uehiculum ſpiritus, cum gentibus omnibus impertiebantur. in quibus gentibus illud etiam impletum eſt, quod Pſaltes ait. [*emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem* Pſ. 103.
terræ.] quantum enim hæc facies ab illa priore mutata eſt per huius ſpiritus effuſionem? quod ſiquis ſcire uelit, intueatur ſuperiora tempora ante Seruatoris aduentum, & ante hunc ſpiritum datum, quàm denſæ tenebræ operiebant terram, & caligo populos, ut Eſaiæ uerbis vtar. homines ignorato Deo ſaxa ado- Eſa. 60.
rabant, & uiliſsima quęque animalia, atque adeo res maximè pudendas pro Dijs habebant, & plerunque res hortenſes, quod quidam ſatyricus obſeruauit, cum irridens hanc ſtultitiam dixit.

> Porrum & cepe nefas uiolare & frangere morſu.
> O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
> Numina.

Ab ijs fundamentis conijci poteſt, qualis eſſet expectanda ſtructura. cum enim dogmata eam uim habeant, ut ſint tanquam ſco-

pus quidam, ad quem facta omnia nostra referantur. facile intelligi potest, quæ eorum uita fuerit, qui Venerem, Cupidinem, nempe lasciuiæ ministros, atque adeo Priapos, & Phallos & Ithiphallos in Deorum numero collocabant. quis enim illud turpe factu existimauisset, quod Diuinitatis auctoritate niti uideretur? at ubi spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & Euãgelica lux populos & gentes circumfulsit, continuò hæc monstra explosa sunt, hominesque, qui in beluinam quandam naturam degenerauerant, cœlestes potius quàm terrestres euasisse reperti sunt. & perinde quasi post horridam hiemem nouum uer illucesceret, sic post fœdam rerum faciem, flores apparuerunt in terra nostra, & pulcherrima uiriditas orbem occupauit. nam ut cętera taceam, quàm multa uirorum ac mulierum millia post uulgatam hanc uerè cœlestem philosophiam, perdomita ac subacta carnis uoluptate, ac penè obliti se corpore etiam constare, non animo solum, cœlestium uitam, quibus caro impedimento non est, in mortali corpore ausi sunt repræsentare? Legimus in ecclesiasticis historijs, mulieres in ipsis nascentis ecclesiæ exordijs, dies noctesque in sacrorum librorum lectione occupatas, ac tantæ philosophiæ pulchritudine illectas, recusauisse coniugia, affirmantes indecorum esse, ut corpora, quæ tam pulchris rebus inseruiendi essent instrumenta, corporeæ generationi inseruirent. Hæc introducta innouatio est, ubi spiritus Domini ferri super aquas cœpit, & homines ex aqua & spiritu sancto fuerunt regenerati. huius spiritus aduentu impletum est, quod regius uates prædixerat. [*uer-*
Psal, 32. *bo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.*] cum scilicet induti sunt uirtute ex alto, & ab eo in omnem ducti fuerunt ueritatem, & apertiorem Christi Diuinitatem maiestatemque intellexerunt. redarguto interea per aduentum huius spiritus mundo, de peccato, de iustitia & de iudicio. nam manifestissimis argumentis demonstrauit, primum omnium, mundum peccasse in eum, dum tantæ ueritati credere recusauit. deinde quòd iustus fuerit, atque omnino innocens, qui ob hanc iustitiam suam, ad patrem, ab aspectibus hominum sublatus, profectus sit, cui rei testimonio fuerunt ea, quæ in nomine eius per spiritum sanctum facta sunt. Postremo declarauit, condemnatum esse principem mundi, cum imperium omne illius per totum

tum mundum sublatum fuit. Videte uerò quanta sit huius spiritus uirtus atque efficacia, qui ubi corda fidelium impleuit, qui prius metu Iudæorum clausi intra domesticos parietes detinebantur, confestim abiecto timore omni, nullis minis, nullis tormentis ac cruciatibus deterreri potuerunt, nullis laboribus frangi, quo minus agnitam ueritatem palàm annuntiarent. Videntur autem mihi Christi apostoli id assecuti, quod accidit Elisæo, quo tempore Elias ab eo sublatus est. cum enim tollere uellet Eliam Dominus, dixit Elias ad Elissæum. [*postula quod uis ut faciam tibi ante quàm tollar à te. cui Elissæus. obsecro ut fiat in me duplex spiritibus tuus. qui respondit, rem difficilem postulasti, attamen si uideris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti, sin autem non uideris, non erit. cumque pergerent & sermocinarentur, uidit Elissæus currum igneum, & equos igneos, qui diuiserunt utrunque, & Eliam per turbinem in cœlum ascendere.*] idem nimirum apostolis accidit, qui cum Dominum uidissent ascendentem in cœlum, id assecuti ab eo sunt, quod illis antea fuerat pollicitus, cum dixit. [*qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet.*] Magna est atque admiranda huius spiritus uis, & optima quæque ac præstantissima per hunc fiunt. hoc inspirante oracula habemus prophetarum, & Diuina ab eis prolata consilia. [*neque enim humana uoluntate* (ait apostolus Petrus) *unquam allata est prophetia, sed à spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines.*] hæc uero prophetarum dicta quantum sint nostro generi utilia ac necessaria, idem Petrus in eadem epistola ait. [*habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris.*] Per hunc spiritum spes in nobis illa ingeneratur, de qua Paulus ait. [*spes non pudefacit, quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*] huic peccatorum ascribitur remissio, sic enim dixit Dominus, [*accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*] huic donorum distributio; & uera Domini Iesu appellatio. sic enim Paulus ait. [*nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Diuisiones uerò donorum sunt, idem autem spiritus, et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus.*] quæ apertius explicans subdit.

4. Reg. 2 · *Ioan. 14.* · *2. Pet. 1.* · *ibidem.* · *Rom. 5.* · *Ioan. 20.* · *Mat. 18.* · *1. Co. 12*

ibidem. [*unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alii dona sanationum in eodem spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum. hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens peculiariter singulis prout uult.*] Hunc meritò paracletum, hoc est, consolatorem Seruator appellauit, qui in afflictionum æstu consolatur corda nostra,

Rom. 8. &(quemadmodum Paulus ait) [*adiuuat infirmitates nostras.*] qui cum tam imbecilli simus, ut, quid oraturi simus, ut ibidem ait idem Paulus, sicut oportet, nesciamus, [*ipse postulat pro nobis*

ibidem. *gemitibus inenarrabilibus. qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.*] Huius operatio mirè efficax est, neque temporis longitudine indiget ad agendum. nam, ut ea prætercam, quæ in prophetis egit, quam admirandum est, quod hodierna die est factum? rudes homines & idiotæ repente omnium linguarum peritia præditi fuere, quod nemo quamuis acutissimo ingenio præstans, tota uita eaque longissima assequi humana industria potuisset. tanta instructi eloquentia ac sapientia, ut neminem quamuis doctissimum formidarent. impletumque est, quod Dominus pollicitus illis fuerat, ubi

Mat. 10. dixit. [*cum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare, quomo-*

Luc. 12. *do aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.*] Sed adeamus textum historiæ, uideamusque quàm pul

Act. 2. chro hæc ordine fuerint facta. [*Dum compleretur dies pentecostes,*] hoc est, quinquagesimo à festo paschatis die, eratque Iudæis dies hic celeberrimus ob datam eodem die legem Hebræorum populo. & cum Euangelica promulganda esset lex, quę ueteris legis esset consummatio, idem obseruatus est dies, ut rerum ueritas sibi

ibidem. ad amussim consentiret. hoc igitur die cum [*essent omnes discipuli pariter in eodem loco,*] neque tam loci quàm animorum coniunctione copulati. alioqui illa spiritus dona nõ accepissent. nam huic spiritui amoris appellatio in primis tribuitur, cui dissidia sunt

ibidem. inimica. [*factus est* (inquit) *repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis.*] adueniente spiritu sancto consentaneum fuit, ut corporeus spiritus ac flatus impetu ueniẽs etiam exteriorem

tetiorem audiendi sensum perxelleret, ut excitatus exterior homo aptius interiori inseruiret. sic & apud Ioannem legimus. cum enim dicturus esset Dominus, [*accipite spiritum sanctum,*] exteriore id prius aspiratione significauit. [*insufflauit* (inquit) *& dicit eis, accipite spiritum sanctum.*] simul uerò hæc fuit quædam imitatio eorum, quæ acciderunt, cum data Hebræis lex fuit, tunc enim cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ uehementius perstrepebat. totus item mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, & plurimum tremuit uniuersus mons. quare nunc etiam sonitus factus est è cœlo, & species ignis uisa pro tonitruis ac fulguribus montis Sinai. [*& impleuit* (inquit) *totam domum ubi erant sedentes.*] domus illa mundi typum gerebat, qui & ipse implendus esset Euangelica philosophia. [*Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.*] cum ij, qui in Babylone prauè conspirauerant, ut exstruerent turrim, quæ in cœlum usque ferretur, castigandi essent, hac pœna affecti sunt, ut, cum antea terra unius esset labij, lingua eorum confunderetur, ne alter alterius uocem intelligeret. itaque disiecti sunt in uniuersas terras. nunc uerò, cum omnium linguarum genera colligenda in unã essent fidem, factum meritò est, ut apostolis munus daretur linguarũ omnium intelligendarum. Hoc facto [*repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui alijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis.*] Opportunè autem acciderat, ut per eos dies cõuenissent, ob diem festum opinor, [*uiri Iudæi ex omni natione, quæ sub cœlo est,*] qui cum cernerent rudes homines omnium linguarum scientia præditos, dicebant inter sese. [*non' ne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?*] quidnam uult hoc esse? at in hoc tam admirando facto uidete tamen, quid incredula mens quorundam hominum sit passa. [*alij* (inquit) *irridentes dicebant,*] musto hoc est, dulci uino [*pleni sunt isti.*] qua in re illud impletum est Esaiæ. [*in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic, & ne sic quidem exaudient me, dicit Dominus.*] [*Ebrij sunt,*] inquiunt, quid ebrietati cum omnium linguarum agnitione? num præstare id ebrietas consueuit? hæc omnino in spiritum sanctum blasphe-

Ioan. 20. *Mat.* 18 *ibidem.* *Exo.* 19. *Act.* 2. *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *Esa.* 28.

Luc. 11. mia est, quod & ij faciebant, qui dicebant, Dominum [*in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcere Dæmonia.*] in hanc blasphemiam incidunt sæpe homines, neque aduertunt. quoties uidelicet rectè facta aliorum in malam partem accipiunt, praueque interpretantur. hoc enim est præsentissimum charitatis uenenū, ad quam charitatem in hominum cordibus effundendam, spiritus hodie sanctus missus est, quem si eo studio, quo debetis, apud uos habere curaueritis, uerè paracletum, hoc est, consolatorem in quouis rerum statu, & rebus in omnibus adiutorem experiemini. neque enim eius uis duntaxat ad ea, quę ad futuram uitam pertinent, se porrigit, uerum etiam ad hæc humana tractanda maximè opitulatur. cuius rei in sacra historia plura habentur exempla. cum enim formandum esset tabernaculum, in qua structura multa opus esset arte atque industria, uidete quid Deus Mosi di-

Exo. 31. xerit. [*Ecce uocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientia, in omni opere ad excogitandum, quicquid fabrefieri potest ex auro & argento & ære, in artificio includendi lapides, & in fabrefactione lignorum, atque ad operandum in omni arte. & in corde omnis ingeniosi posui sapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi.*] cernitis, ut qui ingenio pollent, & artes aliquas callent, huic spiritui accepta referre ista omnia debeant? neque hoc solum, uerum etiam ipsius corporis uires ab eo sunt expectandæ. quòd enim fortissimi illius Samsonis uires ab hoc spiritu profectæ sint, apertum est ex historia Iudicum. huic enim adhuc adolescēti cum occurrisset catulus leonis sęuus & rugiens,

Iudic. 14. [*irruit* (inquit) *spiritus Domini in Samson & dilacerauit leonem, perinde quasi hædum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu.*]

Iudic. 15. Rursus cum ligatus duobus nouis funibus obiectus esset Philistæis, illique uociferantes in eum ferrentur, [*irruit spiritus Domini in eum, & sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita uincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta, inuentamque maxillam asini recentem arripiens, interfecit cum ea mille uiros.*] Quis uerò

1. Reg. 17. dubitet eundem spiritum roborasse Dauid, cum adhuc adolescentulus interficiebat leonem atque ursum, quemadmodum ipse coram Saule rege professus est. cum enim rex cerneret eum paratum ad singulare certamen cum gigante illo Philistęo, diceretque, non uales obsistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia

puer

puer es, hic autem uir bellator est ab adolescentia sua. respondit Dauid. [*pascebat seruus tuus patris sui gregem, & ueniebat leo uel* 1. Reg. *ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & per-* 17. *cutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. nam & leonem & ursum interfeci ego seruus tuus. erit ergo & Philistæus hic incircuncisus quasi unus ex eis.*] Audistis, quantum perstringere breui oratione potuimus, maiestatem huius spiritus atque potentiam, & quàm efficax sit, quantæque utilitatis, eius in homines operatio. reliquum est, ut tanto muneri, quod in nostrum genus collatum est, ne simus ingrati. [*nolite* (ait Ephe. 4. Paulus) *contristare spiritum sanctum Dei, in quo obsignati estis in diem redemptionis.*] hoc autem fiet, si, ut eodem loco admonet, [*renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis.*] uidere.n. ibidem. mihi uideor, parum in paschate fuisse profectum, & hanc mentis interiorisque hominis innouationem in admodum paucis reperio. omnes ferè priores mores sequuntur. quod nisi huic malo nouis remedijs consulatur, nunquam in libertatem estis uindicandi, sed miserrimam usque ad mortem seruituri estis seruitutem, quo quid homini accidere potest miserabilius? quid autem prodest paucorum dierum libertas, quam adepti esse uidemini in paschate, cum maximam anni partem, atque adeo totum potius annum in seruitute degatis? num liberum quis eum hominem appellabit, qui octo aut decem diebus libertate fruatur, & toto reliquo anno seruitutem seruiat? libertas autem reperiri nusquã potest, nisi ubi hic spiritus est. etenim [*ubi spiritus Domini, ibi li-* 2. Cor. 3. *bertas,*] ait Paulus. remedium igitur præcipuum illud est, ut, cum experti sitis tot annos, uos ad eadem uitia relabi ob eam proculdubio causam, quòd semel tantum per annum peccatorum exhomologesim facitis, idque coacti potius quàm uolentes, ut aliâs abunde satis probasse uobis mihi uideor, hunc errorem tandem aliquando auferatis, & hanc exhomologesim crebrius repetatis. hæc enim una uia est, qua ostendatis, uos libenti animo ad eam accedere, quod cum fiet, tum demum spes est, uos à peccati seruitute esse liberandos. quod si unquam facere in animo uobis

est,

est, hoc nunc quàm maximè est faciendum, & in hac ipsa sancti spiritus solennitate. cui cum peccatorum remissio attribuatur, & peccata in confessione remittantur, opportunissimum tempus est, eadem nunc confitendi, & purificandi animi ac corporis, quę
1.Co.6. sancti spiritus habitationi sunt consecrata. [*an nescitis* (inquit Paulus) *quòd corpus uestrum templum est spiritus sancti, qui in uobis est, quem habetis à Deo, & non estis uestri? empti enim estis pretio. glorificate Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt Dei.*] Audistis in his apostoli uerbis, corpus uestrum esse templum spiritus sancti. at in hoc solenni ac spiritui sancto dicato die, hoc templum non emundare atque ornare quàm esset absurda res? quid prodest externum hoc templum, quod calce & lapidibus constat, tam accuratè exornare, si uerum Dei templum incultum relinquatur?
Act.17. [*non enim in manibus hominum factis templis Deus habitat*,] iccirco ne eorum quidem ornatum curat, nisi uosmet ipsi uestras illi animas & uestra corpora præparetis, idque hoc ipso die. quòd si nil aliud, certè hominum consuetudo docere uos potest, qui templa accuratius ornant eo die, quo illius Diui, cui templum dicatū est, memoria celebratur. sic cum corpus uestrum templum sit spiritus sancti, hodie quàm maximè templum hoc purgandum est, atque exornandum. Audistis præterea uos uestros non esse, sed eius, cuius pretio estis empti, quod alibi apertius exposuit, cum
2.Cor.5. dixit. [*Charitas enim Christi urget nos æstimantes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*] Si ergo in ius Christi ita uenimus, ut quod reliquum est uitæ, non iam nobis sed soli illi uiuamus, uidete quàm longè à scopo aberrent ij, qui nihil minus, quàm uiuere Christo cogitant, qui, cum toto anno aduersus eum hostiliter se gesserint, satis se fecisse putant, si exiguo dierum spatio in paschate simulent potius reconciliationem, quàm Christo reconcilientur. quis enim ueram eorum esse existimet reconciliationem, qui cum diu inimico inter se animo fuerint, & hostiles simultates exercuerint, paucis diebus reconciliata amicitia, mox ad easdem simultates reuertuntur? non cernitis quàm sit periculosum, in rebus tanti momenti, tam uecordes, tam supinos, tam stolidos esse?

quare

quare mutate hanc mentem & hos mores, mihi credite, & agnita tanti erroris præcipua causa, eam tollere festinate. neque uerò omnium uestrum causa hæc facta à me reprehensio est. audio enim quàm plurimos hodie id præstitisse, quod admonui, sed ut & reliqua ciuitas horum exemplum sequatur, & gaudium meum plenum sit. quod ut facilius assequamur, huius paracleti sancti spiritus opem sic mecum implorate. Sancte spiritus, qui hodie fidelium corda tuo numine impleuisti, hunc ignem, quem hodie è cœlo attulisti, immitte copiosius in horum ciuium corda, qui uetustatem omnem comburens in nouam eos transferat creaturam, qui amor uocaris, effice, ut hi ciues perfecta inter se iam charitate iungantur. ut dici & de his possit, quod de fidelibus, quos repleueras, scriptum legimus, [*credentium uidelicet numerum fuisse cor unum atque animam unam.*] *Act.4.* qui paracletus diceris, consolare corda nostra cœlesti consolatione, & da, ut ne humana consolatio, tuæ, quæ sola uera est, fiat impedimento. Largire etiam mihi horum pastori igneas illas linguas, ut ignitum eloquium tuũ in eorum mentes atque animos penetret, neque uacuum ad te reuertatur. denique induc nos in omnem, quemadmodum Christus de te fuit pollicitus, ueritatem, qui cum patre & filio uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO QVINTA.

De ſpiritu ſancto.

STVDIA me ueſtra fratres inuitant, atque adeo cogunt potius, & uim quandam afferunt, ut ea interdum aggrediar, quæ tentare, niſi ueſtra cauſa uobiſq; impellentibus, nullo modo auderem, uti ea nunc ſunt, quę ex apoſtolicæ lectionis occaſione de ſpiritu ſancto, ut à nobis tractentur, expectatis. Solidiſsimus hic ſanè cibus eſt, qui ſi, ut apoſtolus ait, perfectorum eſt, quantæ eos perfectionis eſſe oporteret, qui alios eodem cibo paſcere uelint? &, ſi Abraham ueritus ſermonem habere cũ
Gen.18. Deo, dicebat. [*Loquor ad Dominum meum, cum ſim pulnis & cinis,*] quid is faciet, qui non ad Deum, ſed, quod multò eſt maius, & penè temerarium, de Deo ſit locuturus. nam & bruta ac ratione carentia animantia ſuis quibuſdã modis Deum alloquuntur,
Pſ. 144. tur, atque illum inuocant. [*Oculi* (inquit) *omnium in te ſperant Domine,*] quod eſt tacitę quaſi locutionis genus. & illud aper-
Pſ. 146. tius. [*pullis coruorum inuocantibus eum.*] at uerò de ipſo Deo, deque eius ſubſtantia, ac natura hominem uelle, tanquam opus manuum figuli de eodem figulo diſputare, id omnino monſtro perſimile eſt. & tamen audemus homunculi plerunque ita de Diuinis rebus digladiari, ſententiaſque noſtras ita tueri, &, niſi illis cæteri aſſentiant, perinde iraſci, quaſi Deum ipſum pugno concluſerimus. neque uenit nobis in mentem, quòd non ſolum
Eccl,1. ſermo de Deo, ſed, ut ait ſapientiſsimus concionator, [*cunctæ res difficiles, nec poteſt eas homo explicare ſermone.*] & alibi idem.
Eccl.8. [*Intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem, eorum, quæ fiunt ſub ſole.*] ut deterreamur à ſecretiorum inueſtigatione. Verum licet nobis, ut alibi diximus, & in hac parte etiam laudi aſcribitur, ea ſcrutari, quæ ob hanc cauſam ipſe Deus per prophetas ſuos & apoſtolos tradi ſcriptis uoluit, ut intellecta

ipſorum

ipſorum uerborum ui & ſignificatione, quaſi quibuſdam ſactis gradibus ad eum, quatenus hominum imbecillitati ſas eſt, intelligendum aſcendamus. Quæramus ergo, (nam hoc propoſitum nobis eſt) quam ob cauſam apoſtolus munus dilectionis acceptũ referat ſpiritui ſancto, cum dicit. [*charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*] cum Deus ipſe, id eſt, tota beatiſsima trinitas, charitas ſit, Ioannis apoſtoli teſtimonio. cui quæſtioni ut, quemadmodum uos uelle uideo, reſpondeatur, utile erit, & fortaſſe etiam neceſſarium, aliquantò altiori principio inſtituere orationem. Atque illud in primis memi nerimus, omnes quidem Dei appellationes, quæ naturam eius uimque ſignificent, tribus æque perſonis ſine diſcrimine conuenire. ſed tamen earundem appellationũ nonnullas ita alicui perſonæ aſcribi, ut eius propriæ eſſe uideantur. quod ab ipſo ſummæ bonitatis Deo ita diſtributũ in ſacris literis credimus, ut qua licet, per ſpeculum in ænigmate in ijs interea tantiſper erudiamur, dum ueniat quod perfectum eſt, & quod ex parte eſt, aboleatur. Alioqui proprias ſic appellandi cauſas & rationes humanus animus capere, nedum excogitare, idoneus non eſt. quandoquidem humanæ omnes uoces & uocabula, ea etiam quæ apud nos maxi ma ſunt & præſtantiſsima, & quæ ipſi uni Deo attribuere ſoliti ſumus, longè plus diſsimilitudinis ad ueritatem, quàm ſimilitudinis habent. Quamobrem auſus fuit magnus uir Dionyſius profiteri, non eſſe in Deo neque potentiam, neque ſapientiam, neque ſcientiam, cæteraque, quę ut honorifica ſæpe illi tribuimus, ueritatem, bonitatem, uitam, lumen, unitatem, Deitatem. neque uerò patris rationem, neque filij, neque ſpiritum eſſe, breuiterque nihil eorum quę ſint, aut quę non ſint. Quare acutè certè & eruditè Platonicus uir Plotinus ait. [Tu quoties Deum dices, uel cogitabis, reliqua inde auferes omnia, quæ cum abſtuleris, & ipſum ſolum reliqueris, ne quæras ultra quid addas, ſed potius ne forte adhuc reliqueris aliquid, quod inde cogitatione tua nondum ſatis abſtuleris.] Qui tamen dicendi modus ita accipiendus eſt, ut intelligamus, in illis negationibus non ſimplicem ac ſolam ineſſe negationem, ſed excellentiores ibidem poſitiones affirmationeſque deliteſcere. ut, cum dicimus, eum non habere rationem, aut ſapientiam, aut bonitatem, non eum opinemur ijs priuatum eſſe, ſed & hæc & cætera omnia mul-

Rom. 5.

tò re digniora in illo inueniri, quàm ea, quæ hisce uocabulis describuntur. Verum hæc alterius est temporis contemplatio, quare ad institutam orationem reuertamur. Dicebamus eandem rem ita communem esse toti trinitati, quę Deus est, ut unius interdum personę fiat propria, ut cum dicimus, legis nomine propriè quidem Mosis libros significari, & tamen communi quodam dicendi usu eodem uocabulo omnia ueteris instrumenti uolumina ac-
Ioa.15. cipi consueuerunt. quemadmodum cum ueritas ait. [*ut implea-*
Luc. 24. *tur sermo, qui in lege eorum scriptus est, odio habuerunt me gratis.*]
Psal.24. hic psalmorum librum legis uocabulo nuncupauit, quem à lege
Luc. 24. alio loco distinguens dixit, [*sicut scriptum est in lege & prophetis & psalmis de me.*] Sic itaque, & si ipse Dominus interroganti adolescentulo, magister bone, responderit, [*nemo bonus, nisi unus,*]
Mar.10.
nimirum [*Deus,*] nulla facta personarum distinctione, consueuit tamen boni appellatio spiritui sancto tribui, ut cum ait prophe-
Ps. 142. ta. [*spiritus tuus bonus deducet me in terra recta.*] & alibi. [*quàm*
Sap. 12. *bonus & suauis est Domine spiritus tuus.*] ob hanc opinor causam, quòd omnis gratiarum ac munerum, quæ ad homines ueniunt, distributio ad ipsum refertur. at bonitatis id proprium est, sua alijs impertiri, ac in plures esse beneficum, atque in ignis morem sese diffundere. cum enim quæritur, quam ob causam Deus mundum hunc fecerit, nihil aptius respondetur, quàm quia bonns est. rectè ergo spiritui sancto bonitas datur, cui eidem donorum assi-
Esa.11. gnatur erogatio. [*requiescet* (inquit) *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus*
1.Co.12. *scientiæ & timoris Domini.*] & Paulus. [*Diuisiones donorum sunt, idem autem spiritus. & diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. & diuisiones operationum sunt, idem uerò Deus, qui efficit o-*
ibidem. *mnia in omnibus,*] qui Deus? nempe de quo subdit. [*unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij efficacia potentiarum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum. hæc omnia autem agit unus atque idem spiritus, diuidens singulis, prout uult.*] & Da-
Psal.32. uid. [*uerbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis potestas eorum.*] id est, quicquid constans & solidum & firmum, uel

uel in hoc cœlo, qui aspectibus hominum patet, uel in cœlestibus illis potestatibus inuenitur, quatenus ad sanctificationem earum, & ad quamlibet eis conuenientem uirtutem pertinet, id totum sancti spiritus opera factum est. Quare sapienter magnus Basilius dat patri causam προκαταρκτικὴν, quasi præcedentem & primariam, filio δημιουργικὴν, artificem & efficientem, spiritui sancto autem, τελειωτικὴν, hoc est, perfectiuam, quæ tanquam supremã manum rebus imponat. quocirca de eodem scriptum est. [*spiritus Domini ferebatur super aquas*,] uel fortasse expresius, [*fouebat aquas*.] & ad exprimendam eiusdem bonitatis effusionem alio loco dicitur. [*spiritus Domini repleuit orbem terrarum*.] effulget enim in omnibus, &, quemadmodum solis radij in nubẽ immisi, aspectum auro similem faciunt, sic spiritus sanctus omnia illustrat. in hominis enim corpus ingressus dat uitam, dat immortalitatem, dat sanctificationem, excitat iacentia. [*à quatuor* (inquit) *uentis ueni spiritus, & ossa arentia reuiuiscant*.] Hoc inhabitante humanam mentem, repente fiunt prophetæ, apostoli, pastores, doctores, angeli Dei, qui antea fuerant terra & cinis. Agit sua uoluntate omnes sanctos, & naturam omnem præditam ratione, ipse omnibus cœlestium potestatum & sanctorũ omniũ infudit agminibus, ut rectè dictum fuerit. [*spiritus eius ornauit cœlos*.] Verum quia proprium bonitatis dilectio est, aut fortasse potius (quandoquidem bonitas studium quoddam est & amor benignè faciendi) est bonitas ipsa dilectio, dum amat ipsa sese omnibus communicare, hic idem spiritus sanctus charitas & dilectio & amor appellatur, &, quod ab Ioanne dictum absolutè cõmuniterque uidetur, [*Deus charitas est*,] siquis subtilius inspectet, ad spiritum sanctum pertinere iudicabit. cum enim dixisset. [*Charissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum*,] adiecit. [*qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus dilectio est*.] at iam dixerat, dilectionem esse ex Deo, nunc uerò & Deum esse. Deum igitur ex Deo habemus. sed cum etiam filius sit Deus ex Deo, hic tamen significantius uidetur de spiritu sancto expressum ex eo, quod paulò post ait. [*ex hoc cognoscimus quòd in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*.] manere autem Deum in nobis, id per dilectionem fit, cum ibidem dicatur. [*si diligimus*

Margin: *Gen.* 1. — *Sap.* 1. — *Eze.* 37. — *Iob.* 26. — 1. *Ioan.* 4 — *ibidem.* — *ibidem.* — *ibidem.*

nos inuicem, Deus in nobis manet.] at hæc dilectio in hac ipsa apo-
Rom.5. stoli lectione (ut quod quærebatur, obiter declaratum sit) [*effu sa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*,] ut ipse sit & dilectio, subsistens in Diuinis persona, & dilectionis do num, quod ad nos ab ipso deriuatur. Hanc ego ob causam existimo, cum theologi summæ trinitatis similitudinem aliquo modo in rebus creatis adumbrare conantur, eamque similitudinem ab humana anima accipere, uim eam, quæ ad uoluntatem pertinet, spiritui sancto ascribi, quæ uis non nisi affectus quidam sit, atque amor, quem etiam eidem iam assignauimus. etenim cum nos dicimus uelle dare operam literis, nil significamus aliud, quàm nos studium literarum amare, & eodem modo quicquid quacunque de re uolumus, idem amare etiam profitemur. At uerò eædem sacræ literæ, quæ spiritui sancto hæc uocabula dant, bonitatis, & amoris, doni etiam nomen adiungunt, quod superioribus est uocibus maximè consentaneum. Cum enim Samaritanæ mulieri
Ioan.4. dixisset Dominus, [*si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi. da mihi bibere, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.*] donum hoc aquam dixit, cuius alio loco mentio facta est ab eodem
Ioan. 7. Seruatore cum dixit, [*qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. hoc autem* (adiecit Euangelista) *dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*] De eo-
Psal.67. dem dono sic ait propheta. [*ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*] nimirum illud præcipuum donum, quo repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, & euaserunt apostoli, prophetæ, Euangelistæ, pasto res & doctores, ut Paulus ad Ephesios hunc locum interpretatur. At uidete quàm apposite, & dudum iam dictis nominibus conuenienter, etiam spiritus sanctus appelletur, &, quanquam scriptum sit, Deum spiritū esse, huic tamen personæ maximè accommodetur. Spiritum .n. agitatum aërem uocamus, qui sanè aër cum per se subtilem sortitus naturā sit, subtilior euadit tamen motu & agitatione. neque uerò id tantum in eo consideratur, sed & agilitas ipsa atque uelocitas, adde etiam uehementiam & impetum. quare huic ea tribuuntur, quæ non celeriter solùm sed etiam uehemen-
Psal.47. ter & summa cum ui fiant, ut illud. [*in spiritu uehementi conteres*
Exo.15. *naues Tharsis.*] &, [*flauit spiritus tuus & operuit eos mare.*] Eodem pertinet,

pertinet, quòd ea in hominibus uis, quo impellimur ad affectus & permouemur, ſpiritus uocitetur. ut eſt illud. [*anima mea deſiderauí te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis.*] & ipſa uirgo Dei mater. [*magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus.*] Diffunditur præterea natura ſpiritus, idq; exiguo penè momento, & latiſsima ſpatia circumplectitur. & ob eã cauſam ſæpe in Diuinis libris, cum de Diuinis cœleſtibusq; rebus agitur, & ignis & ſpiritus, quæ geminæ ſubtiliſsimæ apud nos naturæ ſunt, ſimilitudines accipiuntur. ut, [*Deus tuus ignis conſumens eſt,*] & de cœleſtibus mentibus. [*qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammã ignis.*] Quàm rectè igitur huic bonitati, & affectui & amori, ſpiritus nomen eſt, quibus rebus diffundi & expandi ſit propriũ. Quare, ut huius rei euidentior fieret ſignificatio, cum implendi eſſent apoſtoli hoc ſpiritu, etiam ſenſu corporis auditus eſt ſonitus uenti. [*& factus eſt* (inquit) *repente de cælo ſonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum, ubi erant ſedentes.*] At cur adiectum eſt, ſanctus, quod toti etiam trinitati beata illa ſeraphin ter repetito nomine acclamauerunt? fortaſſe ut uelocitas quidem & uirtus in ſpiritus nuncupatione ſeruaretur, ſed terror, qui in ſpiritu interdum intelligitur, remoueretur. & iccirco nunc ſanctus, nunc bonus adijci ſolent. ſiue etiam quia huic aſcribitur ſanctificatio. nam puræ illæ ac mente præditæ cœleſtes naturæ ſanctæ ſunt & uocitantur propterea, quòd ſanctificationem ab huius ſpiritus gratia ſunt adeptæ. ad hunc enim diximus uim perficiendi pertinere. at angelorum perfectio ſanctificatio eſt. Quòd ſi rurſus quæratur alia ratio, quamobrem uocetur ſpiritus, intelligere in eo poſſumus cõiunctionem, quam cum filio habet, atque etiam cum patre, quod pulcherrimè expreſsiſſe mihi uiſus eſt propheta, qui dixit. [*uerbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris omnis uirtus eorum.*] ecce os, uerbum, ſpiritus, quæ tria in unum in pronuntiatione conſpirant. ob hanc etiam cauſam incarnatio filij Dei per ſpiritum ſanctum facta dicitur, ut operandi coniunctio intelligatur. ſicut enim cum uerbum ſeu ſermonem, qui in mente deliteſcit, exprimere foras uolumus, tanquam uoce ueſtimus per ſpiritum loquentis, ſic filius Dei, qui uerbum patris appellatur, ut uolente patre declararetur nobis, carne ueſtitus eſt per ſpiritus ſancti operationem. Sed meminerimus ſem-

per-

Eſa. 26. *Luc. 1.* *Deu. 4.* *Pſ. 103.* *Act. 2.* *Pſal. 3*

per necesse est, similitudines esse has, quæ propriam rerum naturam æquare non possint. etenim cum significare uolumus filij, qui sermo appellatur, cum spiritu quendam quasi nexum, dicimus oportere, ut sermo spiritum habeat, cum & sermo noster expers spiritus minimè sit. at is, qui in nobis sit, spiritus aliena res est à nostra substantia, cum sit aëris attractio, qui & attrahitur & effunditur ad seruandam corporis constitutionem, qui flatus in pronuntiandi tempore uox ipsius uerbi & sermonis fit, uim eiusdem deferens in seipso. at uerò in diuina natura, quæ simplex est ac sine ulla compositione, esse quidem spiritum Dei piè fatemur propterea, quòd non sit sermo Dei nostro sermone indigentior, sed contra pietatem esse, existimare spiritum sanctum alienum esse aliquid, & extrinsecus introductum, quod in nobis, qui compositi sumus, usu euenit. Sed, quemadmodum, cum Dei sermonem audimus, non aliquid opinamur, quod non subsistat, ut id, quod uoce profertur, quoque disciplinæ admittuntur, quod per aërem funditur atque dissoluitur, sed quod secundum substantiam existat, arbitrio præditum, agens, omnipotens. sic spiritum Dei intelligimus, qui sermoni, id est, filio Dei cohæret, substantiam, uim, & efficaciam suam demonstrantem, non ut flatum, qui subsistere nequeat. qui enim sic cogitarent, deprimerent atque deijcerent ad humilitatem nostram Diuinæ naturę maiestatem, si ad similitudinem nostri spiritus, spiritum Dei arbitrarentur. Sed intelligendum est, eum esse quid subsistens, atque per se in una secretaque à cæteris persona cõsideratum, ipsumque ex patre procedere, atque in filio requiescere, neque à patre unquam aut filio esse disiunctum. substantiam uiuentem, liberam, per se agentem pro uoluntatis arbitrio, principio ac fine carentem. neque enim unquam defuit, neque defuturus est patri sermo, neque sermoni spiritus. Itaque fiet, ut per unitatem naturæ, multorum Deorũ error amoueatur, & in personarum distinctione Iudæorum dogma destruatur, quod uerò ab utraque parte utile est, id nobiscum faciat. ut à Iudaica opinione unitatem naturę, ab ethnicis uerò solam secundum hypostases atque personas distinctionem & numerum accipiamus, Sed, cum animum refero ad illa tempora, quibus malè spiritus sanctus ab hereticis audiebat, cogito duas fuisse causas, quibus impiè quidem, sed tamen mouerentur, ut existimarent

eum non Deum esse, sed energiam quandam, & actionem & efficaciam, non autem quippiam in diuinitate subsistens. unā, quòd cernerent munera ferè omnia è cœlo in homines allata, & à spiritu tradi, & spiritum appellari. alteram, quòd minus apertè in sacris literis Diuinitatis nomen, cum de spiritu sancto sermo esset, inuenirent. Quorum opiniones cum à doctissimis uiris refutatæ sint, tum illud acutissimè dictum fuit à theologo Nazianzeno, & demonstratum, non necessarium esse ad faciendam Diuinitatis fidem, ut aperta Dei appellatio apponeretur, sed satis idonea esse uerba, quæ uim eandem habeant, idemque significent. Sed satius erit, ut sententiam eius & eadem penè uerba utilitatis uestræ gratia Latina faciam, quæ multum sanè proderunt ad alia secretiora excogitanda. sic ergo ait. [Si, propterea quòd spiritus sanctus non admodum manifestè scriptus sit Deus, neque tam frequenter mentio eius facta, ut olim patris, postea filij, blasphemiæ tibi occasio est, & superfluæ huius garrulitatis atque impietatis, ab hoc te nos damno & periculo liberabimus. siqua exigua de rebus ac nominibus, præsertim secundum scripturæ sanctæ consuetudinem fuerimus philosophati. Rerum aliæ non sunt, sed dicuntur. aliæ contra sunt & non dicuntur. aliæ neque sunt neque dicuntur. aliæ utrunque, & sunt & dicuntur. harum quatuor partium petis à me rationem tibi demonstrari? paratus sanè sum. Dormit in scriptura Deus, & uigilat, & irascitur, & graditur, & thronum, id est, sedem habet cherubin, & interdum affectibus mouetur, interdum corpus ei tributum audiuisti. hæc, cum nihil horum sit, ita sunt efficta, cum nos, quatenus assequi possumus, ex more nostro res Diuinas appellamus. nam, cum cessare, & quasi negligere nostra uidetur ob eas causas, quas ipse nouit, dormire dicitur. dormire quippe nostrum eiusmodi est, sine actione & negotio esse. at repente cum quasi mutatus bene nobis facit, uigilare. solutio enim somni uigilia, sicut & auersionis uisitatio. Pœnam uerò adhibere irasci finximus. nam apud nos ultio sequitur indignationem. at, cum modo hic modo alibi agit, ire uocatur. itio enim ab alio loco ad alium transitus est. requiescere autem in cœlestibus illis mentibus & quasi libenter immorari, sedere est & thronum habere. etiam hoc nostrum est. etenim nulla in re ita, ut in sanctis, Deus requiescit. Iam uelocitas motus, actionem. uisitatio uultum. dare & accipere, manum. breuiter singulæ prorsus actiones, aut uires eius, singulas nobis partes corporis figurarunt. Rursus unde acceptum habes illud ἀγέννητον, hoc est, non genitum, & ἄναρχον, hoc est, sine principio, tuas nimirum arces? aut nos immortale? hæc suis nominibus uoca, aut describe, & continuò ex omnibus, quæ tibi ipse subieceras, decidisti, dirutis nominibus tuis, & illo refugij muro, quo confidebas. an non manifestum est, hæc intelligi ex ijs,
quæ ista significant, tametsi non dicantur? quænam ea?] [*ego sum primus* Esa. 43.
& ego post hæc] & [*ante me non est alius Deus, & post me non erit.*] Esa. 44.
omne enim esse meum est, quod neque cœpit, neque est desiturum. his acce-

ptis,

ptis, illud quidem non esse quicquam ante eum, neque causam habere se antiquiorem, sine principio & non genitum nuncupasti. non desiturum autem esse, immortale atque indeficiens. Et hæ quidem geminæ rerum coniugationes ita se habent. sed quæ illa sunt, quæ neque sunt neque dicuntur? ut Dei naturam malam esse, sphæram quadrangularem, præteritum præsens, hominem non compositum. quem enim tam stupidum & uecordem nosti, qui tale quippiam dicere ausus sit, aut cogitare? restat, ut dicamus, quænam & sint & dicantur. Deus, homo, angelus, iudicium, & inter hæc, quod hi tui syllogismi uanitas sunt, & euersio fidei & mysterij exinanitio. Cum ergo tanta in nominibus sit rebusque differentia, quo tu pacto ita literæ seruis, & efficeris Iudaicæ sapientiæ particeps, & relictis rebus syllabas sequeris? Quod si te dicente bis quinque, aut bis septem, ego decem & quatuordecim ex dictis colligerem, aut pro his uerbis, animal rationale mortale, hominem dicerem, num uiderer tibi nugari? at quo pacto cum tua dicerem? neque enim sermones magis sunt eius qui dicit, quàm qui dicere compellit. Sic igitur hoc loco, non ea potius quæ, dicerentur, quàm quæ intelligerentur, considerarem. sic neque, siquid aliud inuenirem in scriptura, quod non diceretur, aut minus apertè intelligeretur, cauerem illud pronuntiare, metuens te nominum sycophantam.]

Hactenus ille. qui præterea rationem etiam reddit, cur necesse fuerit rem theologicam hoc ordine progressus suos facere. neque enim esse naturam hominum ita capacem, ut omnia posset, præsertim tanta tamque sublimia eodem & uno tempore comprehendere. icirco post agnitum multis iam seculis patrem, filij nomen introductum, cuius agnitio dum bene penitus mentibus hominum inserretur, non tutum fuisse ita apertè spiritum sanctum in medium proferre, ne, ut accidere plerunque in cibis solet, supra uires locus ille animi nostri stomachus aggrauaretur, &, quod ij patiuntur, qui infirmos ac lippientes oculos in solis radios attollunt, etiam quæ pars incolumis est, periclitaretur. sed facto per partes additamento, atque, ut dixit Dauid, gradibus, & ascensibus, progreßibusque à gloria in gloriam, trinitatis lumen demum orbi terrarum illuxisse. Ego uerò magis miror eos hæreticos, qui tam humiliter de spiritu sancto sensere, non saltem Platonicorum sententijs esse permotos, qui hunc esse quiddam per se subsistens confitentur, sed animam mundi frequentius uocant, interdum & spiritum, quod poëta expreßisse uisus est his uersibus.

> Principio cœlum, ac terras, camposque liquenteis,
> Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
> Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

quam opinionem, quòd hic uidelicet mundus, qui aspectibus patet,

tet, anima prędítus ſit, tanquam ingens quoddam animal, cui cum hominem opinor compararent, mundum & ipſum, ſed exiguum nuncupauerunt. hanc igitur de mundi anima opinionem, unde ij, & eorum princeps Plato acceperint, nihil tam mihi uidetur ſimile uero, quàm quòd lectis ſacris Hebræorum libris, quorum ſtudioſiſsimum fuiſſe Platonem ſatis perſpicuum eſt, ueritatem, quæ apud nos apertius exprimitur, ijs uerborum inuolucris obtegere, ut pleraque alia ex noſtris, ſint conati. Nam quod Plato ad Dionyſium in ænigmate ſcribit his uerbis. [circa omnium regem cuncta, ipſius gratia omnia, ipſe pulchrorum omnium, circa ſecundum ſecunda, tertia circa tertium.] & illa etiam, quæ ad Hermiam, Eraſtum, & Coriſcum ita ſcribit, teſtando Deum rerum omnium ducem, præſentium & futurorum, ac ducis & cauſæ patrem Dominum. hęc inquam, Clemens Alexandrinus, magnæ uir eruditionis affirmat, à Platone de trinitate dicta eſſe. quę profectò niſi aut Diuinitus aut à noſtris accepiſſet, ſcire nullo modo potuiſſet. Id etiam ipſum de ijs, qui ſecuti eum, aliqua de trinitate tractauerunt, ſentiendum eſt, ut ſunt quæ Proclus in Alcibiadem Platonis in hunc modum ſcripſit. [Tres ſunt in Diuinis ſubſtantiæ, & prima quidem obſignata ſit bono, ipſum ſcilicet bonum ex ſe intelligens, ubi, ſicut ſacra eloquia tradunt, unitas eſt paterna, ſecunda uerò per ſapiens deſignetur, ubi prima uiget intelligentia, tertia per pulchrum definiatur, ubi intelligibilium eſt pulcherrimum. & tres, ſecundum has intelligibiles cauſas unitates exiſtunt. fides, ueritas, amor. fides quia omnia firmat in bono. ueritas omnem in entibus cognitionem explicat. amor conuertit omnia, congregatque in ipſius pulchri naturam.] Videte quàm omnia penè noſtra ſint, & ut eædem ipſæ uoces ibi inſint, quibus noſtri utuntur. Verum nos, ſi bona noſtra nouerimus, multò beatiores, qui omnia hęc maxima dogmata, non humanis cogitationibus compoſita, ſed à Deo per prophetas & Diuinos homines è cœlo ad nos demiſſa habemus. Quocirca poſitis ita ualidis fundamentis, hoc ſit ſtudium noſtrum omne, hanc aſsiduè incudem tundamus, &, ut propheta admonet, in lege Domini die noctuque meditemur. iuuante eodem ſancto ſpiritu, cui cum patre & filio eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

G ORATIO

ORATIO SEXTA.

quæ habita fuit in Dominica infra octauam natiuitatis Domini.

ILLVD mihi hodie faciendum est, quod solent homines, cum ad solenne aliquod conuiuium inuitantur, in quo multa ferculorum genera & diuersę ciborum delitiæ sunt propositæ: tunc enim, cum stomachus non ferat, ut omnia quæ apponuntur, ingurgitent, eligunt singula saltem degustare, ut omnium suauitate fruantur. simillimè nos, cum ingentes spiritualium alimentorum diuitias atque delicias, quas per hosce dies Diuina nobis liberalitas obtulit, neque ego lingua effari, neque locus ille animi nostri stomachus, si omnia proponantur, concoquere idoneus sit, ea delibare conabimur, ne tam liberalem huius conuiuij instructorem, & illius munificentiam neglexisse uideamur. Atque utcætera interim prætermittamus, tres celebrati à nobis dies sunt, quorum singuli non una tantum concione esse contenti possent, ut aliquid de illis pro dignitate diceretur. hi autem sunt, Domini ac Seruatoris Christi sancta natiuitas, Stephani item natalis ac Ioannis Euangelistæ, de quibus cum loqui plures dies non possimus, hodierna concione eos coniungemus, & nati Domini pręsepe duntaxat proponemus, Stephani lapides, & Ioannis Euangelistæ alas, quem è quatuor animalibus ab Ezechiele uisis, aquilam esse, patres nostri sunt interpretati. Primum ergo ad præsepe Domini adorandum veniamus, & cum pastoribus [*transeamus usque Bethlehem*,] hoc est, domum panis, illius inquam panis, qui è cœlo descendit, & [*uideamus hoc uerbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis. à Domino enim* (nam ab alio fieri res tanta non potuit) *factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*] quid enim fieri aliud mirabilius potest, quàm ut is, qui omnium est auctor, & creator, & conseruator, præsepis

Luc. 2. *ibidem.* *Ps. 117.*

præſepis anguſtijs concludatur? [*Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethlehem Iudææ*,] & naſcitur in ſtabulo, ac in præſepi collocatur. hic eſt, qui [*in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat hoc uerbum*,] per quod omnia facta ſunt. & hoc uerbum caro factum eſt, & inter nos fixit tabernaculum. & pannis inuolutum eſt, ac repoſitum in præſepi. is, qui in tantam celſitudinem ſublatus eſt, ut [*in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*,] ita ſe pro nobis deiecit, ut ſtabulum & pręſepe ſuę natiuitati non eſſe indignum domicilium iudicauerit. In ipſis initijs præſtitit Dominus, quod ipſe de ſe, cum humilitatem atque animi ſubmiſsionem commendaret, dixit. [*diſcite à me, quòd mitis ſim & humilis corde*.] Et ſanè mirum eſt, homines tantum tanti Dei exemplum non imitari, atque adeo ab eo tam eſſe auerſos, ut nihil magis uideantur perhorreſcere. Filius Dei Deus factis ipſis, non uerbis ſolum, oſtendit, quanti humilitas ſit facienda, demittens ſe non ſolum ad humanę naturæ infirmitatem, uerum etiam infra omnium hominum humillimam fortunam. & nos puluis ac cinis poſſumus inſoleſcere. O' ſtultitiam, ò temeritatem non ferendam. non uenit ſaltem nobis in mentem illius moris, qui hominibus eſſe familiaris ſolet? ut ſcilicet principum, quibus ſubiecti ſunt, facta ac mores ſtudeāt imitari, non ſolum ut eis placeant, ſed etiam propterea, quòd hęc principum imitatio gloriam ſecum quandam affert, tantique hæc à pleriſque fit, ut uitia interdum non inglorium eſſe cenſeant imitari. cur ergo idem in Diuino hoc exemplo non pręſtamus? cur, ſi non ob eam cauſam, ut tam benefico regi rem gratam faciamus, non ſaltem ambitione & glorię appetitione ad amplexandam humilitatem rapimur, ut gloriari poſsimus, nos ipſius filij Dei factos eſſe imitatores? Solent item homines plurimi facere, ſi cui rex aliquis ac princeps ſua ſuæque domus inſignia ferenda det. at hoc æterni regis Chriſti eſt inſigne præcipuum, ſeſe tam uehementer demiſiſſe, quemadmodum ait Paulus, [*qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum, in ſimilitudinem hominum factus, & forma inuentus ut homo*.] quòd ſi uilitas hæc tantaque ſubmiſsio uos ad eam imitandam reddit inertiores, cur non erigat atque inflammet quod ſequitur? [*propter quod & Deus extulit illum*] in ingentem celſi-

Luc. 2.
Ioan. 1.
Phili. 2.
Mat. 11.
Phili. 2.
ibidem.

tudinem, [*& donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus.*]
2.Tim.2 humilitas illa hanc celsitudinem parit, [*si enim simul patimur, si-*
Phili.3. *mul & regnabimus. nam expectamus* (ait Paulus) *Seruatorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humile nostrum, ut conforme reddat glorioso corpori suo.*] quòd si neque ut ei gratificemur, cui tantum debemus, neque ob gloriam, quę comitari regum imitatores solet, neque demum tam ingentium bonorum spe commouemur ad submissè nos gerendum, profectò non homines sed ratione carentia animantia, aut potius stipites ac
Luc.2. lapides, & res omni sensu carentes sumus. [*Iesus Christus filius Dei nascitur*] in stabulo, & in præsepi collocatur. delectat enim me eorundem uerborum grata repetitio. uidete uerò, ut quemadmodum humiliter nasci uoluit, sic & natiuitatem suam humilibus uoluit esse reuelatam, nempe pastoribus, quorum uita simplicior atque innocentior esse solet. prætermissi fuerunt scribæ & pharisæi, qui amabant primas cathedras & primos recubitus in cœnis, & uocari ab hominibus rabbi, & electi pastores, tanti miraculi spectatores. quanquam sine mysterio non est, quòd pastoribus, atque eo tempore, quo uigilabant alijs dormientibus, & excubabant excubias nocte super gregem suum, hęc fuerit natiuitas reuelata. nam ij primum, aut ij soli potius horum arcanorum cœlestiumq; mysteriorum sunt participes, qui pastores imitati, suos sensus, qui tanquam grex quidam sunt regendi, & sub cura habēdi, diligenter custodiunt, ne uagi fiant, & curiosius uagantes spiritualibus lupis prædę sint. Obseruandum & illud est, duobus pręcipuè hominum generibus sanctam hanc natiuitatem fuisse declaratam, magis, qui sapientiæ & rerum agnitioni operam dabant, & pastoribus, simplicibus nimirum & innocentibus hominibus. nam mundis corde Diuina uisio promittitur, huic autem munditię ac puritati proximè accedunt, qui cœlestium rerum cōtemplationi incumbunt, uel artem aliquam exercent, quæ à fraudibus plurimum sit aliena, quo in genere pascendorum gregum cura esse solet. Fortasse uerò hoc etiam iccirco factum est, ut qui sapientiæ operam dant, ita expectent cœlestibus frui mysterijs, ut idiotæ non desperent, modo integram atque à peccatis liberā agere

re uitam uelint, suam etiam sibi partem esse reseruatam. quare nullum hominum genus, nisi sua culpa, harum diuitiarum ac thesaurorum erit expers, quando iccirco propositi sunt, ut omnis sexus, omnis ætas, omnes artes honestæ ac facultates, eorum esse participes possint. ob hanc enim causam Dei filius non solum homo fieri, sed nouissimus (ut dixit Esaias) tenuissimusque omnium hominum uoluit, ut fidem faceret, nullius quamuis abiectam sortem à se esse reijciendam. [*Iesus Christus filius Dei nascitur*] in stabulo, & in præsepi collocatur. uidetur mihi fieri nullo modo posse, ut qui hanc philosophiam intimis sensibus perceperit, eâq; ex animo fuerit amplexatus, amare diuitias, & ambire honores possit. si enim credimus Iesum Christum esse Dei filium, sapientiam patris, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sint, qui non solum redemptor, uerum etiam uitæ magister sit datus generi nostro, & melioris uitæ dux, profectò habere pro certo debemus, omnia quæcunque ille uel fecit uel elegit, omnibus numeris esse absoluta, quæ autem reiecit, eadem & nobis, ut inutilia & damnosa etiam esse reijcienda. at cum ita humiliter nasci uoluerit, eandemque humilitatem per totam uitam seruauerit, diuitias uerò & honores recusauerit, significatio fit, eam uitam, quã ipse elegerit, esse potiorem. quod si ita est, quæ est hæc absurditas, ut qui à Christo cognomen accepit, diuersa atque adeo contraria illi uia ingrediatur? ij ergo, qui id agunt, facilè arguuntur, se solo nomine, non seriò atque intimis affectibus Christianam philosophiam profiteri, à quo factis ipsis maximè abhorreant. [*Vulpes* (inquit) *foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet,*] & eius sectatores audebunt optare diuitias? [*cum esset diues,*] nempe Dominus omnium, [*pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate ueris opibus ditaremur.*] & homo Christianus ijs diuitijs, quas ipse salutis hominum gratia recusauit, affici patietur? contra potius faciendum esset, atque ad earum appellationem exhorrescendum, fugiendumque tanquam a conspecto serpente, atque utendum opibus esset, non ueluti re expetenda sed tanquam pharmaco ac medicamento aliquo, quibus homines non ad satietatem utuntur, sed quàm possunt minimum accipiunt, & quantum ad uel conseruandam uel recuperandam sanitatem satis esse fuerit à medicis iudica-

Esa. 53.
Luc. 2.
Matt. 8.
Luc. 9.
2. *Co.* 8.
ibidem.

iudicatum. sic diuitiarum usus ac necessitas non definienda esset à uobis, sed prudentioris alicuius ac spiritualis uiri iudicio metienda. diuersa autem ratione hic spiritualis medici iudicium esset requirendum, quàm in corporeis medicamentis. in illis enim si uestro arbitrio res permitteretur, minus acciperetis, quàm medicinæ ratio requireret. hic uerò contra, si uobis iudicandum relinquatur, eam summam uobis usurpatis, quæ uos obruere potius quàm iuuare consueuerit. Sed memini è tribus propositis partibus, duas adhuc superesse. quare ad Stephani lapides ueniamus. Hic quemadmodum uos scire arbitror, lapidibus
Act. 7. fuit obrutus. cum enim in Iudæorum concilium esset ductus, atque à falsis testibus accusatus, quòd loqueretur uerba contumeliosa aduersus locum sanctum & legem, ipse cœpit reddere rationem eorum, in quibus accusabatur, cumque repletus esset
ibidem. spiritu sancto, Diuina uisione factus fuit dignus, itaque [*intentis in cœlum oculis, uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & dixit, ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.*] quo audito illi, qui non erant horum capaces, & odio in Stephannm exstimulabantur, perinde quasi blasphe-
ibidem. ma uerba protulisset, [*exclamantes uoce magna continuerunt aureis suas,*] qui mos ab ijs seruari solebat, qui blasphemantem aliquem audiuissent. quod sanè fieri & à uobis deberet, cum tam horrendis blasphemijs ac contumeliosis uerbis incessunt san-
ibidem. ctum Dei nomen. ij ergo cum continuissent aureis, [*impetum fecerunt unanimiter in eum, & eiectum è ciuitate lapidibus impetiuerunt.*] hoc autem mortis genere afficiebantur illi duntaxat, qui ingenti aliquo scelere fuissent contaminati. atque iccirco maximè probrosa erat ea mors. & uidete ut pulchrè conueniat. primus hic martyr fuit, & quemadmodum Seruator Christus teterrimum ac crudelissimum mortis genus perpessus fuit, ita hic quantum potuit proximè accessit, atque ignominiam Dominicæ mortis fuit imitatus. Hic Christiani hominis esse scopus debet, hæc eius uirtus ac fortitudo, non cum in aliorum damnum ac perniciem exercet uires suas, sed cum ad tolerandum fortis est. nam rectè quidam singulari sanctitate uir dixit. [Christianum hominem oportere robur habere non mallei sed incudis.] Utraque enim res fortis est, sed altera ad feriendum, altera ad perferendos

ferendos

ferendos ictus. & sanè gloriosior est fortitudo eius, qui ferendo perdurat. nam alios lædere feræ magis ac bestiæ possunt, eæque quo fuerint immaniores. at fortitudinem ferendo exercere soli uiri præstantissimi, & in omni uirtutis genere exercitati consueuerunt. Sed amissa ferè nunc est tam præclaræ uirtutis agnitio, & illam, quæ Christianum in primis decet, tolerantiam, malorumque perpessionem fugimus ac perhorrescimus propterea, quòd non cogitamus neque quantum debeamus Christo, neque quanta sit promissorum bonorum retributio. in nascentis uerò ecclesię primordijs non ita erat. uidete enim quid in epistola ad Hebręos dicatur. [*Redeant uobis in memoriam superiores dies, in quibus illuminati ingens certamen sustinuistis afflictionum, partim quidem dum & probris & pressuris affecti, spectaculo fuistis omnibus, partim dum consortes ita conuersantium facti estis, si quidem & afflictionum, quæ ex uinculis meis contigerunt, participes fuistis, & direptionem facultatum uestrarum cum gaudio accepistis, scientes uos habere in uobis potiorem substantiam in cælis ac manentem.*] Hæc tam ingentis præmij cogitatio efficiebat, ne unquam perferendo defatigarentur. quare eodem loco sequitur. [*ne abijceritis igitur fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. nam patientia uobis est opus, ut ubi uoluntatem Dei peregeritis, reportetis promissionem.*] &, nequis longum expectandi tempus cogitans animo caderet, adiecit. [*adhuc enim perpusillum temporis, & qui uenturus est, ueniet, & non tardabit. neque enim*, ut beatus Petrus ait, *tardat Dominus qui promisit,*] quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, nam mille anni, ut paulò superius dixerat, apud Dominum ut dies unus sunt. Hoc non solum cogitandum, uerum etiam expectandum nobis est, & intendendi semper oculi in auctorem uitę & ducem Dominum Iesum Christum, qui tota sua uita humilitatis & patientiæ & obedientiæ exempla præbuit. meminisse oportet, omne tempus, quo hic uiuendum est, tempus esse pugnæ ac certaminum, non ocij & quietis, non mercedis percipiendæ. quin uæ illis, de quibus dicitur, acceperunt mercedem suam. cum paterfamilias munerare operarios uoluit, expectauit uesperam, & tunc demum dixit dispensatori. [*uoca operarios. & redde illis mercedem.*] quò magis reprehendendi illi sunt, qui dicunt se non posse, ut Christianum uirum decet, uiuere

Heb. 10.
ibidem.
Aba. 2.
Heb. 10
2. *Pet.* 3
Mat. 20

uiuere propterea, quòd aduersarios habeant, qui identidem illis negocium facessant. atqui hæc uia una est, qua Christiano homini est ingrediendum, qua sublata occasione, nihil præterea reliquum sit, quo Christianæ philosophiæ germana illa generositas declaretur. quis unquam miles pacis tempore famam uirtutis ac roboris est assecutus? hæc in bello & in prælijs comparantur.

Esa.5. O nos miseros, qui dicimus bonum malum & malum bonum, & ea in primis auersamur, à quibus expectanda in primis bonorum omnium summa est. multò uerò minus sunt excusandi, qui dicunt se rei familiaris curis obrui, graui familia premi, quarum rerum solicitudine perturbari sit necesse, nec posse se ita Deo adhærescere, ut oporteret, atque à peccatis abstinere. hoc omnino est ad excusandas excusationes in peccatis. Dicite enim mihi, si quis uestrum amicum in hac urbe haberet ditissimum suique amantissimum, à quo certò sciret, quibuscunque rebus opus haberet, sibi esse succurrendum, nulla accidere tam angusta res illi posset, qua animum desponderet, qui sciret perfugium amici sibi esse paratissimum. at quis ditior, quis nostri beneuolentior est, quàm Deus ipse, qui omnium matrum tenerrimum affectum in nobis amandis longo superat interuallo? cur ergo ad illum non
Psal.54. accurritis, qui tam paratus est ad auxiliandum? [*Proijce* (inquit Psaltes) *onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet.*] & alibi.
Psal.90. [*clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione,*
1.Pet.5. *eripiam eum & glorificabo eum.*] & Petrus apostolus, [*Omnem* (inquit) *solicitudinem uestri proijcientes in eum, quoniam ipsi curæ estis.*] Et profectò ea prębuit suę erga nos charitatis indicia, ut
Rom.8. fidere tutò illi possimus. nam [*qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia simul cum illo nobis est donaturus?*] cernitis quàm inanes sint excusationes uestrę, & uosmet uestrorum malorum, non molestias, quę quotidie accidunt, uobis causam esse? Capite in hoc Stephano exemplum, quàm paratus sit Deus pręsertim in maximis periculis ad succurrendum. cum enim eum circunseptum hostibus cerneret, Diuina illum uisione ita roborauit, ut tam ęquam tamq; probrosam mortem ęquissimo animo pertulerit. nam pro molestiarum
Psal.93. magnitudine cœlestia solatia adhibentur. [*Secundum multitudinem dolorum meorum* (inquit) *in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt*

uerunt animam meam.] Sed quia uisionis illius facta mentio est, dubitauerit fortasse quispiam uestrum, quo pacto aperti fuerint cœli, & quis eorum aperiendorum fuerit modus. sed sciendum est, scripturæ sanctæ morem esse, ut ea, quæ supra humanæ naturæ consuetudinem fiunt, acceptis ab humana consuetudine similitudinibus eloquatur, ut queant intelligi. icirco cum de Deo loquitur, ut illius erga nos œconomia intelligatur, dat ei manus, pedes, os, oculos, cæteraque corporis membra. quin & affectus etiam humanos, ut iram, furorem, dolorem, perturbationesque alias, quamuis natura Diuina his omnibus uacet. sic & nunc, quia, cum permittitur nobis intueri aliquid, quod in loco aliquo sit, id non fit, nisi uel eò ingrediamur, uel ianuæ loci illius aut fenestræ pateant, quibus introspiciatur. iccirco cum secreta illa cœlestia Stephano fuissent reuelata, perinde fuit ac si cœlum fuisset apertum. Obseruandũ quoque illud nobis est, quàm scilicet studiosus fuerit beatus Stephanus imitandi Seruatoris Christi. nam Dominus ipse in crucem actus, & pro crucifigentibus precatus est, & exhalaturus spiritum, patri illum commendauit. sic Stephanus finem uitæ sentiens dixit. [*Domine Iesu accipe spiritum meum.*] cum uerò pro lapidantibus precaturus esset, accuratius etiam rem peregit, nam [*positis in terra genibus,*] neque simplici uoce contentus, ut ingentem charitatem in hostes quantum posset depromeret, exclamans uoce magna dixit. [*Domine ne statuas illis hoc peccatum.*] hoc uerò in ipsa cæde & furore lapidantium prçstare nunquam potuisset, nisi multò ante ista animo percepisset, & in tota uita in his cogitationibus uersari consueuisset. ad hanc uirtutem, quæ propria Christianæ philosophiæ est, & adipiscendam & tuendam toti incumbere deberemus multò magis, quàm philosophi, qui suæ sectæ dogmata omni contentione tueri conantur. sed illam assequi se posse nemo uestrum putet, qui tantum abest ùt afficiatur inimico, ut uix amicum syncere atque ex animo amare norit, inimicum uerò semper ulcisci cogitet. Hanc ergo charitatem studeamus imitari, tamque indefessam patientiam, quæ utraque si iungantur, optima quæque ac præclarissima aggredi erimus idonei. Sed tempus est iam, ut & sancti Ioannis Euangelistæ alis parumper utamur, quibus sublati ab humilibus hisce rebus, quantum possumus, disiungamur. & quidem cum dici multa de ipso

Act. 7.
Act. 7.
ibidem.

H possint,

poſsint, illud duntaxat commemorabimus, quòd cum Dominus diſcipulos ſuos ſummo charitatis affectu proſequeretur, de hoc ta
Ioan.20. men ſcriptum ſit, [*diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.*] qui ob
Ioan.19. hanc cauſam uni charisſimam matrem [*uirginem uirgini in crucem actus commendauit.*] quæ utraque res purgatisſimæ uitæ & animi à terrenis omnibus rebus ſeiuncti ſignificationem præbet. quare & in deſcribendo Euangelio tam excelſa uſus fuit theologia, ut externos etiam philoſophos in admirationem rapuerit. has alas turpiſsimum eſt ita paſsim à Chriſtianis hominibus negligi, ut nihil minus quàm hoc uel agnoſcant uel cogitent. at hæ pennæ tam nobis ſunt neceſſariæ, ut de ijs iam olim à prophetis prædictum fuerit. nam Eſaias de Chriſtianis temporibus, etiam ſecun-
Eſa 40. dum Iudæos ipſos loquens, ait. [*Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem* (hoc eſt, ex imbecillis euadent fortes, eſt enim Hebraiſ
ibidem. mus) *aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*] hoc autem in cauſa eſt, cur tam deſides ſimus, atque in uia Dei pigri atque inertes, quòd harum alarum remigio deſtituimur, & humi ſemper defixi inuenimur, cum tamen cœleſtis hęc philoſophia requirat, ut tota conſuetudo noſtra in cœlo ſit. deberemus enim morem auium ſeruare, quæ ita uolatu per aërem delectantur, ut tunc ad terram dunxaxat deſcendant, & in ea tandiu morentur, dum cibum capiant, mox uerò eam deſerãt. atque ad conficienda ſua in cœlo ſpatia reuertantur. ſic nos tantiſper in terrenarum rerum cogitationibus immorari ſolum deberemus, dum corporis neceſsitatibus ſatis eſt factum, idque quàm fieri poſsit tenuiter. reliquum uerò temporis huic philoſophiæ eſſet impendendum, alioqui nunquam illam aſſecuturi. nam [*ani*
1. Co. 2. *malis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus* Dei.] quòd ſi animalis homo, qui carnali potior eſt, ea non aſſequitur, quomodo aſſequi carnalis poterit? at in hoc gradu hac tempeſtate omnes ferè eſſe deprehenduntur. Oporteret etiam animum, qui iſta eſſet intuiturus, oculum imitari, qui ſi inſpecturus quippiam ſit, neceſſe eſt, eum ab omnibus coloribus eſſe liberum, alioqui res ſyncerè non inſpecturus. quod uſu uenire cernimus, cum colore aliquo infectus eſt, ut cum niuem diutius ſumus intuiti, ad alia inſpicienda ineptus oculus eſt. ſic animus niſi abſolutus ab hac concretione mortali ſit, atque à terrenis affectibus liber, acies eius impeditur,

quò

quò minus intueri cœlestia possit. denique præstare oportet, quod ait Paulus, [*qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs.*] At nos similes sumus ijs rusticis, qui nihil ciuile unquam experti, si forte in urbem introducantur, iubeanturque principis alicuius mensæ astare, aut etiam inter primates uersari, atque honesto inter eos loco esse, facilè ista recusent, nihilque, illis longius uideatur, quàm ut inde recedant, atque ad rustica negotia reuertantur. simillimè nos cœlestem rempublicam negligentes, terrenarum harum rerum duntaxat rusticitatem sectamur. & tamen horum mysteriorum magnitudo nobis facta est. [*paruulus enim natus est*] non angelis sed [*nobis, & filius datus est nobis.*] O ingentem ingratitudinem nostram. tam [*multi reges & prophetæ optauerunt uidere*, (quemadmodum dixit Dominus) *quæ nos uidemus, & non uiderunt, & audire quæ nos audimus, & non audiuerunt.*] clamabant prophetæ, [*utinam rumperes cælos & descenderes.*] nihilque illis longius uidebatur, quàm ut promissa illa mysteria assequerentur, & nos iam pręstita ita negligimus. Lætabantur contemplando infinitam illam multitudinem gentium crediturarum, & dicebant. [*Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in uertice montium, et eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. & ibunt populi multi, et dicent. Venite & ascendamus in montem* Domini *& ad domum* Dei *Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius. quia de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Ierusalem. & conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. non educet gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*] Hæc contemplans Esaias, & felicitatem gentium futuram admiratus, inuitauit suam gentem, ut tanti boni esset particeps, & adiecit. [*Domus* Iacob *uenite & ambulemus in lumine Domini.*] de quo lumine alio item loco meminit dicens. [*Surge illuminare* Ierusalem, *quia uenit lumen tuum, & gloria* Domini *super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.*] Hæc tam felicia promissa nos assecuti sumus, & qui eramus hospites & aduenæ, euasimus ciues sanctorum & domestici Dei. & tanta dona ne cogitamus quidem propterea, quòd nunquam attollimur ab humili terræ aspectu ad hęc cœlestia & Diuina contemplanda. In illis autem Esaiæ uerbis illud inter cętera est obseruandum, quod

Gal. 5.
Esa. 9.
ibidem.
Luc. 10.
Esa. 64.
Esa. 2.
ibidem.
Esa. 60.

dicit, eos qui hanc philosophiam fuerint amplexati, ita studiosos futuros pacis, ut bellica etiam arma in agriculturę instrumenta sint conuersuri. qui ergo litibus & pugnis & altercationibus operam dant, ij proculdubio ad hanc rempublicam minimè pertinent. Alio item loco idem Esaias pręuidens efferas etiam gentes, & quę crudelitatem tantum norant, ad Euangelicam doctrinam mites ac
Esa. 11. placidas esse efficiendas, aiebat. [*Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, uitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus ducet eos.*] atque ita sanè est. nemo enim tanta unquam feritate repertus est, tantáue potentia pręditus, qui audita hac ueritate non continuò mitissimus humillimusque euaserit, & humillimi cuiusque serui Dei imperio sese subiecerit. Quis autem unquam satis huius Christianæ philosophiæ diuitias admiretur? uirgo parit, Deus nascitur, angeli generi nostro gratulantur, stella è cœlo indicat exteris gentibus recentem ęterni ortum regis. Apud quos Platones ista reperies? si enim omnia quæ ab illis dicuntur, in unum colligantur, quid tandem aut quantum est, quod fuerunt assecuti? qui tantum abest, ut quę paulum aspectum oculorum superant, intellexerint, ut in ijs etiam, quę sensibus percipiuntur, uacillent, & maximè inter se sint discordes. nam quo pacto uisio fiat, receptísne intra oculos formis, an oculorum radijs foras emissis, inter duas præstantissimas familias, Platonicos & Aristotelicos est controuersia, quam nunquam opinor esse finiendam. quo ergo pacto maiora & præstantiora & cœlestia ualebunt pertractare? Hanc rerum magnitudinem admiratus Paulus, scribens ad Timotheum di-
1. Tim. 3 cebat. [Et *manifestè magnum est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria.*] Non pudet, inuentis frugibus glande uesci, & propositis tantis thesauris, terrenarum rerum paupertatem amare? lutum auro anteferimus, atque adeo aurum ac pretiosas gemmas in lutum proijcimus, dum tam admiranda mysteria terrenis semper cogitationibus sordidamus. quantus autem hic stupor est, nos exilium patriæ anteferre, ac deserta horridasque solitudines cultis atque amœnis locis? quis exul non libens de patria cogitat? at cum patria nostra cœlum sit, consuetudo & sermonis &

cogi-

cogitationum nostrarum esse in cœlo debet. Cum uerò hoc quotidie sit faciendum, tum in primis festis diebus, qui ob hanc causam sunt ab ecclesia instituti, ut auocantes animum à fluxis istis caducisque rebus, illum in ijs, quæ certa ac stabilia sunt, & nobis facta ac parata, exerceamur. regnum illud sempiternum, quod ab initio seculi paratum nobis est, per eos maxime dies ante mentis oculos uersetur, ut digna nobis tandem aliquando cogitare discamus. in hoc uos, in hoc filij uestri occupentur, his assuescant, spiritualibusque exercitijs nutriantur. nam cœlestium spiritualiumque rerum contemplatio, bona omnia secum afferre consueuit Hæc si feceritis, longè felicius uiuendi genus, quàm antea factum sit, etiam in hac uita reperietis, & futuram demum assequemini. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium & nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO SEPTIMA
in feriam quartam cinerum.

CVM multa ſint olim à uetuſtioribus in ecceleſia Chriſti patribus uiris ſapientiſsimis ſapienter atque utiliter inſtituta, quæ per totum annum nos identidem à terrenis cogitationibus auocent,& ad cœlum uiam monſtrent, haud ſcio an fuerit aliud quicquam ſapientius utiliuſque excogitatum,quàm id quod hoc ipſo die quotannis fieri conſueuit. ut facilè intelligere liceat, hanc unam celebritatem propriè noſtram eſſe, & ſolã propemodum ad nos pertinere. Etenim cæteri ſolennes & ſtati dies non tam noſtri ſunt, quàm eorum, quorum nos aut egregiè ſacta admirati, aut officiorum, quę in nos collata ſunt, memores, eos meritis proſequimur laudibus. at hic dies totus noſter eſt, totus nos aſpicit, atque utilitatis noſtræ duntaxat cauſa, nulla cuiuſquã alterius habita ratione eſt inſtitutus. hic dies naturæ noſtræ nos commonefacit, unde orti ſimus, quóue ſit proficiſcendum, dum aſperſi cinere capita, iubemur meminiſſe nos è puluere conſtare, & in eundem puluerem eſſe redigendos. Quæ cogitatio temeritatem in primis & audaciam deprimere,& ad mores modeſtiores reuocare ſolet, ſiquando uſu ueniat, quod ſanè eſt generi noſtro
Pſ. 130. familiare,ut ambulemus in magnis (quemadmodum ait propheta) & in mirabilibus ſuper nos. Eiſdem uerbis auctor naturæ noſtræ Deus iam tum uſus fuit,cum primi hominis tumidum ani
Gen. 3. mum & ad uſurpandam Diuinitatem erectum deijcere uellet, [*in ſudore* (inquiens) *uultus tui ueſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*] Hunc Dei noſtri morem poſtea uiri ſancti & ſapiẽtes homines ſunt imi-
Eccl, 10. tati,dum quidam ait. [*quid ſuperbis terra & cinis?*] & Abraham
Gen. 18. reueritus maieſtatem Dei,cum quo loquebatur, [*loquar* (inquit)
Eſa. 45. *ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.*] & Eſaias. [*Væ qui*

contra-

contradicit factori suo, testa de Samijs terræ. nunquid dicet lutum figulo suo quid facis?] huius rei recordatione omnis tumultus perturbationum animi non aliter sedabitur, quàm quemadmodum de apibus egregius poëta scribit, quæ siquando aduersis castris certamen inter se aggressæ sint, continuò

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

Quis enim est tam regio fastu inambulans, tamque sibi ob potentiam, uires, diuitias, copias confidens, si etiam insaniæ suæ antea illa pollicitus esset, [*in cœlum ascendam, super astra cœli ponam solium meum*,] qui non de arrogantia plurimum detrahat, ubi primum audit dici sibi, memineris homo quòd puluis sis, & in puluerem redigendus? Et sola quidem hominis & carnis appellatio satis olim uisa fuit prophetę ad arguendam mortalium imbecillitatem, cum diceret. [*Aegyptus homo & non Deus, & equi eius caro & non spiritus*.] at uerò cum hæc ipsa præterea caro & forma ac constitutio corporis ita dissoluitur, ut puluis fiat, id multò debet maiorem uim habere ad infringenda superba consilia. [*Puluis es*] ò homo etiam in hac ipsa specie & decore corporis, etiam dum uiget color & succus ac sanguis artus uegetans, pulchritudinem per membra omnia diffundit, quibus plerunque insolescis, teque esse aliquid ipse propterea tibi persuades, quòd apparentem tantum speciem & solam superficiem contemplaris, & ad ueram naturæ tuæ considerationem negligis penetrare. qui si accuratius rem uti se habet, peruestigares, intelligeres profectò, nulli te rei tá similem esse quàm ijs bullis, quę pluuio cœlo existere in aquis solent, quæ exortæ mox euanescunt, & nihil præter tumorem in sese habuisse arguuntur. [*Puluis es*] atque adeo multò inconstantior puluere, is enim consistit sæpenumero, neque nisi agitante uento dissipatur, aut agitur. [*tu uerò, sicut scriptum est, nunquam in eodem statu permanes.*] Sed quid necesse fuit addere, [*& in puluerem reuerteris?*] quo enim pacto is, qui iam est puluis, rursus in puluerem reuertitur? is est opinor sensus uerborum. Si tibi forte ex secundarum rerum successu blandiris, neque quid sis, aut credis aut intelligis, cogita, quid de te futurum sit post exiguum huius uitæ curriculum, quemadmodum non caro solum, & cutis & nerui, sed ipsa etiam ossium soliditas sit in puluerem conuer-

Esa. 14.
Esa. 31.
Gen. 3.
Gen. 3.
Iob 14.
Gen. 3.

1.Ioan.3. conuertenda. sicut enim, ut Ioannes ait, [*nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quod futuri sumus*,] & Paulus. [*quandiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium*,] ita in hac parte, [*puluis es*,] tametsi nondum apparet. Videte uerò, ut ijs, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sint in bonum. nam pulueris appellatio, quę terrori superbis esse solet, ita leuis apparet ac facilis ijs, qui mites sunt & submisso animo, ut ea etiam in suarum precum patrocinium uti audeant. [*Memento quæso* (inquit beatus Iob) *quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem me: sis redacturus*.] & alter quasi delectatus hac cogitatione, & sperans ob hanc ipsam rem bene secum esse agendum, ait. [*recordatus est, quòd puluis simus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebit*,] hac enim præsertim in parte iusti homines à sceleratis & impijs distant, quòd omnia quęcunque à Deo proficiscuntur, quamuis dura & naturæ inimica alijs uideantur, ipsi ea tanquam remedia agnoscunt, quę cum dolorem faciunt, tunc maximè sunt salutaria. quocirca nunc Deo gratias agunt, quòd iratus eis fuerit. nunc benignè sibi factum esse confitentur, quòd humiles eos fecerit, atque deiecerit, non ignorantes quòd [*dum iudicamur, à Domino corripimur, ut ne cum hoc mundo damnemur*.]

Gal.4.

Gen.3.

Iob 10.

Gen.3.

Psal. 102.

1.Co.11.

Et sanè quid de beneficentissima illa natura est aliud existimandum, nisi quòd benignè semper omnibus faciat, tum etiam cum seueritatem exercet, quamuis aliter malè affectis mentibus uideatur? est enim eius natura bonitas, tam uerò bonitas malè cuiquã facere potest, quàm aut ignis non calefacere, aut lumen offundere tenebras rebus. Sed accedamus propius, & quod nunc in manibus est, diligentius examinemus, quàm utiliter hominum generi Deus hominem è terræ puluere constituerit, & peccanti mortẽ attulerit. Qualia dicitis ò reprehensores operum Dei fuisse constituenda humana corpora? ænea, opinor, & solidę cuiusdam naturę, primumque quę nullis morbis affligi possent, deinde quæ quamlibetcunque aduersam uim facilè propulsarent. Age itaque fingamus homines ita ab initio esse factos, quam censemus rerum faciem in orbe terrarum fuisse futuram? quos motus? quas turbas? quàm ingentem omnium rerum confusionem? Cogitate enim quę nunc homunculi faciant hoc ipso in statu tam humili & depresso, in tam angustis uitę spatijs, ut admodum similes mihi

hi uideantur illis bestiolis, quas ferunt apud Hippanim fluuium nasci, quę diem tantum unum uiuant. Nihil est tam molle, tam tenerum, tam fragile & caducum, quàm homo, qui leui uel frigore uel æstu affligatur, quem tenuis interdum aranei morsus occidat, & tamen conditionis suę oblitus, neque cogitans se uas esse fragile, & nihil à fictilibus distans, quantas concitat turbas? ut solus ipse Diuinum ordinem ubique confundat, & cum cœlum, terra, atque adeo inferi ipsi Dei leges reuereantur, ipse Deo sese interdum æquet. Quid enim illis uerbis arrogantius? [*Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris.*] & illud? [*sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ero similis altissimo.*] & quod de rege Aegypti scriptum est? [*Pharao rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus est fluuius, & ego feci memetipsum.*] Nihil enim propius fieret, nisi quotidie mors in nos grassaretur, quàm ut Diuino nos semine ortos, atque adeo Deos potius esse gloriaremur. quàm frequenter non iam illæ fabulosæ gigantomachię, sed uerò manifesti & ueri in ipsum cœlum conatus audirentur. quod ut pro certo habeam, admonet me illa turris exstructio, quam perditi homines erexerant, sperantes fortasse inde se ad cœlum usque penetraturos. neque opinor ad hûc usque diem fuissent ab insano negocio deterriti, nisi linguarum confusione delusi pariter & castigati fuissent. Et uide quantum superbia mali inuexerit, quantum detraxerit boni. si enim unius labij (ut scripturę uerbo utar) uniuersum hominum genus perstitisset, gratiora & iucundiora multò gentes inter se habuissent commercia, apparuissetque manifestius, nos ex uno omnes ortum accepisse. Quid de literarum usu & studiorum progresibus dicam? quàm longè essent maiores? quantóue compendio disciplinas omnes assequeremur? quod nunc contra usu uenit, dum linguę diuersæ perdiscendę sunt, & maximam ętatis partem insumimus, ut peregrinis uocibus & dicendi modis assuescamus, idque necessario, cum uix posibile sit artem ullam & disciplinam rectè intellgere, nisi eam linguam, in qua scientię ipsæ descriptę sint, optimè calleamus. Verum, ut ad propositum reuertamur, si esset ea, quam dudum dicebamus, humanorum corporum constitutio, sceleratiores proculdubio, & ad omnia sæua facinora instructiores essent homines. quę enim belluarum immanitas, quę

Eze. 28.
Esa. 14.
Eze. 29.

feritas æquare posset eorum inter se furorem & insaniam, quando in infirmo corpore & malis omnibus ac molestijs obnoxij tantam præ se ferociam & rabiem ferunt? Maximæ itaque fuit non solum sapientię, uerum etiam miserationis, quòd Deus accepto terrę puluere genus nostrum finxerit, ut nos huius principij memores discamus non insolescere. etenim quid uel humilius uel imbecillius puluere? cuius si recordere, nullæ tantæ cuiuspiam uituperationes intorqueri in te poterunt, ut animo cadas & perturberis, & non tacitus ipse apud te dicas, nondum ad pulueris humilitatem huius crimina descenderunt. ut si te quispiam canem, aut belluam appellet, at puluis (inquies) res est abiectior, ut quę sensu omnino & anima careat, & continuo obiecta conuicia ita repelles, ut animi tranquillitatem nequeant commouere. Si uerò tuę te cogitationes extollant, ut aliquid esse tibi persuadeas, refer animum ad puluerem, quo constas, & totus ille iactantiæ & elationis tumor deferuescet. sin honoris & potentię appetitus a-
Eccl.10. nimum titillet, dic, [*quid superbis terra & cinis?*] si pretiosarū uestium nitor blandiatur, ridendum tibi omnem ornatum pulueris recordatio faciet. breuiterque in omni uel secundarum uel aduersarum rerum statu constantiam retinebis, si, quòd puluis sis, fueris recordatus. Sed cogita mecum adhuc, ne illud quidem satis fuisse ad hominis infringendam temeritatem, quòd è puluere factus sit, nisi inflicta mortis pœna eum in eundem puluerem rursus redigi iussisset. quæ eadem res à Dei benignitate & erga nos misericordia profecta sine controuersia est. noluit nimirum nos perpetuo exilio damnari, quod contigisset, nisi mors intercidisset hoc malum, quod alioqui fuisset sempiternum. etenim dum his sumus inclusi compagibus corporis, uel (ut Paulus ait) [*in hoc*
2. Co.5. *corpore mortis, exilio plectimur miserando*,] tametsi iam degeneres facti, & exilium hoc pro patria diligere assueti, nobilitatem nostram plerique omnes obliuiscimur, nempe eorum similes, qui regio genere orti, deinde expositi, à pastoribus suscipiuntur & educantur, qui cum, unde profecti sint, nesciant, nihil nisi pastoralia negocia curant aut cogitant. ita nos, dum, quæ sensibus exposita sunt, quamuis breuia, quamuis caduca, quamuis longè ab eo distantia, ut animos nostros explere possint, ea tamen duntaxat admiramur. non recordamur, patrem nos habere in cœlo, filios

lios esse Dei, cohæredes Christi, hæreditatem nostram regnum esse, idque æternum. sed pueri semper sumus, quorum illud proprium est, exigua solum & leuia & ludicra admirari, seria uerò & grandia pro nihilo putare. Qui si in tanta uiuendi breuitate eaq; ita incerta, ut ne unius quidem horæ spatium polliceri tutò sibi quis possit, tam uehementer afficimur huic leuitati & rerum inconstantiæ, quid facturi fueramus, si quid certi & diuturni in uita habuissemus? at mors quotidie nobis impendens & eius comites morbi sæpius inuisentes admonent, iam iam esse demigrandum, & tanquam Aegyptij urgent Israëlem, qui nisi afflictus & oppressus non facile promissam unquam terram illam lacte & melle redundantem adamasset. Cernis ut res contra cadat, atque à uulgo existimatur, & ea, quæ mala imperiti iudicant, summa Dei parentis nostri esse beneficia? non solum ergo memineris ò homo, quòd puluis sis, uerum etiam gratias age, quòd tibi submissionis, temperantiæ, sobrietatis, modestiæ occasiones inde suppeditentur, & arrogantiæ, petulantiæ, incontinentiæ temeritatis sublatæq; sint. Sed dicet fortasse aliquis, cur tam accuratè huius unius partis iubemur meminisse, qua puluere constamus, quæ sanè minima nostri pars est, & non potius admonemur, nos ob rationem & mentem Diuinæ cuiusdam naturæ esse participes, ibique uerũ hominem apparere? illud quidem sanè in primis Diuina lex uellet, quæ quasi deflens humanam ignorationem, ait, [*homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*] sed cum uideat hominem in id unum incumbere, unum admirari, corpus scilicet, cæteraque corporea, ut eum ab hac insania inanique cogitatione abducat, docet hęc omnia nihil aliud esse, quàm puluerem, & in hac parte plurimum occupatur, in qua præcipuè hominum error uersari consueuit. Nam, si unde principem gloriandi materiam accipit homo, peruestiges, nihil ferè reperias aliud, quàm id, quod ad puluerẽ pertinet. nunc enim corporis uiribus aut uelocitate fidit, nunc sibi specie ac ætatis flore placet, nunc ob pretiosas uestes nimirũ pulueris operimenta superbus incedit. unde uerò primi accubitus, & salutationes, & uocari dominos ac primates, principes, ac reges, & tanquam terrestres Deos, nisi ex opibus & copijs & hoc terræ puluere? Et certè miserandus hic error est, ut, cum equos & ca-

Psal. 48.

nes cæteraque animalia ex se ipsis, non ex adiacentibus rebus iudicemus, nos tantum non ex nobis ipsis, sed ex ijs, quę circa nos sunt, uelimus æstimare. Sed disce ò homo pretiosum à uili separare, intellige aliud esse te; aliud tua, aliud quę circa te. corpus res tua est, opus uerò & facultates & exterior omnis supellex res est circa te, corporis tui usibus accommodata. tu uerò es animus tantum, & ratio, & mens, qua cunctis præstas animantibus, qua ad Dei imaginem factus es. hæc tibi pars curanda pręcipue & excolenda est, hac una uerè magnus & præstans & diues esse poteris. Si animum habueris excelsum, & humana omnia conte-
Phili. 3. mnentem, & cum Paulo quæuis terrena arbitrantem ut stercora, qui solam uirtutem & rectè atque honestè facta seipso digna iudicet, solaque ad se pertinere, tunc diues, pulcher, magnus, denique rex regum eris, eaque uera erit non adumbrata magnitudo, tanquam corpus bene constitutum, & solido habitu constans. Contra uerò qui arrogantia, & inani externarum rerum fastu cõfidunt, eorum similes sunt, qui aqua subter cutem fusa laborant, quos Græci hydropicos uocant, qui ob redundantem humorem turgent, quamuis pingui ac pleno corpore esse uideantur. Deijce intumescentes affectus, qui ex erroris opinione oriri solent, & rectis assuesce iudicijs, & intelliges illum uerè magnanimum & excelsum esse, qui se deprimit, seseque nihil credit, se puluerem meminit. nihil enim tam admirandum Christianum hominem facit, quàm ista submißio, quę etiam in rebus gerendis efficit cel-
Exo. 3. siorem. Quid Mose submißius? qui inuitante atque adeo iubente Deo, ut educendi populi curam aggrederetur, negocium detrectabat. qui postea tam innumeræ gentis dux, regem & populum Aegyptiorum oppreßit, qui cum tam magna in Aegypto, tanta in mari rubro, tam admiranda in deserto fecisset, tanquam unus tamen esset è multitudine, sic humilem se præbebat, ut soceri se cõsilijs submittere non dedignaretur. Hanc enim habet humilitas uim, ut sanam sententiam animo inserat, eumque excelsum faciat. cuius enim magnitudinis fuit, domum ac mensam regiam paruifacere atque contemnere? nam apud Aegyptios tanquam Dij coli reges solent. at ille respuens & thesauros & sceptra & Diuinos illos honores, ad captiuos fratres accurrit, qui cum luto & latere confictabantur, quos etiam serui Aegyptiorum abominabantur,

nabantur, eorumque consuetudinem prætulit regno. unde perspicuum est, hunc humilem ingentem esse & excelsum. at arrogantia à uili mente (quod fortasse ignaris uideatur non credibile) & patum generoso animo proficiscitur. contra, modestia, & humilitas à magnanimo corde rectaque sententia. quod si uultis exemplo astruamus. Quid fuit Abraham illo patriarcha præstantius? & is tamen est, qui aiebat. [*Loquar ad Dominum, cum sim puluis & cinis.*] qui idem nepoti longè inferiori, se ita demittebat, ut diceret, [*ne sit, quæso, pugna inter te & me, & inter pastores tuos & pastores meos.*] at is ita humilis prędam contempsit Persicam, & spreuit trophæa barbarica. quod sanè ex multa animi celsitudine & magnifica mente profectum est. is enim excelsus est, qui ueram sit ac germanam humilitatem adeptus. atque aliud est magnanimitas, aliud superbia atque arrogantia, quod hinc manifestum fiet. si quis enim acceptum cœni glebam cœnum putet atque contemnat, alter uerò ipsum cœnum ut aurum admiretur ac plurimi faciat, uter horum est celsior? non ne qui cœnum minimè admiratur? quis uerò humilis & contemptus? an non is, qui rem abiectam tanti æstimat? sic & in hac parte cogita, eum, qui terram ac cinerem se ipse appellet, magnum esse, eum uero, qui sese aliquid credat, cum nihil sit, & rem exiguam plurimi faciat, ipsum superbum quidem, sed inter contemptos ac uiles esse numerandum. etenim uera magnitudo extra animi uirtutem, mentisque ac consiliorum rectitudinem inueniri nullo modo potest. quibus qui præditus fuerit, magnus iure appellabitur, quemadmodum corpus magnum dicimus, quod iusta mensura altitudinis à natura acceptæ constet. at, qui ab externis rebus præstantiam sibi comparare nititur, perinde facit, ut ij solent, qui cum statura breues sint, acceptis grallis, duobus & eo amplius interdum cubitis crescunt. quod sæpissimè hominibus usu uenit, quoties opum aut potentiæ adiumento apparere cæteris præstantiores uolunt, quæ tamen præstantia non est. is enim præstans & celsus est, qui nullius horum eget, sed omnia ista paruipendit & despicit, & in seipso habet magnitudinem. Demus itaque operam, ut humiles simus, & per hanc humilitatem altitudinē assequemur, quod & ipsa ueritas pollicita est. huius terrę ac pulueris frequens sit apud nos recordatio, quæ etiam apud reliquos homines dignitatē quandam,

Gen. 18.

Gen. 13.

quandam, & admirationem nobis conciliabit, eamque longè maiorem, quàm fastus & ambitio. sed in primis, id quod unum æstimandum est, uiam nobis aperit, qua familiarius in Dei colloquiū insinuemus, & ab eo aliquantò animosius, quod uolumus, postulemus. audi enim, quo pacto propheta auersum Deum interpel-
Psal. 15. let. [*Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? numquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit ueritatem tuam?*]
Psal. 29. quam uerò habuit uim hæc pulueris commemoratio? [*audiuit* (inquit) *Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus, conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.*] Hoc itinere ingressi eò tandem usque perueniemus, ut qui nunc puluis sumus, in regno patris nostri tanquam sol effulgeamus, & qui nunc esse nihil nos profitemur, demum beata donati immortalitate, & filij Dei effecti, in perpetuam cœlestis regni hæreditatem admittamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO OCTAVA.

De ieiunio.

FACTVRVS hodie de ieiunio uerba, illud in primis ciues optimi à uobis peto, ut, quod Seruator noster eos, qui ieiunaturi essent, admonuit, ne tristes ac tetrici apparerent, idem uos de ieiunio audituri memineritis, & alacres ac præ uobis hilaritatem oculis ac uultu, non tantum animo ferentes, uideamini in exemplum Euangelici præcepti, unxisse caput uestrum oleo lętitię & exultationis, ac faciē lauisse, nequid in ea triste, quod inuiti animi indiciū sit, apparere possit. Et sanè quidē turpe esset, non maiori iucunditate affici, cum animi, id est, ueri hominis uires, salus, & incolumitas quęritur, quàm cum idem fit in insana corporis cura. quod .n. corpori afferre solet exquisitus & elegans ciborum delectus, aut palæstritis alimentorum obseruatio, id animo ieiunium pręstat. Neque uerò mirum, si tam diuersa est muniendi animi ratio ab illa corporis, quando etiam pugnantium & pugnandi modus non idem est. [*nobis enim* (ait apostolus) *non est lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spiritales astutias in cœlestibus*.] hanc ob causam eodem loco proponit eis apostolus, nouum armorum genus, quæ generatim quidem primum appellat uniuersam armaturam Dei, deinde etiam singillatim thoracem iustitiæ nominat, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus. Cum igitur ea tractantur, quæ ad instruendum & muniendum animum pertinent, auocanda est à corporearum rerum consuetudine cogitatio, neque nouum, aut parum credibile existimandum est, si dixerimus, quemadmodum oleum athletas fouet, sic ieiunium robur afferre Christiano. nam, cum manifestum sit, perpetuas inter carnem & spiritum inimicitias intercedere, necesse est, ut quod alteri dempseris, alterius fiat

Matt. 6.

Ephe. 6.

incrementum, quemadmodũ in pugna usu euenit, ubi siqua fiat ex altera parte militum defectio, aduersæ aciei est accessio uirium, sic quod de ciborum copia uentri subtraxeris, in animi libertatem uiresque conuertetur. Sed ante quàm cursus noster longius feratur, optimum esse arbitror, definire, quid sit id, de quo hodie sermo habendus est, hanc præcipuè ob causam, quod maxima hominum pars ignorare mihi uidetur, quæ propria sit & uera ieiunij appellatio. ex quo fit, ut alij ieiunent quidem, ut sibi uidentur, sed nullum ieiunij fructum referant, alij solo deterriti nomine perinde effugiant, quasi anguem aut uenenatum aliud animal conspexissent. quibus utrisque ita succurrendum est, ut & alteris prosint sua ieiunia, & alteris non formidolosum solum, uerum etiam iucundum sit & appetendum ieiunij nomen. Et quidem si ueri ieiunij ratio breuiter quærenda est, unde illa, quàm plerique solum ieiunium intelligunt, ab escis abstinentiæ utilitatem accipit. Esaiæ nobis satis erunt uerba, quibus ipse Deus interrogantibus hominibus. [*quare ieiunauimus, & non aspexisti, afflixiumus animas nostras & nesciuisti?*] respondet. [*ecce in die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra, & omnes debitores uestros repetitis. ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio. nolite ieiunare usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester. nunquid tale ieiunium est quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?*] cæteraque quæ magnificè, ut omnia, propheta persequitur. nam certè quę esset utilitas à carnibus abstinere, & fratrem quotidie dilacerare, uino parcere, neque se à contumelijs continere? Quare statuendum quidem est, id uerè ac propriè ieiunium appellari, cum animus sese à uitijs abducit, atque ab omni morum intemperantia seiungit. uerum, quia tum id optimè facit, cum corpus suum quasi habenis quibusdam, sic ciborum moderatione cohibet, ne efferatur, & lasciuiat, & tanquam equitem ac sessorem excutiat, de hac hodie parte præcipuè quæramus, geminumque in primis errorem auferamus, primum eorum, qui existimant, se tum ieiunasse, cũ cibum semel duntaxat singulis diebus acceperint, etiam si ea capiendi cibi hora usque ad uomitum fuerint satiati, quibus uereor ne ridiculum sit respondere in tam aperta culpa, quasi non facile quiuis intelligere possit, hoc pacto rationem omnem ieiunij penitus tolli, cum repleto quotidie uentre, neque carnis lasciuia coercea-

Esa. 58.

coërceatur, neque purgatus animus, cuius pręcipuè causa ieiunio operam damus, unquã in libertatem uindicetur. Alter error est, qui sæpe ignaros deterret, ne ieiunijs assuescant, dum credunt ieiunium esse quendam quasi interitum corporis, & rem naturæ nostræ contrariam, quæ cogitatio in maximum errorem inducit imprudentes. neque enim imperatum à Deo unquam usquam quis inueniat, quod uel animo uel corpori sit inimicum, quodque ei naturæ, quæ ab ipso Deo optimo instituta est, aduersetur. quam sententiam diligenter à uobis obseruari & animis uestris affigi uolo, ut intelligatis omnia semper uobis utilia in sacris literis & Diuinis uerbis esse proposita. Nam quòd eadem in ieiunio ratio sit, quodque nolit illud Deus corporum damno & interitu fieri, mementote quid idem ipse Deus per Esaiam dudum dixerit. [*nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, & contorquere quasi scirpum caput suum?*] *ibidem.* Quod siquis illud obijciat, quod alibi scriptum est, [*affligetis animas uestras.*] id ex *Leu. 16.* vulgi opinione dictum est, de qua loquendi figura & pluribus eius generis, sæpe alijs locis fecimus mentionem. His animaduersis definire sic ieiunium possumus. ut sit quædam in capiendis cibis moderatio, ut corpus optimè affectum aptius animo seruiat. Quid iucũdius, obsecro uos, aut magis homini expetendum audiri potest, quàm id, quod efficit, ut & animus suo munere fungi possit, & corpus sit optimè constitutum? quis est tam insigniter improbus, cuiusque animus tam sit in patinis, qui hanc definitionem non dico horrescat, sed non libentissimè amplexetur? certè enim iam quisque non statos dies, sed iustum annum, atque adeo totam uitam ad sic uiuendum eligere facilè & summa etiam cum uoluptate poterit. eos uerò dies, qui propriè ab ipsa Christi ecclesia ad ieiunandum selecti sunt, iam assuetus quotidiano ieiunio aget iucundissimè. Verum, quando ex uultu & nutibus uestris mihi uidemini intellexisse, ieiunium rem esse non odiosam & fugiendam, ut antea existimabatur, sed iucundam & amabilem, age pergamus reliqua, & quanta semper fuerit in rebus humanis illius uis, latius persequamur. Quòd si etiam eius uetustam originem, & antiquum genus quęritis, cumulatior inde laudum fiet accessio. Antiquum sanè munus ieiunium est, quod tamen non antiquatur nec ueterascit, sed uernat flore perpetuo. at expecta-

ne exercitum si aspiciens uideris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum utilem, dabo eum Domino omnibus diebus uitæ eius.] Quid illum magnum Aristeum Samson inuictum hostibus fecit? an non ieiunium, cum quo in utero matris conceptus est? ieiunium hunc concepit, hunc educauit, hunc uirum fecit. quin mandatum fuit & matri, ut caueret, ne biberet uinum ac siceram, nec immundum quicquam comederet. [*de filio uerò, erit* (inquit) *Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero*,] quem dum ieiunium comitatum est, tandiu fuit inexpugnabilis, ut uno impetu mille ex hostibus interfecerit, portas urbis auulsas abstulerit, leonem quasi hædum in frustra discerpserit. ubi uerò hunc ebrietas & scortatio occupauit, captus ab hostibus est, priuatus oculis, & ludus ac iocus alienigenarum pueris factus. Ieiunium prophetas generat, fortes roborat, erudit legislatores, bonus animi custos, tutus hospes corporis, certantium exercitatio. hoc tentationes repellit, præparat pietati, uigilantiæ comes, artifex temperantiæ, in prœlijs præstanteis facit, in pace quietem docet. Ieiunium Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit. neque enim fas est sine ieiunio sacerdotium administrare, nec id solum in mystico nunc & uero cultu, uerum etiam apud eos, quibus omnia contingebant in figura. Hoc Eliam fecit magni illius spectaculi contemplatorem, qui cum quadraginta diebus animum ieiunio perpurgasset, post in spelunca Oreb uidere Dominum meruit, quantum uidere homini licet. ieiunans filium reddidit uiduæ, aduersus mortem acceptis uiribus ieiunando. Ab ore eiusdem ieiunantis profecta uox occlusit præuaricatori populo cœlum annos tres & menses sex. [*Viuit Dominus* (inquit) *in conspectu cuius sto, si erit his annis pluuia & ros, nisi iuxta uerba oris mei.*] qui ut molliret indomitum cor eorum, qui dura ceruice erant, elegit & ipse se eidem pœnæ subijcere, ut egeret, & induxit per famem ieiunium, ut populus, qui nimia copia ac delicijs soluebatur, mores corrigeret ieiunando. A[…] Elissei qualem fuisse putamus uictum apud hospitam Sun[…] quo uerò conuiuio accepit filios prophetarum? o[…] ollam poni, ut aliquid pulmenti pararetur, pu[…]um fuerat, in agrum profectus col[…]uid essent, quidem sciens; quibus cum uesci

Marginal notes: Iud. 15. (beside "rilem, dabo eum"); Iudi. 13. (beside "quicquam comederet"); Num. 6. (beside "facit, in pace"); 3. Reg. 19 (beside "Hoc Eliam"); 3. Re. 17. (beside "re homini licet"); 3. Re. 17. (beside "& menses sex"); 4. Reg. 4 (beside "res corrigeret"); ibidem. (beside "apud hospitam")

uesci cœpissent, intelligentes sibi periculum ex eo cibo imminere, exclamauerunt, [*mors in olla uir Dei*,] & uesci non poterant: 4.Reg.4. breuiterque reperias, sanctos omneis uiros per ieiunium amicos & familiares Deo factos esse. Quid tres illi pueri in fornace ignis? Dan.3. an non ieiunio ita roborati sunt, ut in igne incorrupti perdurarent? quemadmodum de cuiusdam corporis natura fertur, quod Græci ἀμίαντον appellant, quòd igni consumi non possit, atque in flamma positum ignitur quidem, uerum ubi extractum est, splendidius apparet, longeque purgatius. talia fuerunt puerorum corpora, qui in magno illo incendio uelut aurum fuere, atque ex igne purgatiores exiere, ut illa tanta flamma, quæ diffusa est cubitis quadraginta nouem, & multos Chaldæorum incendit, ne in capillos quidem eorum quicquam auderet. Daniel uerò uir desideriorum, qui tres hebdomadas panem non comedit, & aquam non bibit, leones etiam ipsos docuit ieiunare, cum in lacum demisso non ausi sunt inijcere dentes, tanquam si è lapide, aut ære, aut alia quauis constaret materia solidiore. Ieiunium uim ignis extinxit, occlusit ora leonum, ieiunium preces ad cœlum defert, eas quasi alarum remigio fulciens. ieiunium domorum incrementum, sanitatis mater, adolescentiæ pædagogus, ornamentum senum, bonus itineris comes, tutus simul habitantium contubernalis. non suspectas habet uir nuptiarum insidias, cum ieiunantem uxorem uiderit, neque zelotypia mulier uritur, uiro ieiuniũ amplexante. Quis ieiunans domum suam unquam imminuit, aut fœnore sese & ære alieno implicauit? in ieiunio nullum animal mortem deflet, nunquam sanguis nunquam cædes ab insatiabili uentre in animalia sæuiens. cessat coquorum machæra. mensa simplicibus atque à natura paratis contenta est. Et sabbatum quidem Iudæis datum est, [*ut iumentum* (inquit) *tuum seruusque requiescat*.] Deu.5. sit ieiunium sabbatum nostrum, & laborum quies, qui per totum annum ministrantibus seruis cõtinui sunt. Da coquis ac uernis cæterisque mensarum ministris aliquam requiem, cesset fumus & culinæ nidor, & domus aliquando tam multis tumultibus sursum deorsumque concursantium uacet. etiam qui tributa imperant, interdum subditis remissionem donant. idem & irrequieto exactori uentri faciendum est, qui semper [illegible], & quid hodie exegerit, cras obliuiscitur, &, dum plenus [illegible],

[illegible]

de temperantia philosophatur, cum respirauerit, iam philosophię præcepta non reminiscitur. Quanquam & iucunditatis occasio etiam ipsi corpori ieiunium est. ut enim sitis iucundiorem efficit potum, famesque præcedens, mensam cibosque condit, sic ieiunium, in quo fit tot lautitiarum intermissio, escas facit optabiliores, & uicissitudo habere secum ferè iucunditatem solet, quod quidam poëta ait.

Plerunque gratæ diuitibus uices,
 Mundæque paruo sub lare pauperum
 Cœnæ sine auleis & ostro
 Solicitam explicuere frontem.

Quare siquis appetibilem parare mensam uelit, ieiuniorum uicissitudinem amplectatur. plerique uerò atque adeo maxima hominum pars, dum nimium delicias sectantur, eadem, quam ita auidè appetunt, priuantur uoluptate. nihil enim est tam expetendũ, quod non utendi assiduitate uilescat. at quarum rerum usus rarior est, earundem est iucundior fructus. Atque id usu uenit, quod cum sæpe uobis ciues mei dixerim, sæpe etiam dicendum est. ut qui Euangelicam doctrinam, Christianamque philosophiã sequi uelint, ijs omnia iucunda succedant, quibus uerò luxus & desidia ac turpes uoluptates cordi sunt, ij uitam etiam hanc cum ea, quæ expectatur, amittant, neque enim existimandum est, Deum, qui ut summæ potestatis & sapientiæ, sic etiam infinitæ est bonitatis, ita uiam, quam ingrederemur, instituisse, ut non esset hæc longè pręstantior, in hac etiam exigua uita, quàm cætera omnia uiuendi instituta, quæ sibi humana insania (sic enim rectius quàm prudentia appellatur) excogitauit. Deus itaque nostri generis auctor, ut eorum, quæ elargitus est, nobis gratiorem fructum efficeret, alternas uoluit res in natura succedere. an non cernis, ut sol post noctẽ aut diuturnas pluuias gratior est, & post somnum uigilię, & sanitas post morborum experimentum optabilior? simillimè post ieiunium fit mensa iucundior. Quanta præterea est in ieiunante gratia? uultus ac color plenus dignitatis, mites oculi, moderatus incessus, comis & decora oratio, mens pura, cor syncerum, & summa interioris hominis compositio. quocirca uideas passim ieiunium fuisse quasi hæreditatem quandam filiorum Dei. cogita enim mihi, qui fuerit eorum uictus, quibus

quibus [*dignus non erat mundus, qui oberrabant in ouillis & caprinis pellibus, destituti, oppressi, afflicti, in desertis errantes & montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.*] contemplare Ioannis Baptistæ uitam, quæ tota ieiunium unum fuit, cui non lectus, non mensa, non agri cultio, non arator bos, non parata industria hominum cibaria affuere. iccirco nemo maior propheta inter natos mulierum Ioanne Baptista. Paulus uerò inter ea, pro quibus magnificè gloriabatur, addit etiam [*in fame & siti, in ieiunijs multis.*] Postremo, quod caput omnium est, Seruator ipse noster carnem quam pro nobis acceperat, ieiunio muniens, ad pugnandum aduersus Diabolum est profectus, ut nos hoc exemplo disceremus, Christianæ palestræ oleum esse ieiunium, cuius tanta est uirtus, & moderatio, ut omni ætati ac cuiuis conditioni sit consentaneum. pauperi quidem amplectendum ut contubernalis contiuaque iucundissimus, seruo ut requies laboris assiduique ministerij, diuiti ut medicamentum remediumque morborum, qui ex satietate plerunque generantur, ægrotis quasi sanitatis pater, ijs, qui bono habitu corporis sunt, tanquam eiusdem custos atque seruator. Hac iuuenes in officio continet ac temperantes facit, atque ad artes & studia promptiores. hoc senectutem seruat uegetiorem, [cui (ut quidam ait) tantum cibi & potionis adhibendum est, ut reficiantur uires, non opprimantur.] hoc omnibus æquè conuenit, domibus, foro, noctibus, diebus, urbibus, solitudini. Ieiunium laborum quies, ciuitatis honestamentum, fori constantia, domorum pax. Ieiunium ingenium acuit, menti splendorem affert, auget memoriam, disciplinas in animum introducit, uirtutum nutrix, lasciuiæ frenum, pubescentis ætatis moderator, coniugij custos, uirginitatis nutrimentum. Ieiunium clamorem opprimit, sedat lites, pugnas dirimit, fugat Dæmones. [*hoc* (inquit) *genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.*] Videtis qui sit hodie ciuitatis status his in bacchanalibus, quàm miserè inuisibiles hostes

Inuadunt urbem somno uinoque sepultam.

Si uerò extrusa ebrietate ac crapula, tanquam barbaris hospitibus deturbatis, ieiunium introducatur, omnis derepente ciuitatis facies immutabitur. nihil ludicrum aut impudens apparebit, mollis ac solutus risus, impudica cantica, insanæ saltationes ex urbe egre-

Marginalia: *Heb. 11.* *Matt. 3.* *Luc. 7.* *2. Co. 11* *Matt. 4.* *Mar. 9.*

egredientur, tanquam à seuero iudice sic à ieiunio relegatæ. Hoc ieiunium si omnes consiliorum cogitationumq; suarum socium admitterent, nihil prohiberet, quin profunda pace orbis omniũ terrarum frueretur. non gentes mutua inter se bella gererent, nõ contererentur exercitus, nec insani reges tot motus, qui ex temulento sæpius pectore prodeunt, excitarent. non iudicia & rabiosum forum tam multis litibus æstuarent. non esset tam frequens usus carceris. securus per solitudines uiator sublatis latrocinijs ingrederetur. maria piratas non haberent, si sub ieiunij disciplina orbis terræ instrueretur. non audiretur (ut beati Iob uerbis
Iob 3.39 utar) uox exactoris, neque tam laboriosa esset ac plena malis hominum uita, imperante ieiunio. luxus epularum cessaret ac sumptus, & animus cupiditatum uictor comessationes & ebrietates, atque his cognata cubilia & impudicitias, lites etiam & æmulationes, postremo malorum omnium fundamenta, superbiam, arrogantiam, auaritiam detestaretur. Nunc uero qui & ieiunium auersantur, & epulas quasi quandam uitæ beatitudinem persequuntur, multum illud malorum examen introducunt, seque postremo ac corpora ipsa perdunt, quorum causa tot uitijs atque erroribus implicantur. Huius igitur ieiunij ciues charissimi speciẽ & pulchritudinem, atque etiam utilitatem & fructum ante oculos ponite, quod plerisque omnibus triste quid uidetur ac graue, atque hoc exemplo assuescite, non facile errore imperitæ multitudinis duci, sed recto iudicio cuiusque rei pondus exigite, ne &
Esa. 5. uos id quod Esaias reprehendit, dicatis [*bonum malum & malum bonum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras.*] atque illud semper fixum animo sit, nullam inueniri posse aliam ad beate uiuendum uiam, cum ab ea recesserimus, quæ nobis ab ipso Deo proposita est, qui ut generis nostri auctor fuit, sic & feliciter uiuendi rationem, si eam intelligere uelimus, noluit ignorari. cui est gloria & imperium & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO NONA de tentatione, habita Dominica prima quadragesimæ.

ECCLESIA Dei, [*quæ* (ut ait Paulus,) *columna est & stabilimentum ueritatis*,] cum magistrum assecuta sit ac uiæ ducem Dominum nostrum Iesum Christum, in factis suis omnibus illum intuetur, atque ad illius cum dictorum tum factorum normam atque exemplar cursum suũ dirigit. quod & hodie fecit, nam cum solennæ quadragesimæ sanctæ ieiunium instituerit, exemplum proponit Seruatoris Christi, & quo pacto quadraginta dies ieiunauerit, postea fuerit à Diabolo tentatus. Aequum igitur esse arbitratus sum, ut hodie ista diligentius peruestigemus, ut ex his diebus eum fructum capiamus, quem ut perciperemus, fuerunt instituti. Scribunt sancti Euangelistæ Seruatorem Christum primò baptizari à Ioãne uoluisse, ut, quemadmodum ipse dixit, impleret omnem iustitiam. quo peracto [subductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo. & cum ieiunasset (inquit) dies quadraginta & totidem noctes, postea esuriit. & accessit ad eum tentator.] Quid hóc est, post baptismum ieiunium sequi, & post ieiunium tentationem? baptismus nouam uitam significat. [*consepulti enim sumus* (ait Paulus) *cum Christo per baptismum in mortem, ut, quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus*.] qui uerò nouam sibi uitam instituunt, eò maius illi conseruandę adhibere studium debent, quò dignior est res, ac plurimi facienda. quid enim est aliud homini Christiano non dico pluris ęstimandum, sed omnino atque absolutè ęstimandum? quare nemo unquam tam ingenteis in hac philosophia progressus fecisse se putet, quin illud semper ante oculos habeat, quod ait Paulus, [*cum timore & tremore uestram ipsorum operantes salutem*.] uita enim hæc tota stadium

1.Tim.3 | Ioan.1. | Mat.4. | Rom.6. | Phil.2.

quoddam eſt,in quo ſemper currant homines oportet, idque ſtudioſiſsimè,alioqui præmium non aſſecuturi. quanto uerò ſtudio
1.Cor.9. preſtandum hoc ſit, exemplum à Paulo accipite, qui cum athletarum morem propoſuiſſet, qui ab omnibus ſe abſtinent, quamuis perituram coronam expectent, atque iccirco nobis, quibus ęterna promittitur, multò ſtudioſius eſſe decertandum, adiecit, quid
1.Co.9. ipſe faceret, [ego (inquiens) *ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno non ut aerem uerberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.*] Vir tantus, qui tam ingenteis progreſſus in hac philoſophia fecerat,qui raptus ad tertium uſque cœlum fuerat, adhuc tamen caſtigabat corpus, ſciens habere nos ingenteis fortesque aduerſarios, quibuſcum perpetua lucta exercenda ſit, de quibus idem ait.
Ephe.6. [*non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum huius ſeculi, aduerſus ſpirituales aſtutias in cæleſtibus.*] idcirco
Ibidem. adiecit, *aſſumendam eſſe uniuerſam armaturam, ut poſſimus reſiſtere in*
Matt.6. *die malo.*] ob hanc cauſam docebat nos Dominus, ut orantes pe-
Luc. 11. teremus, ne induceremur in tentationem. & rurſus. [*Vigilate &*
Mar.14. *orate, ut non intretis in tentationem.*] Conſueuit autem aduerſarius noſter Diabolus eò uehementius rabiem ſuam exercere, quò ſtudioſius nos cernit in uirtutem & rectè facta incumbere, quod ui-
Eccl.2. detur quidam ſapiens obſeruaſſe, cum dixit. [*fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*] ſed euidentius Seruator ipſe demonſtrauit in propoſito dudum exemplo. quid enim eſt aliud poſt baptiſmum ieiunare, quàm poſt rectæ uitæ deliberationem munire ſeſe aduerſus imminentes iamiam tentationes? quas paratas mox eſſe ac continuò ſequi, ipſemet oſtendit, cum tentator illum adijt, diuerſisque aggreſſus tentationibus fuit. Sed uidendum eſt, cur dixerit Euange-
Matt.4. liſta ſubductum fuiſſe Dominum [in deſertum, ut tentaretur à Diabolo;] perinde quaſi non potuerit in ciuitate tentari. ſignificauit ergo Dominus, maiores grauioresque tentationes ab ijs eſſe expectandas, qui perfectioris uitæ ſtudium profitentur. Dæmones enim uelut athletæ quidam ſunt robuſtiſsimi. in athletis autem is eſt mos, ut fiant inter eos comparationes, & pro uirium ratione inter ſe componantur. dedignaretur enim celeberrimus aliquis athleta cum

ta cum eo decertare, qui longo interuallo uiribus sibi esset inferior. simillimè Dæmones non admodum curant defatigari, cum cernunt inertes homines sponte sua ad uitia pronos ac tentationem prçuenientes, & data opera peccandi occasiones sibi comparantes. nam hos aut tentare non dignantur, aut leui motu eos impellunt ad ea, quç uolunt. ut si gigas aliquis uno digito quempiam è populo ad terram deijceret, indignum arbitratus toto uti corpore ad illum superandum. In horum numero maxima uestri pars esse videtur, qui nullos conatus adhibent, vt vitiis peccatisque resistant. alioquin qui fieri posset, ut post factam exhomologesim ad eadem semper ac deteriora interdum relaberentur, nisi quòd nunquam serio atque ex animo deliberatis rectam ingredi uiam, ac Diaboli cæterorumque hostium obsistere oppugnationibus? quare nullo uos negocio in omnia scelera rapiunt. Vbi uerò quempiam cernunt incipere sese humo attollere, ac spirituale arripere iter, mox inuidi facto atque instructo agmine in illum feruntur, omnesque machinas admouent, ut illum expugnent. sentiuntque viri Dei cum ipso in virtutes progressu augeri Dçmonum uexationes. quod in Israëlitico populo, cui [*omnia* (ut ait Paulus) *contingebant in figura*,] fuit designatum. legitur enim quinque reges Amorrhæorum accepto nuntio, quòd transfugissent Gabaonitæ ad Israëlitas, conuenisse, & coacto exercitu oppugnasse eos. quid enim est, quinque reges oppugnare Gabaonitas, qui non erant ex genere Israëlitarum, nisi sensus carnis, qui & ipsi quinario constant numero, inuadere carnales adhuc homines, & qui veri Israelis genus nondum repræsentent? nam eiusmodi homines sensibus adhuc subiecti sunt, ac illos plurimum sequuntur. Ij autem reges interfecti à Iosue atque Israëlitarum populo fuerunt. nam appetitiones sensuum ratione ac mente dominante subijciuntur. Post interfectos uerò quinque hos reges, multò plures aduersus Israëlitas consurrexerunt. quia videlicet spirituales hostes augescentibus viribus nostris augentur & ipsi, quod euidens indicium est iam in via Dei profici, cum sentimus hostes, huius profectus inuidia aduersus nos commoueri. contra verò nondum spirituales tentationes experiri, signum est carnalis adhuc hominis, cum quo spirituales hostes grauiori certamine congredi dedignentur. huius generis hominibus

1.Co.10
Iof. 10.

incrementum, quemadmodũ in pugna usu euenit, ubi siqua fiat ex altera parte militum defectio, aduersæ aciei est accessio uirium, sic quod de ciborum copia uentri subtraxeris, in animi libertatem uiresque conuertetur. Sed ante quàm cursus noster longius feratur, optimum esse arbitror, definire, quid sit id, de quo hodie sermo habendus est, hanc præcipuè ob causam, quod maxima hominum pars ignorare mihi uidetur, quæ propria sit & uera ieiunij appellatio. ex quo fit, ut alij ieiunent quidem, ut sibi uidentur, sed nullum ieiunij fructum referat, alij solo deterriti nomine perinde effugiant, quasi anguem aut uenenatum aliud animal conspexissent. quibus utrisque ita succurrendum est, ut & alteris prosint sua ieiunia, & alteris non formidolosum solum, uerum etiam iucundum sit & appetendum ieiunij nomen. Et quidem si ueri ieiunij ratio breuiter quærenda est, unde illa, quàm plerique solum ieiunium intelligunt, ab escis abstinentiæ utilitatem accipit. Esaiæ nobis satis erunt uerba, quibus ipse Deus interrogantibus hominibus. [*quare ieiunauimus, & non aspexisti, afflixinus animas nostras & nesciuisti?*] respondet: [*ecce in die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra, & omnes debitores uestros repetitis. ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio. nolite ieiunare usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester. nunquid tale ieiunium est quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?*] cæteraque quæ magnificè, ut omnia, propheta persequitur. nam certè quę esset utilitas à carnibus abstinere, & fratrem quotidie dilacerare, uino parcere, neque se à contumelijs continere? Quare statuendum quidem est, id uerè ac propriè ieiunium appellari, cum animus sese à uitijs abducit, atque ab omni morum intemperantia seiungit. uerum, quia tum id optimè facit, cum corpus suum quasi habenis quibusdam, sic ciborum moderatione cohibet, ne efferatur, & lasciuiat, & tanquam equitem ac sessorem excutiat, de hac hodie parte præcipuè quæramus, geminumque in primis errorem auferamus, primum eorum, qui existimant, se tum ieiunasse, cũ cibum semel duntaxat singulis diebus acceperint, etiam si ea capiendi cibi hora usque ad uomitum fuerint satiati, quibus uereor ne ridiculum sit respondere in tam aperta culpa, quasi non facile quiuis intelligere possit, hoc pacto rationem omnem ieiunij penitus tolli, cum repleto quotidie uentre, neque carnis lasciuia coërcea-

(margin: Esa. 58.)

coërceatur, neque purgatus animus, cuius pręcipuè causa ieiunio operam damus, unquã in libertatem uindicetur. Alter error est, qui sæpe ignaros deterret, ne ieiunijs assuescant, dum credunt ieiunium esse quendam quasi interitum corporis, & rem naturæ nostræ contrariam, quæ cogitatio in maximum errorem inducit imprudentes. neque enim imperatum à Deo unquam usquam quis inueniat, quod uel animo uel corpori sit inimicum, quodque ei naturæ, quæ ab ipso Deo optimo instituta est, aduersetur. quam sententiam diligenter à uobis obseruari & animis uestris affigi uolo, ut intelligatis omnia semper uobis utilia in sacris literis & Diuinis uerbis esse proposita. Nam quòd eadem in ieiunio ratio sit, quodque nolit illud Deus corporum damno & interitu fieri, mementote quid idem ipse Deus per Esaiam dudum dixerit. [*nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, & contorquere quasi scirpum caput suum?*] Quod siquis illud obijciat, quod alibi scriptum est, [*affligetis animas uestras.*] id ex vulgi opinione dictum est, de qua loquendi figura & pluribus eius generis, sæpe alijs locis fecimus mentionem. His animaduersis definire sic ieiunium possumus. ut sit quædam in capiendis cibis moderatio, ut corpus optimè affectum aptius animo seruiat. Quid iucũdius, obsecro uos, aut magis homini expetendum audiri potest, quàm id, quod efficit, ut & animus suo munere fungi possit, & corpus sit optimè constitutum? quis est tam insigniter improbus, cuiusque animus tam sit in patinis, qui hanc definitionem non dico horrescat, sed non libentissimè amplexetur? certè enim iam quisque non statos dies, sed iustum annum, atque adeo totam uitam ad sic uiuendum eligere facilè & summa etiam cum uoluptate poterit. eos uerò dies, qui propriè ab ipsa Christi ecclesia ad ieiunandum selecti sunt, iam assuetus quotidiano ieiunio aget iucundissimè. Verum, quando ex uultu & nutibus uestris mihi uidemini intellexisse, ieiunium rem esse non odiosam & fugiendam, ut antea existimabatur, sed iucundam & amabilem, age pergamus reliqua, & quanta semper fuerit in rebus humanis illius uis, latius persequamur. Quòd si etiam eius uetustam originem, & antiquum genus quęritis, cumulatior inde laudum fiet accessio. Antiquum sanè munus ieiunium est, quod tamen non antiquatur nec ueterascit, sed uernat flore perpetuo. at expecta-

ibidem.

Leu. 16.

tis fortasse, dum eius uetustatem ab ipso legis, quæ per Mosen data est, tempore statuam? antiquius lege ieiunium est. quod non tunc introductum est, cum dies propitiationis imperatus est Israë
Leu. 17. li, [*septimo mense decimo die mensis*,] neque cum dictum est,
Zac. 8. [*ieiunium quarti*, & *ieiunium quinti*, & *ieiunium septimi*, & *ieiunium decimi*.] altiori principio est hæc origo repetenda. reuerere ieiunij canos, est enim quod uetustate antecellit, uenerabilius. coæuum generi hominum, si quæras, ieiunium esse comperies, &
Gen. 2. primam homini à Deo propositam legem in paradiso. [*De ligno* (inquit) *scientiæ boni* & *mali ne comedas*.] at uerò non edere, ieiunij & abstinentiæ opus est. si ieiunasset Eua, & à ligno abstinuis
Luc. 5. set, nunc ieiunio non egeremus. [*neque enim indigent sani medico, sed qui inualidi sunt*.] ægrotare cœpimus ob culpam & peccatum, curatio per pœnitentiam adhibeatur: at pœnitentia sine ieiunio ociosa & pigra est. execrationis uocem terra accepit, ut spinas ferret ac tribulos. mandatur homini, ut in sudore vultus sui uescatur pane. labor tibi non deliciæ proponuntur. Sed inter hęc illud attende, quemadmodum illa in paradiso uiuendi ratio quædam erat imago ieiunij, dum homo exiguis contentus, angelorum quasi uitam imitabatur. nondum ea, quæ postea hominum error atque adeo insania excogitauit, ijs, qui erant in paradiso, usurpabantur, uini potus, cædes animalium, tam uaria genera ferculo-
Gen. 3. rum, & tamen ob exiguum pomi esum, idest, ieiunij uiolationem, expulsus è paradiso homo est. quid censes facturam tantam tot ciborum ingluuiem? quàm longe nos à cœlo abducturam? Excidimus à paradiso ob eam causam, quòd non ieiunauimus, rursus ieiunandum est, ut eodem reuertamur. nónne uides, ut Lazarus ille ieiunando in Abrahæ sinu est collocatus? ne imiteris Euę errorem, neque serpentis consilium audias. nec uerò prętexe tibi inaneis causas, quòd nequeas, quòd corpore sis imbecillo. quasi non plus corpus lędat multa saturitas. ieiunium ferre non potes, & ciborum onus tam graue, ac distenti uentris molestias sustinere idoneus es? quin & ęgrotis non ciborum copiam sed inediam medici imperare consueuerunt. Quid facilius uentri est, leui ac simplici esca dulces per noctem somnos ducere, an turgido uentre iacere, aut ne iacere quidem, sed summa cum totius corporis molestia continue agitari? nisi fortasse dixeris, nauium guberna-

tores facilius seruare posse nauim, quę mercibus onusta sit, quàm quę exhausta ac leuis. nam uehementer onere mercium pressam, leuis plerunque fluctuum motus oppressit, at illa, quæ mediocri uectura contenta est, facile insultat undis & fluctus supereminet, nulla re impediente, quò minus sublimior ipsa feratur. eodem sanè modo hominum corpora cōtinua saturitate grauefacta in morbos incidunt, quæ uerò leuibus ac modicis alimentis assuescunt, si etiam aliquis morbus immineret, hunc quasi insurgentem procellam uictus parsimonia ac sobrietate declinant. uis enim illa, quæ in animali, tanquam in officina naturæ escas coquit, & in sanguinem ac carnem uertit, si non plus acceperit, quàm conficere ipsa possit, illud nullo negocio in optimos succos uertit, quòd si in multos uariosque inciderit cibos, quos digerere suo calore ac uirtute non possit, tum uerò diuersa morborum genera oriuntur. Sed ad historiam reuertatur oratio. diximus in paradiso fuisse ieiunium institutum. nunc uidendum est, ut maxima quæque per ieiunium sint homines assecuti. hoc armatus Moses in montem ascendit. neque enim aliter ausus esset ad fumigantem uerticem appropinquare, & in mediam illam nubem penetrare. hoc quasi comite ac socio legem accepit digito Dei scriptā in tabulis, & cum ibi ieiunium accipiendæ Diuinę legis fuisset occasio, in imis uentris ingluuies ad simulactorum culturam induxit. [*sedit* (inquit) *populus edere & bibere, & surrexerunt ludere.*] quadraginta dierum laborem ieiunantis & precantis Mosis, inanem fecit uinolentia, & quas ieiunium tabulas Dei digito scriptas adeptum erat, illas contriuit ebrietas, cùm iudicaret uir Dei indignum esse, ut temulentus populus tanto munere donaretur. exiguo temporis spatio ille populus, qui Deum per tot miracula intellexerat, ob edacitatem in Aegyptiorum idololatriam declinauit. Confer utraque inter se, & uide, ut ieiunium Deo conciliet, at deliciæ salutem prodant. Idem Moses ut alteras acciperet tabulas, quadraginta rursus dierum numerum repetiuit. At Niniuitæ, nisi iumenta etiam ieiunassent, euersionis minas euadere se non posse sunt arbitrati. Quid uerò in causa fuit, cur Esau amitteret primogenita? an non exiguum lentis edulium? at contra, ieiunium & oratio Samuelem matri donauerunt. [*Flebat Anna* (inquit) *& non capiebat cibum, & orauit ad Dominum flens largiter, & uotum uouit dicens, Domi-*

Exo. 34.
Exo. 32.
Exo. 34.
Exo. 32.
Exo. 34.
Ion. 3.
Gen. 25.
1. Reg. 1.

ne exercitum si aspiciens uideris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum uirilem, dabo eum Domino omnibus diebus uitæ eius.] Quid illum magnum Aristęum Samson inuictum hostibus fecit? an non ieiunium; cum quo in utero matris conceptus est? ieiunium hunc concepit, hunc educauit, hunc uirum fecit. quin mandatum fuit & matri, ut caueret, ne biberet uinum ac siceram, nec immundum quicquam comederet. [*de filio uerò, erit* (inquit) *Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero,*] quem dum ieiunium comitatum est, tandiu fuit inexpugnabilis, ut uno impetu mille ex hostibus interfecerit, portas urbis auulsas abstulerit, leonem quasi hædum in frustra discerpserit. ubi uerò hunc ebrietas & scortatio occupauit, captus ab hostibus est, priuatus oculis, & ludus ac iocus alienigenarum pueris factus. Ieiunium prophetas generat, fortes roborat, erudit legislatores, bonus animi custos, tutos hospes corporis, certantium exercitatio. hoc tentationes repellit, præparat pietati, uigilantiæ comes, artifex temperantiæ, in pręlijs pręstanteis facit, in pace quietem docet. Ieiunium Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit. neque enim fas est sine ieiunio sacerdotium administrare, nec id solum in mystico nunc & uero cultu, uerum etiam apud eos, quibus omnia contingebant in figura. Hoc Eliam fecit magni illius spectaculi contemplatorem, qui cum quadraginta diebus animum ieiunio perpurgasset, post in spelunca Oreb uidere Dominum meruit, quantum uidere homini licet. ieiunans filium reddidit uiduæ, aduersus mortem acceptis uiribus ieiunando. Ab ore eiusdem ieiunantis profecta uox occlusit præuaricatori populo cœlum annos tres & menses sex. [*Viuit Dominus* (inquit) *in conspectu cuius sto, si erit his annis pluuia & ros, nisi iuxta uerba oris mei.*] qui ut molliret indomitum cor eorum, qui dura ceruice erant, elegit & ipse se eidem pœnæ subijcere, ut egeret, & induxit per famem ieiunium, ut populus, qui nimia copia ac delicijs soluebatur, mores corrigeret ieiunando. At Elissęi qualem fuisse putamus uictum apud hospitam Sunamitidem? quo uerò conuiuio accepit filios prophetarum? qui cum iussisset ollam poni, ut aliquid pulmenti pararetur, puer, cui id mandatum fuerat, in agrum profectus collegit agrestes herbas, ne, quid essent, quidem sciens, quibus cum

Marginal references: Iud. 15. — Iud. 13. — Num. 6. — 3. Reg. 19 — 3. Re. 17. — 3. Re. 17. — 4. Reg. 4 — ibidem.

uesci cœpissent, intelligentes sibi periculum ex eo cibo imminere, exclamauerunt, [*mors in olla uir Dei*,] & uesci non poterant: 4.*Reg*.4.
breuiterque reperias, sanctos omneis uiros per ieiunium amicos & familiares Deo factos esse. Quid tres illi pueri in fornace ignis? *Dan*.3.
an non ieiunio ita roborati sunt, ut in igne incorrupti perdurarent? quemadmodum de cuiusdam corporis natura fertur, quod Græci *ἀμίαντον* appellant, quòd igni consumi non possit, atque in flamma positum ignitur quidem, uerum ubi extractum est, splendidius apparet, longeque purgatius. talia fuerunt puerorum corpora, qui in magno illo incendio uelut aurum fuere, atque ex igne purgatiores exiere, ut illa tanta flamma, quæ diffusa est cubitis quadraginta nouem, & multos Chaldæorum incendit, ne in capillos quidem eorum quicquam auderet. Daniel uerò uir desideriorum, qui tres hebdomadas panem non comedit, & aquam non bibit, leones etiam ipsos docuit ieiunare, cum in lacum demisso non ausi sunt inijcere dentes, tanquam si è lapide, aut ære, aut alia quauis constaret materia solidiore. Ieiunium uim ignis extinxit, occlusit ora leonum, ieiunium preces ad cœlum defert, eas quasi alarum remigio fulciens. ieiunium domorum incrementum, sanitatis mater, adolescentiæ pædagogus, ornamentum senum, bonus itineris comes, tutus simul habitantium contubernalis. non suspectas habet uir nuptiarum insidias, cum ieiunantem uxorem uiderit, neque zelotypia mulier uritur, uiro ieiuniū amplexante. Quis ieiunans domum suam unquam imminuit, aut fœnore sese & ære alieno implicauit? in ieiunio nullum animal mortem deflet, nunquam sanguis nunquam cædes ab insatiabili uentre in animalia sæuiens. cessat coquorum machæra. mensa simplicibus atque à natura paratis contenta est. Et sabbatum quidem Iudæis datum est, [*ut iumentum* (inquit) *tuum seruusque* *Deu*.5.
requiescat.] sit ieiunium sabbatum nostrum, & laborum quies, qui per totum annum ministrantibus seruis cōtinui sunt. Da coquis ac uernis cæterisque mensarum ministris aliquam requiem, cesset fumus & culinæ nidor, & domus aliquando tam multis tumultibus sursum deorsumque concursantium uacet. etiam qui tributa imperant, interdum subditis remissionem donant, idem & irrequieto exactori uentri faciendum est, qui semper petit, & quid hodie exegerit, cras obliuiscitur, &, dum plenus quidem est,

de

de temperantia philosophatur, cum respirauerit, iam philosophię præcepta non reminiscitur. Quanquam & iucunditatis occasio etiam ipsi corpori ieiunium est. ut enim sitis iucundiorem efficit potum, famesque præcedens, mensam cibosque condit, sic ieiunium, in quo fit tot lautitiarum intermissio, escas facit optabiliores, & uicissitudo habere secum ferè iucunditatem solet, quod quidam poëta ait.

Plerunque gratæ diuitibus uices,
Mundæque paruo sub lare pauperum
Cœnæ sine auleis & ostro
Solicitam explicuere frontem.

Quare siquis appetibilem parare mensam uelit, ieiuniorum uicissitudinem amplectatur. plerique uerò atque adeo maxima hominum pars, dum nimium delicias sectantur, eadem, quam ita auidè appetunt, priuantur uoluptate. nihil enim est tam expetendũ, quod non utendi assiduitate uilescat. at quarum rerum usus rarior est, earundem est iucundior fructus. Atque id usu uenit, quod cum sæpe uobis ciues mei dixerim, sæpe etiam dicendum est. ut qui Euangelicam doctrinam, Christianamque philosophiā sequi uelint, ijs omnia iucunda succedant, quibus uerò luxus & desidia ac turpes uoluptates cordi sunt, ij uitam etiam hanc cum ea, quæ expectatur, amittant, nequa enim existimandum est, Deum, qui ut summæ potestatis & sapientiæ, sic etiam infinitæ est bonitatis, ita uiam, quam ingrederemur, instituisse, ut non esset hæc longè pręstantior, in hac etiam exigua uita, quàm cætera omnia uiuendi instituta, quæ sibi humana insania (sic enim rectius quàm prudentia appellatur) excogitauit. Deus itaque nostri generis auctor, ut eorum, quæ clargitus est, nobis gratiorem fructum efficeret, alternas uoluit res in natura succedere. an non cernis, ut sol post noctē aut diuturnas pluuias gratior est, & post somnum uigilię, & sanitas post morborum experimentum optabilior? simillimè post ieiunium fit mensa iucundior. Quanta præterea est in ieiunante gratia? uultus ac color plenus dignitatis, mites oculi, moderatus incessus, comis & decora oratio, mens pura, cor syncerum, & summa interioris hominis compositio. quocirca uideas passim ieiunium fuisse quasi hæreditatem quandam filiorum Dei. cogita enim mihi, qui fuerit eorum uictus, quibus

quibus [*dignus non erat mundus, qui oberrabant in ouillis & caprinis pellibus, destituti, oppressi, afflicti, in desertis errantes & montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.*] contemplare Ioannis Baptistæ uitam, quæ tota ieiunium unum fuit, cui non lectus, non mensa, non agri cultio, non arator bos, non parata industria hominum cibaria affuere. icirco nemo maior propheta inter natos mulierum Ioanne Baptista. Paulus uerò inter ea, pro quibus magnificè gloriabatur, addit etiam [*in fame & siti, in ieiunijs multis.*] Postremo, quod caput omnium est, Seruator ipse noster carnem quam pro nobis acceperat, ieiunio muniens, ad pugnandum aduersus Diabolum est profectus, ut nos hoc exemplo disceremus, Christianæ palestræ oleum esse ieiunium, cuius tanta est uirtus, & moderatio, ut omni ætati ac cuiuis conditioni sit consentaneum. pauperi quidem amplectendum ut contubernalis continuaque iucundissimus, seruo ut requies laboris assiduique ministerij, diuiti ut medicamentum remediumque morborum, qui ex satietate plerunque generantur, ægrotis quasi sanitatis pater, ijs, qui bono habitu corporis sunt, tanquam eiusdem custos atque seruator. Hac iuuenes in officio continet ac temperantes facit, atque ad artes & studia promptiores. hoc senectutem seruat uegetiorem, [cui (ut quidam ait) tantum cibi & potionis adhibendum est, ut reficiantur uires, non opprimantur.] hoc omnibus æquè conuenit, domibus, foro, noctibus, diebus, urbibus, solitudini. Ieiunium laborum quies, ciuitatis honestamentum, fori constantia, domorum pax. Ieiunium ingenium acuit, menti splendorem affert, auget memoriam, disciplinas in animum introducit, uirtutum nutrix, lasciuiæ frenum, pubescentis ætatis moderator, coniugij custos, uirginitatis nutrimentum. Ieiunium clamorem opprimit, sedat lites, pugnas dirimit, fugat Dæmones. [*hoc* (inquit) *genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.*] Videtis qui sit hodie ciuitatis status his in bacchanalibus, quàm miserè inuisibiles hostes

Inuadunt urbem somno uinoque sepultam.

Si uerò extrusa ebrietate ac crapula, tanquam barbaris hospitibus deturbatis, ieiunium introducatur, omnis derepente ciuitatis facies immutabitur. nihil ludicrum aut impudens apparebit, mollis ac solutus risus, impudica cantica, insanæ saltationes ex urbe

Heb. 11.
Matt. 3.
Luc. 7.
2. Co. 11
Matt. 4.
Mar. 9.

egredientur, tanquam à ſeuero iudice ſic à ieiunio relegatæ. Hoc ieiunium ſi omnes conſiliorum cogitationumq́; ſuarum ſocium admitterent, nihil prohiberet, quin profunda pace orbis omniũ terrarum frueretur. non gentes mutua inter ſe bella gererent, nõ contererentur exercitus, nec inſani reges tot motus, qui ex temulento ſæpius pectore prodeunt, excitarent. non iudicia & rabioſum forum tam multis litibus æſtuarent. non eſſet tam frequens uſus carceris. ſecurus per ſolitudines uiator ſublatis latrociniјs ingrederetur. maria piratas non haberent, ſi ſub ieiunij diſciplina orbis terræ inſtrueretur. non audiretur (ut beati Iob uerbis
Iob 3.39 utar) uox exactoris, neque tam laborioſa eſſet ac plena malis hominum uita, imperante ieiunio. luxus epularum ceſſaret ac ſumptus, & animus cupiditatum uictor comeſſationes & ebrietates, atque his cognata cubilia & impudicitias, lites etiam & æmulationes, poſtremo malorum omnium fundamenta, ſuperbiam, arrogantiam, auaritiam deteſtaretur. Nunc uero qui & ieiunium auerſantur, & epulas quaſi quandam uitæ beatitudinem perſequuntur, multum illud malorum examen introducunt, ſeque poſtremo ac corpora ipſa perdunt, quorum cauſa tot uitijs atque erroribus implicantur. Huius igitur ieiunij ciues chariſsimi ſpeciẽ & pulchritudinem, atque etiam utilitatem & fructum ante oculos ponite, quod pleriſque omnibus triſte quid uidetur ac graue, atque hoc exemplo aſſueſcite, non facile errore imperitæ multitudinis duci, ſed recto iudicio cuiuſque rei pondus exigite, ne &
Eſa. 5. uos id quod Eſaias reprehendit, dicatis [*bonum malum & malum bonum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras.*] atque illud ſemper fixum animo ſit, nullam inueniri poſſe aliam ad beate uiuendum uiam, cum ab ea receſſerimus, quæ nobis ab ipſo Deo propoſita eſt, qui ut generis noſtri auctor fuit, ſic & feliciter uiuendi rationem, ſi eam intelligere uelimus, noluit ignorari. cui eſt gloria & imperium & nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO NONA
de tentatione, habita Dominica prima quadragesimæ.

ECCLESIA Dei, [*quæ* (ut ait Paulus,) *columna est & stabilimentum ueritatis*,] cum magistrum assecuta sit ac uiæ ducem Dominum nostrum Iesum Christum, in factis suis omnibus illum intuetur, atque ad illius cum dictorum tum factorum normam atque exemplar cursum suũ dirigit. quod & hodie fecit, nam cum solennæ quadragesimæ sanctæ ieiunium instituerit, exemplum proponit Seruatoris Christi, & quo pacto quadraginta dies ieiunauerit, postea fuerit à Diabolo tentatus. Aequum igitur esse arbitratus sum, ut hodie ista diligentius peruestigemus, ut ex his diebus eum fructum capiamus, quem ut perciperemus, fuerunt instituti. Scribunt sancti Euangelistæ Seruatorem Christum primò baptizari à Ioãne uoluisse, ut, quemadmodum ipse dixit, impleret omnem iustitiam. quo peracto [subductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo. & cum ieiunasset (inquit) dies quadraginta & totidem noctes, postea esuriit. & accessit ad eum tentator.] Quid hoc est, post baptismum ieiunium sequi, & post ieiunium tentationem? baptismus nouam uitam significat. [*consepulti enim sumus* (ait Paulus) *cum Christo per baptismum in mortem, ut, quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus*.] qui uerò nouam sibi uitam instituunt, eò maius illi conseruandę adhibere studium debent, quò dignior est res, ac plurimi facienda. quid enim est aliud homini Christiano non dico pluris ęstimandum, sed omnino atque absolutè ęstimandum? quare nemo unquam tam ingenteis in hac philosophia progressus fecisse se putet, quin illud semper ante oculos habeat, quod ait Paulus, [*cum timore & tremore uestram ipsorum operantes salutem*.] uita enim hæc tota stadium

1.Tim.3

Ioan.1.

Mat.4.

Rom.6.

Phil.2.

quoddam est, in quo semper currant homines oportet, idque studiosissimè, alioqui præmium non assecuturi. quanto uerò studio
1. Cor. 9. prçstandum hoc sit, exemplum à Paulo accipite, qui cum athletarum morem proposuisset, qui ab omnibus se abstinent, quamuis perituram coronam expectent, atque iccirco nobis, quibus çterna promittitur, multò studiosius esse decertandum, adiecit, quid
1. Co. 9. ipse faceret, [*ego* (inquiens) *sic curro non quasi in incertum, sic pugno non ut aerem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.*] Vir tantus, qui tam ingenteis progressus in hac philosophia fecerat, qui raptus ad tertium usque cœlum fuerat, adhuc tamen castigabat corpus, sciens habere nos ingenteis fortesque aduersarios, quibuscum perpetua lucta exercenda sit, de quibus idem ait.
Ephe. 6. [*non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spirituales astutias in cœlestibus.*] idcirco
Ibidem. adiecit, *assumendam esse uniuersam armaturam, ut possimus resistere in*
Matt. 6. *die malo.*] ob hanc causam docebat nos Dominus, ut orantes pe-
Luc. 11. teremus, ne induceremur in tentationem. & rursus. [*Vigilate &*
Mar. 14. *orate, ut non intretis in tentationem.*] Consueuit autem aduersarius noster Diabolus eò uehementius rabiem suam exercere, quò studiosius nos cernit in uirtutem & rectè facta incumbere, quod ui-
Eccl. 2. detur quidam sapiens obseruasse, cum dixit. [*fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*] sed euidentius Seruator ipse demonstrauit in proposito dudum exemplo. quid enim est aliud post baptismum ieiunare, quàm post rectæ uitæ deliberationem munire sese aduersus imminentes iamiam tentationes? quas paratas mox esse ac continuò sequi, ipsemet ostendit, cum tentator illum adijt, diuersisque aggressus tentationibus fuit. Sed uidendum est, cur dixerit Euange-
Matt. 4. lista subductum fuisse Dominum [in desertum, ut tentaretur à Diabolo,] perinde quasi non potuerit in ciuitate tentari. significauit ergo Dominus, maiores grauioresque tentationes ab ijs esse expectandas, qui perfectioris uitæ studium profitentur. Dæmones enim uelut athletæ quidam sunt robustissimi. in athletis autem is est mos, ut fiant inter eos comparationes, & pro uirium ratione inter se componantur. dedignaretur enim celeberrimus aliquis athleta cum

ta cum eo decertare, qui longo interuallo uiribus sibi esset inferior. simillimè Dæmones non admodum curant defatigari, cum cernunt inertes homines sponte sua ad uitia pronos ac tentationem preuenientes, & data opera peccandi occasiones sibi comparantes. nam hos aut tentare non dignantur, aut leui motu eos impellunt ad ea, quę uolunt. ut si gigas aliquis uno digito quempiam è populo ad terram deijceret, indignum arbitratus toto uti corpore ad illum superandum. In horum numero maxima uestri pars esse videtur, qui nullos conatus adhibent, vt vitiis peccatisque resistant. alioquin qui fieri posset, ut post factam exhomologesim ad eadem semper ac deteriora interdum relaberentur, nisi quòd nunquam serio atque ex animo deliberatis rectam ingredi uiam, ac Diaboli cæterorumque hostium obsistere oppugnationibus? quare nullo uos negocio in omnia scelera rapiunt. Vbi uerò quempiam cernunt incipere sese humo attollere, ac spirituale arripere iter, mox inuidi facto atque instructo agmine in illum feruntur, omnesque machinas admouent, ut illum expugnent. sentiuntque viri Dei cum ipso in virtutes progressu augeri Dęmonum uexationes. quod in Israëlitico populo, cui [*omnia* 1.Co.10
(ut ait Paulus) *contingebant in figura*,] fuit designatum. legitur *Ios.* 10.
enim quinque reges Amorrhæorum accepto nuntio, quòd transfugissent Gabaonitæ ad Israëlitas, conuenisse, & coacto exercitu oppugnasse eos. quid enim est, quinque reges oppugnare Gabaonitas, qui non erant ex genere Israëlitarum, nisi sensus carnis, qui & ipsi quinario constant numero, inuadere carnales adhuc homines, & qui veri Israelis genus nondum repræsentent? nam eiusmodi homines sensibus adhuc subiecti sunt, ac illos plurimum sequuntur. Ij autem reges interfecti à Iosue atque Israëlitarum populo fuerunt. nam appetitiones sensuum ratione ac mente dominante subijciuntur. Post interfectos uerò quinque hos reges, multò plures aduersus Israëlitas consurrexerunt. quia videlicet spirituales hostes augescentibus viribus nostris augentur & ipsi, quod euidens indicium est iam in via Dei profici, cum sentimus hostes, huius profectus inuidia aduersus nos commoueri. contra verò nondum spirituales tentationes experiri, signum est carnalis adhuc hominis, cum quo spirituales hostes grauiori certamine congredi dedignentur. huius generis hominibus

ibidem. illud Pauli conuenit, [*tentatio uos non apprehendit nisi humana*,] hoc est, exigua ac leuis, id enim appellare humanum con-
Rom.6. sueuit, ut & illud. [*humanum dico propter infirmitatem carnis ue-stræ*.] At uero eiusmodi tentationes, quæ aduersus spirituales homines à Dæmonibus exercentur, subtiliores sunt, & quadam
2.Co.11. boni specie adopertæ. tunc enim [*angelus Sathanæ trasfigurat se in angelum lucis*,] ut ait idem Paulus, quod non facit in ijs, qui obnoxij adhuc carnis appetitionibus sunt, nam ijs apertissimos laqueos proponit, in quos uolentes ac scientes sese induant. qui non solum delectantur malefactis, uerum etiam ijs gloriari consueuerunt. ad hos ergo capiendos, spiritales uenatores non admodum multa opus habent arte. ad eos uerò supplantandos, qui rectam sibi honestamque uitam proposuerunt, magna utuntur insinuatione, neque apertè ad malefacta prouocant, quod & in Seruatore factum fuit. nam, cum post quadraginta dierum ieiunium cerneret Diabolus illum esurire, ansam se nactum esse arbitratus
Matt.4. est, qua illum adoriretur. & accedens ait. [si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.] Quis uestrum hic fraudem suspicetur? esuriebat, deerat panis, poterat ut Dei filius ac Deus non ex lapidibus solum, sed ex nihilo etiam panes creare, & ijs uesci, ne fame conficeretur. cur ergo Diaboli consilium accipere recusauit? neque uerò credendum est, Diabolum sese aperuisse quis esset, sed hominis alicuius accepta specie, qui bene ei uelle uideretur, ita consuluisse. cur ergo consilium respuit? Scire cupiebat Diabolus, num is esset, qui expectabatur salutem mundo allaturus, ut instructior esset ad illum in factis ipsius omnibus oppugnandum. quòd si Diuina uirtute sua rerum naturam immutauisset, & ex lapidibus panes effecisset, propius accedere poterat ad eum agnoscendum. hoc Dominus animaduertens, simul etiam sciens, non hac necessarium esse uti uia ad leuandam famem, improbauit illius cõsilium,
Deu.8. & respondit. [scriptum est, non in solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei.] Cur mihi lapides (inquit) & panem proponis? perinde quasi hac una uia leuari fames possit. at me Diuinæ literæ docent, non esse solum panem, quo uiuat homo, sed quamlibet pręterea rem, quam iubeat Deus. cum enim
Exo.16. in deserto uersaretur populus Israeliticus, ac deesset per tot annos panis, cœlesti alimento tam ingens multitudo satiata fuit.

quod

quod beneficium ut intelligerent Hebræi, dixit illis Moses. [*Dedit tibi Deus cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut ostenderet tibi, quòd non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo*, hoc est, re, est enim Hebraismus, *quod egreditur de ore Domini*.] Eiusmodi tentationem, indigentiæ uidelicet ac famis, identidem uobis obijcit Diabolus, neque eam aduertitis. cum enim cernitis pauperem esurientem, sitientem, nudum, breuiter omnium egenum, quid uos detinet aliud, quo minus ei succurratis, & illius inopiam leuetis, nisi quòd suggerenti aduersario creditis, fore, ut, si inopi subueniatis, uobis interea desit? sed mox ad scripturæ sacræ lucem esset accurrendum, quæ contrarium docet. sic enim scriptum legimus. [*qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*] cernitis contra accidere, quàm uestræ uobis uel Diaboli cogitationes suggerunt? tantũ enim abest, ut eleemosyna opes imminuat, ut augere eas potius idonea sit. quare discite Seruatoris exemplo uestrorum omnium factorum, non à uestris cogitationibus, sed à scripturis sacris consilium capere. hæc enim præcipua uia est, Diaboli laqueos fraudesque euadendi. Simul illud cogita, Diabolum initium tentationis accepisse à cibo, quo uidelicet hominum natura seruatur. quo ordine & ad primum hominem euertendum cum esset usus, atque ex uoto res cessisset, non desperauit etiam in hoc futurum se uoti compotem. sed frustrata fuit illum sua spes. nam Diuina auctoritate omnes illius machinas est demolitus. hanc eandem artem quotidie exercet in tentandis hominibus duas ob causas. primum ut ad cibum tanquam ad rem necessariam inuitans, in comessationes trahat & ebrietates, quæ cubilia sequuntur atque impudicitiæ. deinde ut sub indigentiæ opinione pigros ad largiendum, atque ad quæuis charitatis opera efficiat, dum metum inijcit futuræ olim indigentiæ. huic ergo in primis tentationi tota mente atque omni animo resistendum est, à qua si superemur, reliquis omnibus nullo negocio subijciemur. ad Diuina igitur oracula tanquam ad clarissimos septentriones intendendi oculi sunt, atque identidem repetendum, [non in solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo quod procedit ex ore Dei.] hoc ad cohibendam gulæ ac uentris intemperantiam, hoc ad frenandam insatiabilem illam habendi cupiditatem plurimum ualebit, hoc ad largè præbendam eleemosynam

Deu. 8.

Pro. 28.

Deu. 8.

molynam alacres efficiet, cum Diuinis pollicitationibus potius, quàm arcæ aut horreis uestris fidetis. nam hæc caduca & fragilia
Esa.40. sunt, [*uerbum autem Domini manet in æternum.*] quin ex ethnicis quidam dicere ausi sunt, animum qui ad pietatem & rectè facta bene assueuerit, posse etiam fragile corpus seruare. In hac parte superatus, alia illum uersipellis aggreditur uia. & primo cernens illum muniuisse se scripturarum Diuinarum testimonijs, quærit eisdem armis illum superare, quibus ad se defendendum erat usus, & sublatum illum in pinnaculum templi sic alloquitur,
Matt.4. [si filius Dei es, mitte te deorsum. scriptum est enim. angelis suis mandabit
Psal.90. de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.] Obserua hic, magistrum hæreticorum & tanquam parentem esse Diabolum, qui inuertere scripturas docuit. primum enim hoc non de filio Dei scriptum est, sed de fidelibus illius membris, deinde cum hæc angelorum custodia promittitur, non ad hoc promittitur, ut se quisquam temere manifestißimis obijciat periculis, & ostentationis gratia quicquam faciat. quare respondet Dominus, neque ab eisdem sacræ scripturæ testimonijs recedit, neque propterea ea deserit, quòd abusus illis fuerit Diabolus. & ait,
Deut. 6. [scriptum est. non tentabis Dominum Deum tuum.] cum enim poßimus uiribus in natura nostra à Deo insitis uti ad aliquid peragendum, uelle experiri Diuina miracula, nihil est aliud quàm tentare Deum. Hæc secunda fuit tentatio. nam cum uidisset illum cibi appetitione minimè acquieuisse fraudulento consilio, tentauit, num gloriæ appetitione posset superari. qua arte frequenter & nunc utitur. repetiuntur enim plurimi, qui gulæ ac uentris uoluptatem aspernantur, ut rem homine indignam. at ubi metus est, nequid humanæ gloriæ depereat, continuo dant manus & superari se ab hac tentatione sinunt. hi sunt, qui in litibus atque inimicitijs nihil remittere uolunt de suo, arbitrati id esse inglorium, & hac gloriæ imagine illecti Diuinas leges obliuiscuntur. Hac
Matt. 4. absoluta tentatione, assumit eum Diabolus [in montem excelsum ualde, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum. & dixit ei. hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.] In duabus superioribus tentationibus callida insinuatione est usus. in prima enim naturę necessitati ac fami consuluit esse succurrendum, quod rationi uidebatur consentaneum. secundam uerò scripturarum auctoritate

muni-

muniuisse sibi uisus fuit. mirum uerò est, quo pacto in hac tertia apertissimum facinus proposuerit, sine ullo integumento aut re, quæ speciem aliquam præ se boni atque honesti ferret. absolutè enim petit adorari, pollicitus hac facta adoratione, se omnia illi mundi regna donaturum. mitto nunc mendacium, cuius Diabolus pater est. neque enim uerum est, potestatem regnorum mundi ipsius esse, aut posse se eam dare cui uelit. illud solum cogitemus, quo pacto non desperauerit, fore, ut proposito mundi regno, tanto sceleri assentiretur. qua in re intelligendum est, quanta sit ambitionis honorumque appetitionis uis, quam agnoscens Diabolus esse ingentem, non dubitauit Christo, quem & si Dei filium esse nondum apertè norat, uirum tamen esse magna sanctitate intelligebat, proponere tantum scelus, oblata regnandi atque imperandi spe. Hanc huius uitij potentiam atque efficaciam cernimus in ijs, qui hoc morbo laborant, qui iura omnia Diuina atque humana pro nihilo putant, non generi, non sanguini parcunt, neminem agnoscunt, humanitatem omnem uidentur exuisse, & illud unum intueri, ut scilicet dominandi expleant appetitum. ut uerè honorum appetitio plena à Deo auersio sit. Hoc ergo malum quò est perniciosius, eò maiore illi studio opponere se quisque debet, acriusque illud à se longiusque reijcere, ac Dominum imitari, qui seueriori etiam quàm in alijs tentationibus responsione corripuit aduersarium. dixit enim. [uade Satana, scriptum est enim. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.] Deu. 10. Audistis Seruatorem Christum Dei filium, quem unum degendæ uitæ nostræ magistrum intueri debemus, antequàm se mundo proderet, ac docendorum hominum parandæque illorum salutis munus aggrederetur, uoluisse tentationibus exerceri, ut intelligeremus, tentationes solidissimum esse omnium rectè factorum fundamentum, quod si desit, quicquid construxeris, facile sit ruiturum. tentatio enim experientem hominem facit. nam [*qui non est tentatus* (ait quidam sapiens) *quid scit?*] experientia uerò fortes atque ad Eccl. 34. perferendum robustiores facit, & quasi consolidat, & explorat etiam, ut ignis uasa testea. idcirco scriptum est; [*uasa figuli probat fornax, & uirum iustum tentatio tribulationis.*] ob hanc causam Eccl. 27. beatum appellat Iacobus apostolus uirum, [*qui suffert tentationem.*] illud uerò eiusdem magis paradoxum est, cum ait. [*omne* Iacob. 1. Ibidem.

gaudium

gaudium existimate fratres cum in tentationes uarias incideritis.] O' mirificos uiros. non contentus fuit appellasse gaudium, nisi omne gaudium appellauisset. [Nos numerus sumus (ut quidam di-
Mat.14. xit) & fruges consumere nati.] atque id nobis accidit, quod discipu
Mar.6. lis olim in mari laborantibus. nam cum fluctibus agitarentur, ac Dominus propius accessisset, arbitrati sunt phantasma esse. sic nos in medijs molestijs tanquam marinis fluctibus non agnoscimus Christum eiusque philosophiam, sed eam quasi esset phantasma ac res inanis negligimus, atque adeo auersamur. Quare moneo ut hodie Seruatoris exemplo animati, non solum quascunque ingruentes molestias, quas omnes tentationis appellatio complectitur, non metuamus, sed paremus nos ad eas, quotiescunque uenerint, excipiendas, præsertim cum pro certo habendum sit, neminem in hac uita absque tentatione uicturum. tota enim hominis
Iob 1. uita tentatio est, totaque hæc terra tentatori peruia. [*circuiui* (inquit Satan) *terram, & perambulaui eam.*] Omnes item uelut in area positi sumus, tantumque hoc interest, quòd quemadmodum in area & triticum & paleæ cæduntur, sed paleæ duntaxat atterun tur, triticum uerò integrum manet, redditurque percussionibus illis purgatius, sic homines expositi afflictionibus omnes sumus, in quibus mali franguntur in palearum morem, boni uerò perstant, euaduntque nitidiores ac puriores, dicuntque cum pro-
Psal.65. pheta, [*igne nos examinasti sicut examinatur argentum*,] quod uidelicet igni redditur purius. & quemadmodum, cum cernimus metalla, dum conflantur, arbitramur id ad illorum decorem gloriamque pertinere, sic cum fatigamur aduersis, cogitemus hác unam esse uiam, quá ab hac terrena mortalique concretione tanquam scoria purgati, speciem nostram & decus recipiamus. Illud præterea addam, eos, qui crucem post Christum ferre amant, crucem ipsam sine crucis sensu ferre, qui uerò eá fugiunt, hos solos crucis pondere onerari. uerissimum enim est quod dixit Dominus, iugum meum suaue est & onus meum leue. iugum uerò ac onus, quod à mundo imponitur, uerè graue est, & quouis pon dere onerosius. Sed contemplemur huius propositæ tentationis
Matt.4. finem. [tunc (inquit) reliquit eum Diabolus, & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei.] idem ipsum & nobis usu ueniet, si tentanti aduersario generosè obsistamus, si cogitationes & consilia nostra non

non nostris appetitionibus, sed Diuinis auctoritatibus metiamur, semperque animo attendamus, quid in Dei lege scriptum sit. ea enim est tanquam lucerna lucens in caliginoso loco, qua sublata nihil præter densissimas tenebras aspectibus nostris sese offeret. atque hæc una causa est, cur tam sæpe impingamus, quòd neglecta hac luce spatia longa conficimus, in terrenis semper curis uersantes, neque unquam aut certè quàm rarissimè ad cæleste lumen oculos attollentes. quod si præstaremus, essemus profectò fidentiores, neque tanta rerum unquam necessitas ingrueret, quę nos à certa in Deum fiducia posset auocare. quid enim? omni humana ope destituimur? ecce promittitur ministerium angelorū: [angelis (inquit) suis mandabit de te,] & quod in capite nostro Christo peractum est, idem ipsum proculdubio & in illius membris peragetur. qua spe animati paremus nos ad omnia pro Christo perferenda. ut sicut cum illo patimur, sic etiam tandem regnemus cum illo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen. Psal. 90.

ORATIO DECIMA.

De morte.

ANTE quàm de iudicio, quod à Seruatore Christo faciendũ expectamus, uerba, quemadmodum fuimus polliciti, faciamus, necessarium mihi uidetur admonere, nobis omnino esse moriendum. quæ uerba nequis ridẽda arbitretur, perinde quasi hoc omnibus exploratum sit, meminerit factis potius standum esse quàm uerbis. at facta ipsa euidentissimam præbent significationem, maximæ hominum parti id accidere, quod Paulus de quibusdam dixit, quòd scilicet Deum se nosse profiterentur, factis autem negarent. sic plerique omnes fatentur se morituros, at rebus ipsis ita se gerunt, perinde quasi uicturi semper sint. quod cum fit, malè uiuant necesse est. nam ut quidam ex-

Titum 1. ternus dixit. [malè uiuunt, qui se semper uicturos putant.] ob hanc causam necesse est homines identidem admoneri, moriendum esse omnino. quam rem nisi assidua repetitione benè penitus animo infigamus, atque intimis sensibus ita percipiamus, ut ad illius recordationem sentiamus nos commoueri, nunquam persuadere nobis debemus, nos credere esse aliquando morituros. in qua recordatione hoc nos distare ab ethnicis debemus, & ijs, qui à ueritatis agnitione erant alieni. nam illis si mortis cogitatio terrifica erat, nihil est mirandum, cum nulla eorum spe, quæ à nobis post hanc uitam certissimè expectantur, haberent, unde metus mortis, natura homini insitus leniretur. nos uerò, qui scimus in peccati quidem pœnam morti obnoxium factum esse genus nostrũ, sed ob eam tamen causam, ne malum nostrum esset sempiternum, perpetuoque damnaremur exilio, si in eo semper esset uiuendum, nos inquam qui hoc scimus, neque hoc solum, uerum etiam acquisitam nobis per Christum æternæ uitæ hæreditatem, non debe-

1.The.4. mus ita tristari, [*sicut cæteri* (ut ait Paulus) *qui spem non habent.*]

sed

ſed cum meminimus eſſe moriendum, illud etiam addere, expectandam eſſe mortuorum corporum ad æternam uitam reſurrectionem, & eouſque duntaxat ſenſum aliquem mortis pati, quòd quemadmodum idem Paulus ait, [*qui ſumus in hoc tabernaculo gemimus onerati propterea quòd nolimus exui ſed ſuperindui, ut abſorbeatur mortalitas à uita.*] cum enim mors quoddam naturæ detrimentum ſit, & tantæ cognationis, quanta inter animam & corpus intercedit, diſſolutio, non poteſt ipſa natura mortem non exhorreſcere. ſed fides, quæ una ſuperare hūc metum idonea eſt, & naturæ terminos tranſilit, illiusque corrigit imbecillitatem, continuò ſuccurrit, neque eam ſinit omnino deficere, ſed ſuſtinet cadentem, atque addit cum Paulo. [*itaque bono animo ſimus ſemper, & ſcimus, quòd cum habitamus in corpore, peregrinamur à Deo. per fidem enim ambulamus non per ſpeciem.*] & uide ſequentium uerborum fiduciam. [*confidimus autem* (inquit) *& probamus magis peregre abeſſe à corpore, & præſentes adeſſe apud Deum.*] cernis fidei uires, quæ propoſitis duobus, mauult diſſolui à corpore, ut cum Deo ſit? quare? quia confidit, fore, ut idem corpus, neque ita multò poſt (nihil enim cenſet diuturnum, in quo ſit aliquod extremum) incorruptum glorioſumq; recipiat. quocirca quicunque noſtrum, qui philoſophiam hanc à Chriſto inſtitutam profitemur, mortis memoria & recordatione deijci nos adhuc & animis cadere ſentimus, ſignum præbemus nullius aut certe perquam exigui profectus in hac philoſophia facti. Quòd ſi non cuiuſuis eſt dicere cum Paulo, [*cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,*] certè turpiſsimum eſt, nos ab ethnicis ſuperari, qui dicebant id meditandum ab adoleſcentia eſſe, mortem ut contemnamus, & addebant, nos, dum ſumus his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſsitatis & graui opere perfungi, eſſe animum cœleſtem ex altiſsimo domicilio depreſſum, & quaſi demerſum in terram, locum Diuinæ naturæ æternitatique contrarium. aiebant optandam eſſe mortem ſapienti, & mortem timere nihil eſſe aliud, quàm ſapientem uideri eum, qui non ſit ſapiens. item mortem ultimum non eſſe (nam quidam dicebant mortem eſſe extremum terribilium) ſed extrema eſſe inferorum ſupplicia. quæ uerba uidete ut quàm proximè acceſſerint ad Seruatoris ſententiam, ubi ait. [*nolite timere eos, qui occidunt corpus,*

2.Cor.5.

2.Cor.5.

Phili. 1.

Mat. 10.

Mat.10. [*sed eum timete, qui potest & animam & corpus conijcere in Geennam.*] quid hos censemus fuisse facturos, si euidentia illa sacrarum scripturarũ habuissent testimonia, quibus nos abundamus, & quæ scimus à Deo profecta, de animorum immortalitate, de suscitandis ad immortalem uitam corporibus, de bonis illis, quæ
Esa. 64. [*nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt,*
1. Co.2. *quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum,*] & filium hominis
Mat.16. uenturum in gloria patris sui, & redditurum unicuique secundũ opera sua? nam qui inter ethnicos aliquid horum sunt opinati, aut à nostris acceperunt, aut humanis cogitationibus ea ratiocinabantur, à quibus exiguo item negotio poterant auocari. at nos, qui tam solida habemus ueritatis fundamenta, si huius mortis timori per totam uitam sumus obnoxij, arguimur profectò, nos solo cognomine ad hanc philosophiam pertinere. Quare ineunda nobis ratio est & inuenienda uia, qua tantum pudorem à nobis arcere, ac mortis metum superare ualeamus. Duo autem in primis sunt, quæ iuuare nos ad id præstandum possint, & huius scilicet uitæ tum breuitas tum miseriarum copia, & futuræ felicitas atque prolixitas. Quid obsecro boni habet hæc uita cur expetatur? si spatium cogites, atque illud conferas cum æternitate, quid ab ijs bestiolis distamus, quas ferunt apud Hippanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, nasci, atque unum diem uiuere? sicut ergo ex ijs ea, quæ octaua hora mortua sit, prouecta ætate esset mortua, quæ uerò occidente sole, decrepita, eò magis si etiam solstitiali die, sic si longissima ætas cuiusuis hominum conferatur cum æternitate, in multò minore breuitate, quàm illæ bestiolæ reperiemur. nulla est enim temporis cum æternitate comparatio, quare rectius uix duarum horarum fabulæ, quæ in scena agatur, ualet comparari. at quis uel mediocriter prudens eiusmodi fabulæ spectandæ studio ita afficiatur, ut, si ea careat, mœrore contabescat, aut ingens se damnum fecisse arbitretur? si ergo hæc huius uitæ scena, si etiam toto hoc spatio omnibus afflueret bonis, sine ullo mali aut incommodi cuiusquam sensu, ob uitæ tamen breuitatem, pro nihilo est putanda, quanti facienda est, cum tot malis est obnoxia, ut longo interuallo mala superent? quorum solus metus posse illa accidere, quamuis nunquam euenirent, inficere ac commaculare omnem uitæ iucunditatem posset. multò uerò magis

gis cum experiamur illa euenire, morbos, labores, rerum iacturas, lites, controuersias, inimicitias, quę & huius generis alia plerunque mortem uita eiusmodi optabiliorem faciunt. Sed fingamus hominem, quod quàm rarißimè, aut nunquam potius contingit, fingamus tamen hominem, cui nulla unquam experiri priuata incommoda contigerit, nónne saltem illud, quod commune cum omnibus est, satis incommodorum secum affert? somnus ipse, qui singulis diebus tot horas aufert, ac mortuis persimiles reddit, an morbus per se non est? sed consuetudo ipsa est impedimento, quo minus hęc attendamus, quemadmodum & de cibi quotidiana necessitate. quòd si aliquot annos uiuere sine alimento & somno contingeret, processu uerò temporis per ætatum gradus hæc & capiendi cibi & dormiendi necessitas accresceret, profectò iudicaremus nos cœpisse in morbum incidere, qui pro cibi uel somni portione augeretur. quamuis enim in cibis capiendis uoluptas quædam esse uideatur, primum exigua est, & uix duorum digitorum obtinet latitudinem, deinde obruit animum, præcipuam hominis partem, atque adeo quę sola uerus homo est, neque finit illum liberè suas uires exercere. Præterea bona ipsa, quibus frui in hac uita contingit, quę aut quanta tandem sunt? excepta enim uirtute, in qua tamen quò maiores progressus fiunt, eò magis uitæ huius cupiditas imminuitur, cætera quid sunt, opes, honores, imperia? quæ cum animi bonis officere plurimum soleant, quæ sola homini, qui ratione uti uelit, æstimatione digna esse debent, ne bona quidem sunt appellanda. si uerò ad hæc cogites, quàm multis semper bona illa permixta curis ac molestijs sint, non uideo quo pacto quispiam mente præditus bona audeat appellare. atque hæc cogitatio efficiebat, ut ipsi etiam ethnici dicerent, cum accidit, ut à Deo denuntietur, ut exeamus è uita, lætos & gratias agentes parere debere, emittiq; nos è custodia, & leuari uinculis arbitrari, atque è tenebris in lucẽ excedere. Hæ cogitationes si sæpius tractentur, & in earũ familiaritatẽ bene penitus se animus det, fiet, ut homo non admodũ de hac uita solicitus sit, quę quo minus expetitur, eò etiam minus mors incipit formidari. neque tamen optare illam natura audet, nisi fidei adminiculo fulciatur. adhibẽda ergo sunt felicia illa Christianę philosophię promissa, quę cum accesserint, mox non solum non metuenda mors,

uerum

uerum etiam optanda iudicabitur. primum enim quis non libens æternitatem tempori præferat, & rebus momentaneis res sempiternas? quarum contemplatione uiri sancti etiam grauissima quæque pro leuissimis habebant. quia uidelicet per ea infinitas illa futurorum bonorum pararetur. quocirca Paulus dicebat.

2.Cor.4. [*momentanea leuitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis non spectantibus ea, quæ uidentur, sed quæ non uidentur. nam quæ uidentur, temporaria sunt, quæ autem non uidentur, æterna.*] appellat momentaneam leuitatem quicquid pati hic potest homo, æternorum bonorum comparatione. Rursus quis peregrinationem odiosam, atque adeo exilium potius non libens iucundissima patria permutet? at dum sumus in hoc mortis corpore, peregrinamur à Domino, exulamus à patria. atque hoc exilium iam tum à progenitoribus nostris cœpit, qui in pleno uoluptatis loco positi, cum felicitatem suam non agnouissent, in terram execrationi obnoxiam eiecti fuerunt, quæ spinas nobis pro

Gen.3. ferret ac tribulos. Hoc agnoscentes patriarchæ illi Abraham, Isaac, & Iacob, in tabernaculis habitauerunt. expectabant enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius opifex & conditor est Deus, cuius & Paulus alio loco meminit, [*scimus* (inquiens) *quòd si ter-*

2.Co.5. *renum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domũ non manufactam æternam in cœlis.*] Si ergo mors migratio quædam est ad loca meliora, atque ab exilio ad patriam reditus, quis unquam repertus est, cui exilium patria, & tentoria solidissimis pulcherrimisque palatijs fuerint chariora? Disputarunt philosophi gentium, & luculentissimis locupletissimisque argumẽtis probare conati sunt, mortem non esse malum, quæ tantum abesset ab eo, ut esset formidabilis, ut philosophiam nihil esse aliud existimarent, quàm commentationem mortis. &

Col.3. nos quibus notæ factæ sunt uiæ uitæ, demonstratumque ubi ea sit, nosque mortuos nunc esse, & uitam nostram absconditam esse cum Christo in Deo, ad mortis nomen decet perhorrescere, quæ nisi adueniat, non possumus neque ab exilio reuocari, neque in in illius, quæ uerè uita est, asciſci consortium? In hanc nos sententiam si crebris meditationibus ueniamus, fiet, ut omnia pariter bona introducantur. primum enim multum nobis de arrogantia, ob quam in multos errorum nos laqueos induimus, detrahetur,

tur, atque adeo tota potius ab animis nostris auferetur, & cum [*superbia initium omnis peccati*] sit, ea sublata per hanc mortis recordationem, facile à peccatis abstinebitur. atque hoc illud est, quod quidam sapiens admonebat, [*in omnibus* (inquiens) *operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*] fit etiam hac recordatione, ut humana ista omnia, quę alioqui tanti ab omnibus fiunt, contemnantur. cum enim quis longissimam ętatem cum ęternitate conferens inuenit, ne momenti quidem ne dum scenæ instar esse, quis rem momentaneam uel magni uel parui faciat, quam acceptam eodem momento sit relicturus? hoc ubi assecutus quis est, desieritque tam insanè affectus pecunijs esse, cótinuò tam ægra miserorum inopia sublata erit, nullusque reperietur in hac urbe mendicus, quę mendicitas atque inopia non ob aliam causam existit, quàm quòd quisque quantumlibet locuples sit, semper tamen sibi aliquid defuturum ueretur, dum longiorem sibi uitam pollicetur. sequitur præterea ex hac mortis cogitatione, ut omnia conuitia, omne iniuriarum genus ęquo animo perferamus. cum enim ista difficilia toleratu existimentur propterea, quòd putamus hoc uitæ spatium, quo hic degimus, esse aliquid, cum illud nihil esse intellexerimus, ne illa quidem, quæ in eo accidunt, iudicabimus æstimanda. quod ut ita esse facilius intelligatis, fingite aliquem, cui unius tantum horę uiuendi terminus præfixus sit, is non magnopere curauerit, si maximis eo spatio iniurijs, contumelijs, conuicijsque afficiatur, quin totus in ea erit cogitatione, iam iamque sibi esse moriendum. At uerò dum nunquam de discessu ab hac uita cogitamus, & perinde uiuimus, quasi semper nobis sit uiuendum, iccirco in contrarium omnia facimus, insolescimus, & [*in magnis* (ut prophetæ utar uerbis) *ambulamus, ac mirabilibus super nos,*] proximum quenque contemnimus, nemini cedere libet, continuis litibus inimicitijsque studemus, nunquam habendi cupiditate satiamur, atque in hydropicorum morem quo plura habemus, eò plura concupiscimus. hinc ędificiorum immanes structurę, hinc tot in corporis ornamenta ac uestes insani sumptus, hinc honorum appetitiones & regnandi libido, hinc rerum omnium confusio, & miserandus humanę uitæ status, qui, si de uitę huius breuitate, & huius ipsius breuitatis incóstantia sæpius cogitaretur, esset penè dicam beatissimus. cum enim

Eccl. 10.

Eccle. 7.

Psal. 118

Psal. 89. enim [*dies annorum nostrorum* (quod multo iam tempore à propheta fuit dictum) *septuaginta sint anni*,] aut ad summam octoginta, nam quod ultra est, [*labor est & dolor*,] si etiam certò sciremus toto spatio esse uiuendum, quid tandem esset, si, non dico cum ęternitate, sed uerò cum eorum ætate, qui nongentis & eo amplius annis uixerunt, conferatur? cum uerò hoc ipsum tam exiguum ita præterea incertum est, ut nemo scire possit, se ad uesperam, atque adeo ad horæ momentum esse uicturum, quæ obsęcro est hæc insania, tantas in hoc nihilo turbas excitare, ac tanti rę illā facere, quę nihil potius quàm aliquid sit? cur non magis operam damus, ut hoc exiguum cum tranquillitate uiuamus? quod alia assequi uia nunquam licebit, nisi ante oculos semper habuerimus huius uitæ breuitatis atque inconstantiæ recordationem. multò uerò magis id præstabimus, si adiecerimus bonorum memoriam, quę nobis post hoc uitæ curriculum promissa sunt. quibus si omnia ista comparemus, inueniemus profectò hanc, quam uitam appellamus, esse mortem, illam uitam. hoc exilium, illam patriam. hic tenebras, illic lucem. omnem, quę haberi hic possit, sapientiam & scientiam & disciplinam summam esse ignoratio-

1.Co.13 nem. nam [*uidemus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*.] qui uerò hac contenti sunt rerum agnitione, quæ dum in hoc corpore mortis agimus, percipi potest, similes mihi uidentur illis infantibus, qui ubi literarum elemēta didicissent, recusarent ultra progredi, satis se assecutos arbitrati. quantum enim tandem est, quod assequi potest homo, cum sapientissimus ille Sa-

Eccle. 8. lomon clamet, [*intellexi* (inquiens) *quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum, quæ fiunt sub sole*.] quod si ea, quæ oculis subiecta sunt, tam sunt intellectu difficilia, &,

Sap. 9. quemadmodum alius quidam sapiens dicebat, [*difficile æstimamus, quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ in cœlo sunt, quis inuestigabit*?] ob hanc causam uiri Dei pere-

Ps. 119. grinationem hanc iniquo animo ferebant, dicebantque. [*Hei mi-*

Psal. 41. *hi, quòd incolatus meus prolongatus est*.] & rursus. [*quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus*?]. Cum ergo demonstra-

monſtratum ſit, mortem non eſſe metuendam, cum ob uitæ breuitatem atque inconſtantiam, tum ob mala, quibus plena eſt, optandam uerò etiam, quòd ad meliorem uitam, atque ab exilio ad patriam migratio quædam ſit, contemnamus omnes ineptias, & pueriles cogitationes abijciamus, & eas, quæ dignæ uiro ſunt, induamus. ſic enim fiet, ut & hoc, quod reliquum eſt uitę ſpatium ſumma cum tranquillitate peragamus, & demum æternam felicitatem conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO VNDECIMA.

de Iudicio Dei.

CONSTITVTVM *eſt hominibus* (ait Paulus) *ut ſemel moriantur, poſt hoc autem iudicium.*] quare conſequens eſt, ut, poſtea Heb. 9.
quàm de morte uerba fecimus, hodie de eo die loquamur, quo ſiſtendi omnes ſumus Rom. 14.
curam tribunali Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſicut ſemel oblatus fuit ad multorum Heb. 9.
tollenda peccata, ſic ſecundo apparebit quidem expectantibus illum in ſalutem, ſed impijs etiam conſpicuus erit, ut reddat unicuique, [*prout quiſque geſſit in corpore ſiue bonum ſiue malum.*] Cum 2. Cor. 5.
ergo rem tractaturi ſimus, cui intereſſe nos omnes oporteat, eamque tanti momenti, ut pręter eam nihil præterea ſit, quod magnopere ſit æſtimandum, cætera enim omnia caduca & momentanea ſunt, ueſtrum ſit iudicium, quanta cum attentione ea, quę dicenda hodie ſunt, percipere animo debeatis. ut autem aptius res ante oculos ponatur, ipſa eiuſdē iudicis Chriſti uerba cōmemoremus. [Cum uenerit filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc Mat. 25.
ſedębit ſuper ſedem gloriæ ſuæ.] Solam quidem ipſius filij Dei pręſentiam ingentem ſecum afferre gloriam, uel ipſa eius facta in monte transfiguratio argumento eſſe poteſt, cum effulſit facies eius ſicut Mat. 17.
ſol, & ueſtimenta eius facta fuerunt candida ſicut lumen, cum

uerò accedent in numeri illi sanctorum angelorum exercitus,quę hominum mens gloriæ illius assequi magnitudinem poterit? tantus enim rerum apparatus,etiam cœlestibus illis uirtutibus erit ad mirationi. quod ut credam admonent me Diuina Seruatoris uer

Mat.24. ba,qui de hoc die alibi loquens dixit. [sol obscurabitur, & luna non da

Mar.13. bit lumen suum,& stellę cadent de cœlo,& uirtutes cœlorum commouebūtur. & tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & glor'a mu'ta.] [uirtutes (inquit) cœlorum commouebuntur,] quod uerbum in Græco apertius intelligitur, ubi legitur σαλευθήσονται, quasi in morem maris fluctuabunt. Si potestates illæ cœlestes, quę à robore & ui nomen sunt assecutæ,quamuis nullius sibi conscię sceleris sint, tamen in tanta rerum nouitate commouebun-

Pro.20. tur, quid nobis fiet, qui pleni sordium sumus? [*quis enim potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato? quis gloriabitur ca*

Iob 25. *stum habere cor? stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis qui habitant lutosas domos?*] quantum uerò tunc incutiet terrorem noua illa mundi facies, & huius machinæ perturbatio, cuius sola commemoratio memet apud me essenon sinit? uehementioris tonitrui sonitu, & multò magis ictu fulminis attoniti reddimur,& toto corpore contremiscimus. quid erit uerò, cum illa in sole,luna,& stellis nouitas conspicietur? cū mittentur angeli cum tubæ uoce magna ad homines congregandos,quis magnam illius tubę uocem sine maximo terrore est auditurus? Fingite animis, famam esse,summum quendam imperatorem cum immenso exercitu huc aduentare,& causam cur ueniat, ignorari, amicóne an hostili animo. quid, obsecro uos, faceretis? primum tota ciuitas suspensa penderet animi,quotidianas illas cogitationes, quibus nūc identidem occupamini, abijceretis, nihilque aliud uersaretis animo, quàm quisnam huius aduentus exitus esset futurus. deinde summo studio daretis operam, ut quàm possetis maximis muneribus illum placaretis, & inquireretis quibus potissimum donis delectaretur, eaque pararetis, nihil curantes facultates ob hoc uestras imminui. quòd si cæteræ facultates non essent satis, mulieres ipsæ ornamenta omnia proferrent, & in commune ponerent, neque expectarent,dum rogarentur. cur hæc? quia grauiora metuerent. quę nā ista? ne facultatibus omnibus spoliarentur,euerteretur ciuitas, ferro uos ac liberi uestri trucidarētur. metu ergo amit

tendæ

tendæ uitę uestræ ac liberorum, & iacturę facultatum hoc ageretis, quamuis hæc omnia post paulò essetis amissuri morte aduentante, quę cum uenerit, omnibus his estis carituri. at hęc omnia, quę de imperatoris cuiuspiam aduentu dicta sunt aduenietę Christo rege regum & Domino dominantium imminent, atque illud accedit maius, quòd huius seculi principes, postea quàm occiderint corpus, nihil pręterea habent, quod faciant, hic uerò potest & corpus & animam in æternos ignes relegare. & in re tantę summæ tantique ponderis stertimus, & in utrãque aurem dormimus? impendet singulis momentis huius maximi imperatoris aduentus, nescimus quid nobis futurum sit, certò tamen scimus quibus placetur donis, beneficentia uidelicet in pauperes, & tamen ad eam præstandam tam frigidi & tam pigri sumus. ad metum terreni principis omnia negligeremus, ad cogitationem aduentus Christi, mordicus omnia tenemus. O uecordes ò stupidos animos. tantæ uerò uecordię ac stupiditatis causa est, quòd non ista animo affigimus, eaque tanquam minimè ad nos pertinentia audimus. sed pergamus reliqua. [Congregabuntur ad eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.] Obsecro uos, ut tanquam in præsentia res agatur, ita nunc adsitis. liberę enim sunt cogitationes nostrę, & quæ uolunt sic intuentur, ut ea cernimus quæ uidemus. quod ergo erit hoc spectaculum, in totius orbis terræ conuentu rem tantã peragi, in quo omnes quotquot ab ipso mundi initio fuerunt, & qui usque in finem futuri sunt, congregati conspicientur, quibus coactis nox fiet illa, quam hic ait Dominus, seiunctio proborum ac improborum, contingetque, ut plurimi, qui in hac uita imperio potiti fuerant, magnique extiterant, & tanquam Dij inter alios homines, illic abiecti reijciantur, & qui hic contempti fuerunt, ac pro nihilo habiti, maximis honoribus à Christo afficiantur. quæ rerum nouitas quàm admiranda uidenda sit, capite hanc coniecturam. siquis princeps hanc ciuitatem ingressus, repente primates ciuitatis postremos omniũ faceret, ac contemptũ quenque eorum loco poneret, omnes in admirationem raperentur, & illa eorum qui abiecti essent, ignominia longè ipsa morte acerbior uideretur. multò uerò magis id accidet, ubi non unius ciuitatis sed totius orbis terrę conuentus celebrabitur.

Luc. 12.
Adag.
Mat. 25.

Mat.25. [Statuet (inquit) oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris.] & sola quidem collocatio significationem præbet, quid secuturum sit; nam dextera fauorem præ se fert, sinistra uerò auersum animum: sed uerborum adiectio & modus maiorem affert efficaciam.

Mat.25. [Tunc dicet rex (inquit) ijs, qui à dextris sibi erunt, uenite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi.] & sola quidem potentium appellatio ingentem subiectis consolationem parit, & maximi honoris loco habent ab eis salutari. ubi uerò à Dei filio tam benigna tam familiaris appellatio audienda est, quis illam felicitatem assequi cogitatione unquam possit? simul illud obserua. in primis ad electos uerba fieri, tum quòd id unum illi gratũ

Psal.29. est, nostro generi benignè facere. nam, ut propheta rectè ait, [*ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius*,] hoc est, momentanea est ira eius, cum quasi cogitur nos castigare, sed in uotis illi est, ut uiuamus, ac bene nobis sit. tum uerò, quòd præcipuè cordi illi sunt electi sui. Et quidem quis non contentus esset in tanti regis tam felici regno seruũ agere? maius enim hoc esset, quàm in hac uita esse regem. si enim regina illa Saba experta Salomonis

3.Re.10. sapientiam & gloriam dixit, [*beati serui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*,] quantò magis hi? nam [*plusquam Salomon hic*,] cui omnis Salomonis gloria comparata lusus puerorum est. cum uerò hos non ad sibi seruiendum sed tanquã regni consortes inuitat ad illud possidendum, quàm beata res hæc futura sit, non solum expectandum non est, ut enuntiare quisquã

Luc.11.

Phi.4. oratione possit, sed ne mente quidem complecti. hæc enim est

Mat.25. pax illa, quæ superat omnem mentem, ut ait Paulus. [Possidete (inquit) regnum paratum uobis ab exordio mundi.] tot ante seculis quàm essemus, præparauit hoc regnum, non contentus hanc magnificam mundi fabricam nostris usibus construxisse. indicium profectò incomprehensæ erga genus nostrum charitatis. Quòd si prætereà regni illius diuturnitatem cogites, quid reliquum est, nisi ut in stuporem uersi extra nos feramur? si enim mille annorũ, ut quidam crediderunt, qui iccirco χιλιασταί, hoc est, millenarij sunt appellati, spatio duraturum esset, optaretur tamen summo studio. cuius rei fidem facere uobis potest huius tam angustæ & prætereà miserrimæ uitæ amor, multò uerò magis si centum millibus annorum esset uidendum. cum uerò infinita illa æternitas

propo-

proponatur, neque ullis unquam seculis desitura felicitas, hoc omnes prorsus secum beatitudinis numeros affert. nam in quo extremum tandem aliquod est, quamuis longum sit, finem aliquando est habiturum, atque iccirco minus plenum, neque humanã implens appetitionem. sed uolens Deus plena nos felicitate mũnerare, uoluit ut bona illa, quæ in futura uita pollicitus est, nullis terminis circunscriberentur. Quæ cogitatio efficere deberet in nobis, ut gauderemus hanc uitæ breuitatem hic esse nobis constitutam, non solum ut quàm ocysimè uera illa bona adipisci detur, uerum etiam quòd pugnæ labor, quo hic decertandum est, celerius est finiendus. nam si illa ętas, qua olim homines nongentis & eo amplius annis uiuebant, aut longior etiam, ut decem millium annorum esset proposita, mandatumque esset, ut toto illo spatio pro regni æternitate defatigaremur, nemo, qui sana esset mente, conditionem recusaret, quando pro æternitate comparanda, nulla quamuis longißimi, quod tamen finem habiturum esset, temporis spatia deterrere à maximis laboribus hominem deberent. quòd si in eo uiuendi statu ac prolixitate diceretur, statuisse Deum longa illa spatia imminuere, ut centum duntaxat annis defatigaremur, quibus peractis in promissam æternitatem reciperemur, ingens profecto munus illud arbitraremur, ob quod maximæ Deo gratiæ essent habendæ. nunc uerò ob perditos mores nostros, quodque nunquam ex animo in huius beatæ æternitatis cogitationem uenimus, illud ægrè ferimus, cuius gratia esset maximè lætandum. [Possidete regnum] inquit. si huic ciuitati certa spes obiecta esset, fore, ut, si diligenter operam dent, Italiæ regno potiantur, nullis sumptibus, nullis laboribus parceretis, noctes diesque in his cogitationibus uersaremini, infantes ab ipso ubere his sermonibus imbueretis, quamuis fieri posset, ut omnes, qui ea ætate essent, ante morerentur, quàm illud assequi contingeret. nunc uerò regnum sempiternum, immensum, omni ex parte beatum, omni sexui, cuius ætati, cuius hominum generi propositum est, & de illo summum inter uos silentium est. quotus enim quisque uestrum est, qui uel minimam diei particulam in hoc impendat, de hoc commentetur, hoc identidem uxori, liberis, ac toti familiæ inculcet? quod tamen unum mente, animo, lingua, factis paßim esset repræsentandum. Quousque huic inopiæ *Mat. 25.*

pia

piæ affecti erimus? en erit unquam, ut generosos dignosque tanto munere animos induamus? ad regnum facti sumus. idque infinitum, & adhuc minima hæc & puerorum lusibus quàm simillima sectamur, & semper pueri esse uolumus. Sed quæ tandem res tanta est, qui labores, qui sudores, quæ certamina tam ingentia sunt, quæ tantum bonum queant promereri? nam si pro terreno regno comparando, re nimirum momentanea ac caduca tā immanes sumptus fiunt, tot discrimina subeuntur, tot exercituū cædes incidunt, expetēda iure pro æterno regno longè maiora uiderentur. O incomprehensam Dei benignitatem. audite enim

Mat.25. quid dicat. [Esuriui & dedistis mihi cibum, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & uisitastis me, in carcere eram, & uenistis ad me.] Venit mihi in mentem illud dicere,

Deu.30. quod in Deuteronomio scriptum est. [*mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum ualet in cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere cōpleamus? neque trans mare positum, ut causeris & dicas, quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire & facere quod præceptum est?*] quę obsecro facilior excogitari uia potuit, qua tanta felicitas pararetur? nónne digna erat hęc tanti regni pollicitatio, ut illius cōtemplatione omnia, quę hic haberi possunt, proiicerentur? quod sanè in primis nascentis ecclesię temporibus fuit factum. tunc enim huius philosophiæ uim animo atque intimis sensibus percipiebant. nunc uerò ista uix ad corporis aures sinimus peruenire. sed cogitate tamen, quàm benignè nobiscum fecerit Deus. si enim fuisset dictum, ut, quicunque uellet in sempiternum hoc regnum intromitti, omnibus se priuaret, eaque iis pauperes distribueret, nemo qui mente præditus esset, recusaret conditionem. quid enim? subiret animum, reliquum uitæ esse sine lare sine foco agendum? hunc metum continuò superaret illa æternorum bonorum contemplatio, & quòd breuis scena hæc & uitę somnium esset potius quàm uita. in eundem modum fieret, si liberorum cura animo obuersaretur. re enim uera illius felicissimę æternitatis consideratio omnia quęcunque obijcere se possunt impedimenta exiguo negocio euertere idonea est. Fingite ergo animis, ita primò fuisse constitutum atque imperatum, ut, nisi

nisi abiectis facultatibus omnibus, nulla spes esset illius regni adipiscendi. post aliquot uerò annos admoneremur, permitti nobis, ut tantum haberemus, quantum uix nostrę ac liberorum uitę ad uictum cultumque satis esset. tantum ut nullis opibus ad luxum & splendorem uitæ abuteremur. quàm ingenteis indulgentissimo Deo hoc nomine gratias ageremus, atque hanc conditionem tam gratè amplecteremur, ut ne teruncium quidem auderemus pręter præfixam à Deo legem impendere. nunc uerò, ò ingratum, ò perditum genus, non contenti necessarijs, quę liberalissimè à Deo permissa sunt, tot excogitamus luxurię ac insumendarum pecuniarum uias, tot pręteximus inanes necessitatis causas, ut, qui maximè opibus pollent, ij maximè iuuandis pauperibus sint inepti. & tamen sibi persuadent se ad Christum pertinere, & sperare audent, se in illius regnum esse introuocandos. qui digni potius sunt, qui ne huius quidem breuis uitæ usura fruantur, ingrati tantæ ac tam profusę liberalitati. nam ut cęteros abusus omittam, mulieres, quę in primis pietatem profiteri deberēt, quibus sumptibus unquam parcunt contemplatione huius æternitatis? quid amplius insanire possent in infinito illo mundo suo muliebri, si nullam unquam audiuissent futuræ uitę famam? quę tantum abest, ut cibum, & potum, & uestes, cęteraque, quæ hic commemorat Dominus, egenis impertiant, ut insana illa ornandi sui corporis cura, uelut Carybdis quędam, & uorago inexhausta omnia deuoret, & causa sit, cur tot pauperum greges fame ac frigore conficiantur. nam satis essent sola illa monilia & pretiosarum uestium numerus, quas interim tinea demolitur, ad leuandā inopiam miserorum. Rursus aliud cogita. quòd non solum tam ingentem uicissitudinem reddit ei rei, ad quam pręstandam sponte naturę inuitamur (neque enim tam laudandus est, qui in naturę suę consortes commouetur misericordia, quàm reprehendendus qui id non facit) sed etiam sua ipsius dona munerare in hoc facto cognoscitur. quid enim habes, quod non acceperis ab illo? nam omnia, nisi ingratissimus omnino esse uelis, accepta illi referre debes, siue ea ipse adeptus sis, siue à maioribus relicta acceperis. nam & id quod adeptus es, nisi & ingenium & incolumitatem cęteraque adipiscendi instrumenta dedisset, non haberes, & ex diuitibus parentibus ut nascereris effecisset, cū ex infimo & pauperrimo

perrimo

perrimo quoque ipso uolente nasci potuisses. cum ergo illius bonorum duntaxat sis dispensator, quanta est hæc benignitas, uelle Deum ad solam rerum suarum rectam dispensationem tāto te afficere beneficio? rursus qua dignus eris pœna, si contrarium præstiteris, & bonis tibi dispensandi gratia creditis abusus fueris? Et hæc quidem rex. quid uerò iusti? obstupefacti tanti regis maiestate, admiratique uerba illa, quibus dixisset, sibi ab illis benignè esse factum, quem tamen nunquam meminissent à se fuisse

Mat. 25. conspectum, respondebunt. [Domine quando te uidimus esurientem & pauimus, aut sitientem & dedimus tibi potum, quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum & cooperuimus te, aut quando te uidi-

Ps. 135. mus infirmum aut in carcere & uenimus ad te?] Quo (inquiunt) pa-

Esa. 55. cto uidere te potuimus ijs egere? nónne is es, qui das escā omni carni? qui inuitas sitientes, ut ueniant ad te & bibant? qui tantū abest, ut nudus fueris unquam, ut non solum animalia munias naturali ueste, uerum etiam fœnum ac flores, & eo uestimento, quod ne Salomon quidem in omni gloria sua assequi unquam po

Psal. 23. tuit? quando hospes fuisti, cum tua sit terra & plenitudo eius?

1. *Cor.* 1. quando infirmus, qui es Dei uirtus? quando in carcere, qui sol-

Esa. 145. uis compeditos? quare nouum hoc nobis admodum uidetur, neque intelligere possumus quid hoc uelit, quòd accepta nobis refers ea, quę nunquam meminimus præstitisse. & respondens rex

Mat. 25. dicet illis. [amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.] Miseret me atque etiam pudet nostrę, qui à Christo acceptum cognomen circunferimus, uecordię atque stultitiæ, tamque supini animi, neque unquam seriò cogitantis res

Phil. 2. tam cogitatu necessarias. ille Dei filius in cuius nomine omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum, fratres appellat eos, quos ne aspicere quidem dignamur, qui uagi circueunt domos sine lare sine foco, miserrimi, omnium egeni, ab omnibus spreti, neglecti, contempti, & tamen soli hi sunt, per quos in immortale illud regnum sumus introducendi. quis ista ex animo apud se reputans, obuium quemlibet pauperem nō uereretur, amplecteretur, foueret? si enim regis aut imperatoris alicuius charissimus frater hanc urbem ingrederetur, sciremusque, eum, qui beneuolum erga illum animum præberet, esse ab ipso rege maximam uicissitudinem beneficij recepturū, profectò certaretis mu-

neribus

neribus alter alterum ſuperare,ſpe illa recipiendorũ beneficiorum illecti . at uerò rex maximus Chriſtus profitetur pauperes eſſe fratres ſuos, polliceturque ſe ob unam ergà illos beneficentiam regnum cœli repenſurum,& nullus tantis promiſsis commouetur. quin potius, cum acrius ſuperioribus diebus urgerem, ut uel pupilli iſti atque orphani, qui neminem habent, qui eos curet, colligerentur, dareturque opera, ne uagi per urbem ferrentur, audiui à quibuſdam dici, me nimium multa eodem atque uno tempore tractare,quaſi ſatis in præſentia ſit,quòd hactenus ſit prouiſum in reliquos pauperes . ſed ueſtrum nunc iudicium ſit, quàm deceat uel momento temporis,ne dicam menſium & annorum ſpatio regis Chriſti fratres ita neglectos poſthaberi . Iam penè duo anni ſunt, cum epiſcopus uobis ſum datus , nequedum rei, quæ tanti à Chriſto fit,eſt prouiſum . quòd ſi ille, quem dudum dicebam,regis frater hanc urbem ingreſſus, non dico duobus annis,ſed duobus diebus atque adeo duabus horis moraretur ſine hoſpitio, iudicaretis rem fieri nefandiſsimam . fratres Chriſti tam uagantur diu per urbem nequedum tempus eorum colligendorum eſſe exiſtimabimus ? mutate mihi credite hãc ſententiam, & deſinite, ubi tanta res agitur,tam ſupina uti negligentia . Reſtat audire quid ijs, qui à ſiniſtris erunt, dicturus ſit, quæ cum audientur, miror, niſi ad extremos uſque, quod dicitur, ungues contremiſcemus .

[Tunc dicet. (inquit) & ijs, qui à ſiniſtris erunt, diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius .] Obſecro uos per Dominum Ieſum Chriſtum, & iudicium hoc, de quo loquimur,ut totam mentem atque omnem animum huc aduertatis,& nihilo inferiore; atque adeo longè potius maiore attentione ad hæc audienda uos præparetis, quàm in ijs, quæ ſunt hactenus dicta, ſit factum . nam fraudari tanto regno , longè quidem maius damnum eſt quàm cogitatione aſſequi quiſquam poſsit, ſed ab illa felicitate relegatos, ad æternos præterea ignes damnarij, hoc demum omnium malorum ſupremum eſt . quod quidam etiam ex ethnicis dixit, nõ extremum malum eſſe mortem . ſed multis peccatis refertam animam ad inferos deſcendere,extremum omnium eſſe malorum . metuamus nunc quæ dicuntur, ne tunc fruſtra metuere ſit neceſſarium . quo enim pacto nobis non eſt uehementiſsimè formidandum, cum dicente Domino anguſtam eſſe ſemi- *Matt. 7.*

Mat. 25.

O tam,

tam, per quam itur ad uitam, & paucos esse, qui ingrediuntur per eam, maxima nostri pars latam uiam ingrediatur, quæ ad interitum ducit? cernitis manifestissimum periculum nobis impendere? si enim iustus uix saluabitur, impij & peccatores ubi comparebunt? at nos peccatorum multò magis quàm iustorum præbemus imaginem, quare tanquam ad nos ista dicantur, attentissimè audiamus. nam si ea bene penitus animo perceperimus, spes erit, fore, ut uerbum illud asperum euadamus: [Discedite (inquit) à me:] & quidem si nihil adiecisset aliud, hoc unum satis fuerat ad pœnam eamque acerbissimam. etenim oculi summum malum est, non cum dolet, sed cum cæcitas uidendi munere illum priuat. sic uiri & ingenio & doctrina & sanctitate clari existimauerunt, hanc regni illius priuationem ipsa Gehenna esse minus tolerandam. cum uerò utrunque coniungitur, quæ mens mali illius assequatur magnitudinem? quod tamen quanti sit, capite exemplum in re leuissima. si ego, quamuis nihil sim, ob eam tamen causam quòd uester episcopus sum, nunc cuipiam è conuentu hoc uestro imperarem, ut exiret è templo, neque quicquam præterea aliud adderem, opinor hanc illi ignominiam, non dico multis uulneribus, sed ipsa morte uisum iri grauiorem: per totam enim uitam uideretur & ipsi & eius domui inustam esse notam nunquam delendam. quòd si præterea adderem diras & execrationes, hoc multò esset molestius, cum execrationes ab episcopo profectæ in primis sint formidandæ. sin pœnam adijcerem perpetui ab urbe exilij, hoc non hunc solum, sed totam urbem perterrefaceret. quòd si in hac uitæ fabula, & in exiguo hominum conuentu, eiusmodi probra & damna tanti fiunt, quid erit, cum in conspectu totius orbis terræ ab ipso filio Dei angelorum exercitibus uallato & in sede gloriæ considente audiemus. ah quid dixi, audiemus? auertat hoc ille benignissimus Dominus, ne cuiquam nostrum accidat. sed cogitemus tamen & fingamus nobis dici. quid ergo erit, cum audietur non solum illa uox, [discedite à me,] sed addetur execratio, [discedite à me maledicti?] & præter execrationem mentio fiet ignis, illiusque æterni? quis singula ista & augescens semper malorum incrementum, non dico effari, sed complecti animo dignè possit? solent interdum homines dimittere aliquem à se, cuius consuetudo displiceat, non hostilibus tamen uerbis sed quietè. hoc si fecisset

Marginal notes: 1.Pet.4. (beside "re? si enim iustus…"); Mat.25. (beside "fore, ut uerbum…"); Mat.25. (beside "non solum illa uox…")

ses Dominus, grauißimum tamen fuisset tanti regis commercio, ac tanti regni felicitate priuari. sed adiicitur execratio, adiicitur ignis, qui si etiam termino aliquo concluderetur, ut post aliquot annos esset mali finis, grauißima tamen esset res. sed cum dicitur, ò uerbum asperum, à quo utinam liberemur, quemadmodum in psalmo promittitur iustis: cum inquam adiicitur, [discedite maledicti in ignem æternum,] hoc quotidianis lacrymis non sermone est Mat. 25
prosequendum. O rem terrificam, quę Dæmones etiam perterrefacit, in ęternos ignes relegari. quis uestrum uno die ignem ferre eligat, accepto mille nummorum aureorum pretio? & pro longè minori interdum re non ueremini perferendi æterni ignis periculo uosmet exponere? Illud autem obserua, ubi ęterni ignis facta mentio est, additum esse, [qui paratus est Diabolo & angelis eius,] Ibidem.
& regnum quidem paratum nobis esse ab initio mundi, ignem uerò nequaquam nobis sed Diabolo & eius angelis, nos uero uitio nostro nobis illum accersimus, quemadmodum & mortem fecimus, [*Deus enim* (ut ait quidam sapiens) *mortem non fecit, nec* Sap. 1.
lætatur in perditione uiuorum, sed creauit ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum.] Sed quæ tandem tam ingentia scelera tantas pœnas sibi accersiuerunt? profectò enim maxima esse facinora oportet, ob quæ alioqui tam amás generis nostri rex, pro quo etiam uitam oppetere non recusauit, ęternis torquendos ignibus homines tradat. audite & contremiscite. [Esuriui (inquit) & non dedisti mihi cibum, sitiui & nō dedistis mihi potum, hospes eram & non collegistis me, nudus & non operuistis me; infirmus & in carcere eram & non uisitastis me.] Non est dubitandū, multa esse alia peccatorum genera, quæ homines à regno Dei procul reiectos in Geennam mittant. nam [*neque scortatores* (ait Paulus) *neque cultores simula-* 1. Cor. 6.
crorum, neque adulteri, neque molles, neque cum masculis concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient.] cur ergo hoc duntaxat peccatum se commemoraturum Dominus profitetur? hoc fiet non ob unam tantum opinor causam. primum quòd hoc peccatum minus est quàm cętera peccata excusabile, in aliis enim uel ignorantia, uel naturę exstimulatio, uel impetus animi, si non plenam ac ueram, certè aliquam saltem inter homines afferre uidentur excusationem. hic uerò nullum horum intercedit. nam nō solum

non ignorant homines, quid hic ſit prǽſtandum, uel à natura id agere prohibentur, ſed contra, ipſa eos natura & docet & exſtimulat etiam ad benignè faciendum naturæ ſuæ conſortibus. niſi enim immanis illa habendi cupiditas exuere quoſdam iuſsiſſet omnem humanitatem, & extra hominis terminos ferri, quis uiſo egeno ſponte naturæ ad ei ſuccurrendum non commoueretur? deinde quàm multa hominum pars ob eorum, qui plus habent, crudelitatem uitam agunt morte aſperiorem? at hoc quàm ingens crimen eſt, hominem, cuius gratia tantam Deus ſupellectilem tam copioſum rerum apparatum effecit, cui uoluit cœlum, terram, mare, elementa omnia ſeruire, hominum cauſa ijs priuari, quibus ut abundè frueretur, facta à Deo & creata ſint? hanc quis tyrannidem ęquo animo ferat, ea rapere atque uſurpare priuatos aliquos, quæ Deus toti hominum generi uoluit eſſe communia? quod genus cum optime id uolente Deo habiturum eſſet, ſi homines neceſſarijs contenti eſſe uellent, quia contrarium fit, deteriore eſt conditione, quàm cętera omnia animantia. Quid? quòd multa maximaque hinc etiam peccata proficiſcuntur? quàm multi enim ſunt, qui furta, latrocinia, lenocinia exercent ob inopiam? quot fœminæ ob eandem cauſam corpora proſtituut? quot peſsimę artes exercentur? quare nihil mirum eſt, ſi prætermiſſa aliorum peccatorum commemoratione, hoc præcipuè, quod alia complectitur, eſt commemoraturus. Et quidem ſi tantum dixiſſet, eſuriebant pauperes, ueſtri ſimiles, ueſtrum genus, ueſtra caro, ſitiebant, nudi erant, ſine lare, omnium egeni, neque commoti unquam fuiſtis miſericordia, res eſſet, quæ ſola tam ſceleſti facti contemplatione commouere audientes poſſet. ſed cum hanc ipſi ſibi illatam iniuriam profitebitur, quis terrificam illam uocem ferre erit idoneus? & ne prætexere ſibi ullam excuſationé poſsint, quòd illum his indigere neſcierint, id quod tunc futurum fuiſſet, nunc repręſentat, & addit. [tunc reſpondebunt & ipſi] hoc eſt, ſi reſponderent.

Mat.25. [dicentes, Domine quando te uidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? & reſpondebit illis dicens. amen dico uobis quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.] Auditis contemni Chriſtum iudicem illum in his egenis, qui continuè ueſtris oculis obuerſantur, qui uagi quotidie per urbem feruntur, & non contremiſcitis?

miſcitis? tot repetitis monitis epiſcopus identidem ueſtris id inculcat auribus, neque magis commouemini,

Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Veſter hic torpor, ueſtra ſegnities, ueſtrum ueternum me uehementer ſolicitum tenent,quid uobis futurum ſit. nam manifeſtiſſimum eſt, uos id minimè præſtare, quod iubet Chriſtus, ipſe uerò apertiſsimè profitetur, ſe in æternum ignem relegaturum eos, qui id non præſtant, uos colligite quid neceſſariò conſequatur. nam illud ego proferre non audeo,libetque malè ominatis uerbis parcere. Viri Lacedæmonij ſurgent in iudicio aduerſus uos, qui unius ciuis ſui Lycurgi perſuaſione, nulla facta cœleſtis regni ſpe, nullis æterni ignis adhibitis minis, ceſſere tamen illius conſilijs, atque ad bonorum æqualitatem deſcenderunt. uos uerò tantum abeſt, ut poſt tot felicia promiſſa, tot intentatas minas de æqualitate cogitetis, ut ne tantillum quidē proferre curetis, quo ij, quos Chriſtus Dei filius fratres appellat,uictum cultumque uel tenuiſſimum aſſequantur. Videte præterea, non ſatis eſſe cruſtulo panis dato,quod & canibus fit, pauperem dimittere. requiritur cibus, potus, ueſtis, hoſpitium, cæteraque alendo & curando corpori neceſſaria. quæ omnia niſi præſtentur, decreta ſententia eſt, quam repetere animus refugit. Qua in re non grauabor (eſt enim mihi dictu, uobis auditu maximè neceſſarium) illud repetere, quod ſuperioribus diebus dixiſſe memini.cum alendi canes ſunt, nunquam deeſſe illis neque cibum neque hoſpitium, fratres uerò Chriſti, ò ſtupiditatem, ò ſupremam inſaniam, fratres inquam Chriſti deteriore quàm canes ſunt cōditione. quare obſecro uos, & rurſus per terrificum hoc iudicium obteſtor, ne me tandiu ſolum in tam neceſſario negocio relinquatis, cōgitetiſque mecum, quo pacto uel orphani illi, quos non inopia ſolum premit, ſed ætas etiam eſt illis impedimento, ne iuuare quicquam ſe poſsint, & alimento & hoſpitio iuuentur. & cum puellæ minus commodè quouis in loco poſsint collocari, rogo uos mulieres, ut manū tam pio, tam ad ſalutem ueſtram neceſſario negocio adhibeatis, & quæcunque paratum ad hoc animum habent, id mihi per totā hanc hebdomadam ſignificent. nam tempus iam eſt, ut tandem aliquando huic operi accingamur. neque deſpero fore,ut ex præſertim fœminæ ſeſe offerant, quę iam aliquot ab hinc menſes mores

res meliores ac perfectius uitę institutum arripuerunt. alioqui si opus illud, in quo salutis nostrę summa uersatur, recusauerint, intelligent se nihil dum quicquam in Christiana philosophia profecisse. & quando ad mulieres sermo est institutus, illas alloqui libet, quæ eas pecunias, quibus Christus alendus esset & uestiendus & curandus, tam perditè insumunt ornando pulueri ac cineri, atque adeo cœno potius ac stercori. non uenit unquam uobis in mentem tanta in re, num ulla reliqua esse uobis possit excusatio? quid solidi obsecro estis responsuræ? nam illæ inanes causæ, quas uobis nunc prætexitis, nihil prorsus coram iudice Christo ualebunt. nam quę uirgines adhuc sunt, neque dum locatæ uiris, quid causæ habent cur hos sumptus faciant? ut placeant? quibus? ijs, quos ignorant, num futuri sui uiri sint? at hoc meretricium est, non uirgini consentaneum. sin iam nupserunt, & placere uiris suis (nam alienis nefas est) student, non id assequentur per externum ornatum, qui situs est in plicatura capillorum & additione auri, aut in uestium amictu, sed per interioris hominis compositionem & honestos mores. nam ad eum modū olim & sanctæ mulieres illę ornabant se, atque eo pacto uiris suis erant gratissimæ. quare rem in contrarium uerti cernere potestis, omnes, siue uirgines eæ sint, siue nupserint, multò magis commendari, si modesto cultu utantur, quàm uos, quę dum plus nimio placere uultis, optimo cuique displicetis. atque ita fit, ut non Deo solum, sed ipsis etiam hominibus, quibus tantopere placere curę est, sitis odiosæ. quanquam id unum, si cognomine à Christo accepto dignę estis futurę, esset uobis cogitandum, quo uidelicet pacto soli Christo, qui uos in ęternum regnum suum sit accepturus, & speciem donaturus, quæ solem æquet, placeatis. Quam ergo habebitis excusationem apud iudicem Christum, quando coram episcopo, nihil uobis relictum est, nisi tantum quod pertineat ad excusandas excusationes in peccatis? qui dolores plusquā
Ps. 140. parturientis uos inuadent, cum uideritis, uos ad æternum ignem cum Diabolo relegari ob hanc unam causam, quòd dum ornando corpori, hoc est, pulueri ac cineri totæ fuistis occupatæ, fratres Christi ita contempsistis, ut uestra præcipuè culpa in summa rerū omnium uersentur penuria? nam solus uester muliebris mundus idoneus penè esset, tantam tot pauperum leuare inopiam.

Sed

Sed uideo me plus multò, quàm & temporis & loci huius ratio postulet, longius ferri. quare quę restant dicenda, in alterū diem reijciantur: ad quæ audienda uos alacres uenturos confido, tum metu, ne sempiternos illos ignes experiamur, tum multò magis spe æternorum bonorum, quę utinam omnes assequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO DVODECIMA.

De eodem iudicio.

CVM Dominus ac Seruator noster in Euange-
lio, quod hodie opportunè ab ecclesia est re-
citatum, paucorum panum numero aliquot *Ioan.6.*
hominum millia satiauit, præcepit discipu- *Mar.6.*
lis suis ut colligerent fragmenta, ne perirēt.
quam curam si in corporeo pane haberi uo-
luit, multò certè maior in eo pane habenda
est, qui animam nutrit, & qui ab illius Diuino ore est profectus.
quare uideamus fragmentum Dominici sermonis, quod reliquū
est, quod & si exiguis uerbis constat, attentissima tamen cogita-
tione est obseruandum: illud uerò est: [& ibunt hi in supplicium *Mat.25.*
æternum, iusti uerò in uitam æternam.] Audiuimus, post hoc exiguū
curriculum & uitæ umbram æternitatem nobis esse propositam,
in quam si superiori oratione post tot aliarum rerum narrationē
penetrare uoluissemus, uerebar, ne nimia copia obrueremur, &
defatigatus tam multis cogitationibus animus imbecillior esset ad
hanc ęternitatem contemplandam. nunc uerò cum facto interual
lo & recentes aures attulistis ad audiendum, & animi stomachus
concocta superiori oratione, nouis cibis percipiendis idoneus est,
agite defigamus oculos in hanc æternitatem, & quantum imbe-
cillitas nostra potest, in ea exspatiemur. nullus enim locus est, in
quo

quo longiora confici ſpatia poſsint, cum cætera omnia, & illa etiā penè immenſa cœli ſpatia fines ac terminos habeant, quibus con-
Pſ. 106. cludantur. faciemus autem quod propheta ait, [*aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos,*] dum hanc æternitatem tum in ijs contemplabimur, qui cœlo fruentur, tum in ijs, qui in tartarum miſeri erunt demergendi. Nihil autem mihi uidetur tam efficax ad auocandos animos noſtros ab ijs caducis & momētaneis rebus, ac rerum ſomnijs potius, quàm hæc cogitatio, ſi bene penitus in eam deſcenderemus, quòd uehementer ſanè cupio hodie à uobis fieri. quare mecum quæſo ſic attentiſsimè cogitate. ſi mille annorum ultio intentaretur, deberent omnes ſanè exhorreſcere. nam qui in hac uita aliquot horarum ſpatio acerbius torquentur, miſerrimi exiſtimantur. at uerò mille annis ignibus tradi cruciandum quanto eſt acerbius? multò uerò magis ſi decē aut centum millibus annorum hæc pœna eſſet duratura. quod tamen ſpatium breuiſsimum uideretur, & tanquam momentum, ſi dictum prius eſſet, tot annorum millibus eſſe in igne commorandum, quot arenæ minutula grana in hoc templo concluderentur. rurſus hoc etiam tantum ſpatium (quæ enim ſecula arenam illam exhaurirent, ſi milleſimo quoque anno duntaxat granulum unum auferretur?) pro nihilo putaretur, ſi in hanc pœnam ea commutaretur, qua tenerentur in ignem damnati tot annorum millibus in eo eſſe, quantus arenę numerus toto hoc, quod inter cœlum & terram interiacet ſpatio, comprehendi poſſet. & tamen contemplatione æternitatis (heu horrendam rerum faciem) hoc etiam tam penè infinitum tempus pro re gratiſsima optaretur, & centies ac millies etiam repetitum, modo finis aliquis tandem aliquando inciperet apparere. nam ſine ullo unquam fine quempiā eſſe torquendum, hoc uerò ultra omnes deſperationis terminos fertur. quid enim grauius quàm ſemper uelle, quod nunquam erit, & ſemper nolle, quod nunquam non erit? in æternum peccator non aſſequetur quod uult, & quod non uult, in æternum nihilo minus cogetur pati. Animaduertitis horrendum ſpectaculum, quod, ſi mente uti uultis, nunquam à ueſtris oculis recedere patiamini? ſi cui enim ueſtrum teterrimum carcerem & exquiſitas pœnas iudex aliquis eſſet interminatus, toto eo tempore, quo id expectaretur, imago illa malorum etiam inuitis animo obuer-

robuersaretur, quanquam illa cogitatio nihil imminuere de intentata pœna posset, sed adderet potius pręsentem mœrorem futuro dolori, qui si speraretur ita cogitando esse imminuendus, dies noctesque in ea cogitatione immoraretur. at cum ista æternarum pœnarum contemplatio maximè idonea sit efficere, ut eas euadamus, quæ est hæc hominum insania, tam rarò aut fortasse nunquam rem tanti ponderis, cui cætera si comparentur, nihil sunt, in consilium adhibere? Postea uerò quàm bene in hac æternitate fueritis exspatiati, referte mox animum ad breuissimum hoc spatium, quo hic uiuendum est, quodque tanti à uobis fit, & reperietis longissimam ætatem centum & eò amplius millium annorũ, si conferatur cum ęternitate, minus multò esse, quàm duarum horarum fabula, quę in scena agatur. quare in hac item scena paulisper immoremur. fingamus ergo, hic fabulam recitari. quis nõ dico sapiens, sed non omnino stultus uehementius angatur, si aut illius fabulę spectaculo priuetur, aut etiam si sperasset in ea regem agere, frustretur eum sua spes? quòd siquis illum cerneret mœrore confici ob eam causam, profectò uel rideret, uel hominis stultitiam miseraretur. at in hac stultitia cerno eos in primis uersari, quicunque inter uos prudentissimi, atque in rebus agendis solertissimi existimantur. tantumque abest, ut hoc stultitię ascribatur, ut ij præ cæteris sapere uideantur, qui rem augere, ut in hac scena plus aliquid habeant glorię, noctes diesque festinant. ij si compotes uotorum fiunt, exultant gaudio, insolescunt, beatos se existimant. sin minus secundo cursu res ferantur, uideas eos tristari, angi, & nimium animis cadere. & nemo hanc insaniam uel ridet uel miseratur. acciditque hoc loco, quod in furtis alijsque sceleribus usu euenit. nam fures potentiores, ut sunt tyranni ac principes, qui in populis palam latrocinantur, euadunt immunes, qui uerò exigua in re furtum aut latrocinium exercuerint, ij aguntur in crucem. sic insanos eos uocamus, qui pueriliter desipiunt, & ridiculum aliquid ob atræ bilis impedimentum uel dicunt uel faciunt: eos uerò, qui tam grauibus in rebus delirant, nõ iudicamus insanire. Fingamus rursus, in fabula, quę ageretur, ita constitui, ut qui agere regem in ea uellet, peracta fabula contemptissimus tota reliqua uita haberetur, qui uerò mancipij alicuius fungeretur officio, is summo in honore postea esset haben-

dus, nemo profectò reperiretur, qui tanta cum iactura regium honorem in re ludicra expeteret, omnes uerò mancipium agere eligerent libentissimè, spe nimirum secuturę post fabulam dignitatis. at cur eodem iudicio non utimur in hac tanti momenti causa?
Luc. 14. nam aperte dicit in Euangelio Dominus, eum, qui se hic deiecerit, extollendum, & qui se extulerit, deijciendum. & Paulus,
1.*Tim.*6. [*qui uolunt ditescere* (inquit) *incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas stultas & noxias, quae demergunt homines in exitium & interitum.*] cernitis exitium manifestissimum intentatum, & tamen quod in fabula refugeretis, hoc uitare, ubi ęternitatis iacturæ tam euidens periculum est, recusatis. Illud prętereà accedit, quòd in fabula conditio melior est, quàm in hac uitæ scena. nam ubi agenda fabula est, antequam agatur, expectatio illa aliquid secum affert delectationis, & postea etiam quàm acta est, ipsa recordatio non caret uoluptate. at hic sola uoluptas est, dum agitur, siquid tamen syncerę in ea est uoluptatis, ante uerò, cum nondum essemus, neque post, cum grauioris negocij res sint successurę, quàm liceat his somnijs uacare, fructus nullus sperandus est. Neminem uestrum, qui hic adestis, opinor, hæc attentè cogitantem, non uehementer obstupescere tantam stultitiam aut insaniam potius, quę uos hactenus occupauit: quare uel serò charissimi abijciamus has ineptias & puerorum lusus, & uiri aliquando esse incipiamus, & cum hanc scenam, tum illam æternitatem inter se frequentissimè comparantes, hanc contemnamus & illi afficiamur, grauioribusque cogitationibus animum assuescamus. decernamus semel omnem abijcere huius scenæ uoluptatem, ne his illecebris abducti æternorum bonorum amittamus felicitatē, quod proculdubio prętaremus in fabula, siquis nobis polliceretur, fore, ut spreta illius spectādæ delectatione, maximis donis afficeremur. Væ ijs, qui ista, dum tempus est, intimis sensibus non percipiunt, quos serò ac sine fructu postea pœnitebit. qui erit tū dolor, quanta anxietas animi, cum ueniet in mentem, potuisse eos exigua re, æternos euadere ignes, & bonis frui sempiternis? cum cernent, se eas pecunias & facultates, quibus hæredes Dei & cohæredes Christi fieri potuissent, ijs reliquisse, à quibus non solum nihil mutui beneficij receperunt, sed quorum etiam causa in Geennam fuerunt coniecti. cernent filios, quibus ut opes pararēt, illius

illius æterni ignis cogitationem neglexerunt, secum ob easdem opes eadem pœna cruciari, & parentes filios, filij parentes continuis execrationibus incessent, quòd mutuæ huius interitus fuerint causa. O spectaculum horrendum, idque sine fine duraturum, semperque ante eorum oculos obuersaturum. tunc sese accusabunt, quòd non ista fuissent antea meditati. quare dum prodesse hæc meditatio potest, ista assiduè commentemur, & ponamus nunc cum fructu ante oculos ea, quæ alioqui maximo cum damno & cruciatu nunquam erunt ab oculis recessura. eiusmodi ratiocinia sępius exercete ciues mei, & frequentius quàm quotidiana illa uana & caduca, quę uos ab istis tanti faciendis auocant, neque expectate, dum hæc semper admoneamini ab episcopo, sed intra uos & uobiscum sic commentamini. Quid est, quod tam uecordes nos ac tam supinos in re tanta, quę sola ęstimatione digna est, facit? duo opinor. unum, quòd nimium terrenarum rerum appetitioni affecti sumus. alterum, quòd cum tam anxio affectu persuademus nobis, adepturos nos regnum illud sempiternum. at manifestè Seruator rem factu omnino non possibilem definiuit, [*facilius est* (inquiens) *camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*.] at uerò diuitis appellatio non eos absolutè complectitur, qui diuitias habent quidem, sed liberaliter eis utuntur, sed eos, qui toto animo ita illis affixi sunt, ut quę Deus pręcepit, audire negligant. quid ergo est, quod spem nostram alat? putamus nos non habere quod in egenos impertiamur, cum uix necessaria nobis suppeditent. sed huic necessitati nimis ingentia spatia circundamus. quod manifestè ex ijs liquet, qui cum multis opibus sint ditissimi, nunquam satis habere se sibi persuadent. quę tamen eorum rationes apud tribunal Christi inanes reperientur. cauendū ergo nobis est, ne eius generis causas nobis pętexamus, quæ facile à Christo iudice refutentur. cum ergo dicimus, non posse nos pauperibus cibum, potum, uestemque præbere, quas excusationes proferimus in medium? quòd uidelicet si pro conditione nostra honestè habitare uolumus ac uiuere, nihil unquam reperietur in nobis superuacui. at hęc sententia unde accepta est? à Christo? minimè omnium, quin potius legibus Christi est inimicissima, quando, si hæc stet, pauperes omnes, quos tanti Christus facit, fame ac frigore sint confi-

Mar. 10.

ciendi. quis ergo has excogitauit opiniones? error uulgi. dum (exempli gratia) si hęc mulier ab illa ornatu cultuq; corporis superetur, res ignominię plena existimatur, & cũ dotanda est filia, nisi maxima dos constituatur, par maritus inueniri non potest, & inferioris gradus uiris eam tradere pudor est: at hæ uulgi opiniones in illo iudicio explodentur. nullum .n. habent in Euangelica doctrina fundamentum. quid igitur reliquum est? ut uel æternas in Geenna pœnas certissimè expectemus, uel nouis cogitationibus assuescamus, & quã appellamus necessitatem, Euangelicis terminis circunscribamus, ut uidelicet id necessarium dicamus, quod alendo & operiendo corpori satis sit, & ea conditione, ut naturæ tantum necessitati, non inanibus appetitionibus, ut hactenus factum est, inseruiatur. nam tanta in re nunquam cuiquã satis cautum esse existimare debemus. etenim si terrenum regnum expectaretur, profectò caueremus non ea solum, quę manifestè impedire illius adeptionẽ possent, uerum etiam quæ somniaremus esse posse impedimento. at ubi ęternitas agitur, etiam omnia tuta timenda sunt, pręsertim cum pretexímus nobis causas, cur succurrere pauperibus nequeamus. nam si diligentius peruestigemus, multò plura superesse reperiemus, quæ egentibus impertiamur, quàm nunc agnoscamus. quid tunc proderit luxus, auaritia, imperia, honores, tot sumptus in cibos & uestes? cui tot ornamenta relinquemus? ijs nimirũ, qui æquè ut nos illis abutentur, erimusq; & ipsis æternę condemnationis occasio. qui si ijs parceremus, uel quæ iam facta sunt, in egenos impertiremus, ea essemus perpetuò nobiscũ habituri. ueniat nobis in mẽtem hęc huius uitę breuitas, cogitemusq; post paulò esse migrandum. quòd si nobis denuntiaretur, biduo hinc esse proficiscendum eò, unde huc reuerti nunquam liceret, curaremus proculdubio hæc, quę habemus, aut eorum pretium nobiscum ferre. at longè breuius quàm duorũ dierum spatium est, quo hic est uiuendum, si conferatur cum æternitate. quare demus operam, ut ea, quę tantopere amamus, nobiscũ perpetuò habeamus. cur nõ præterea oblatis à Deo occasionibus salutariter, utimur? accidit .n. sæpe, ut aliquis nostrum quatuor aut sex ac plures etiam filios habeat, qui si uiuerent, in plures parteis esset diuidenda hęreditas, sed fit plerunque Deo ita uolente, ut bona pars moriatur, ut unus interdum sit superstes. cur igitur

hanc

hanc oblatam à Deo occasionem negligimus, ut hęredem faciamus Christum pro ijs filijs, quos Deus ob hanc causam abstulit, ut facilius ac commodius regnum illud sempiternũ assequamur? Hæc & huius generis alia assiduè uobis in mentem ueniant, & postea quàm satis de Geennia fueritis meditati, tunc suspicite & attollite capita uestra, atque in illud beatum regnũ oculos defigite, regnum & magnitudine & diuturnitate infinitũ atque immensum, quod cum fueritis assecuti, quid non pro illo optauissetis prębuisse? negociator ille Euangelicus ob inuentam unã pretiosam margaritam, uendidit omnia bona sua, ut eam emeret, & nos pro æterno regno comparando parcemus pecunijs? non extrema quęque aggrediemur? quis tunc non maluerit esse Lazarus ille egenus & ulceribus plenus, quàm diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidè, qui uel exigua aquæ gutta ad refrigerandam linguam in æternum est cariturus? quis non infimã omnium sortem perpessus esse contentus erit, & ijs caruisse, quæ alijs æternorum malorum fuerunt causę? [*in illa enim die* (ait propheta) *peribunt omnes cogitationes eorum*,] & inuenientur fuisse mera somnia, qui ut domum celebrem posteritati relinquerent, nulli sceleri pepercere, ut opibus, honoribus, dignitatibus fruerẽtur, quæ in iudicio tanquam lusus puerorum fuisse reperientur, & serò agnoscent, ea duntaxat seria esse, quę in iudicio agẽda sunt, & postrema ac perpetua eorum hæreditas erit ignis & uermes. [*ignis enim eorum* (inquit) *non extinguetur, & uermis eorum non morietur*,] & illud Esaiæ. [*subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt uermes. non enim proderunt* (ait Salomon) *diuitiæ in die ultionis.*] *Ibunt* (inquit) *hi* nempe mali, *in ignem æternum, iusti autem in uitam æternam.*] hęc æternitatis cogitatio ab oculis nostris non recedat, de hac quotidie cõmentemur, quę una uia est agnoscẽdi illius erroris, quo huic uanitati ac rerũ umbrę tam uehementer affecti sumus. nam fieri non potest, ut quicunque æternitatis memoriã sæpius ad mentem reuocat, rerum huius uitę studio teneatur, quo studio cessante continuò ad beatã illam æternitatem consilia omnia sua diriget, & dicet cum Paulo. [*conuersatio nostra in cœlis est, ex quo etiam Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fit corpori claritatis suæ.*] cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

Mat. 13. *Luc. 16.* *Ps. 145.* *Esa. 66.* *Esa. 14.* *Pro. 11.* *Mat. 24.* *Phil. 3.*

ORATIO TERTIADECIMA.

de pœnitentia.

POSTEA quàm de morte tractatum à nobis est, reuocatumque ad memoriam, esse omnino moriendum, neque id solum, uerum etiam decretum esse diem, quo uniuersum hominum genus coram seuero tribunali Domini nostri Iesu Christi sistendum sit, & exactissimam factorum omnium suorum rationem redditurum, reliquum illud est ciues charissimi, ut quando scelerum multorum nobis conscij sumus, pœnitentiam agamus, ut misericordiam inueniamus in tempore opportuno. misericors enim est, atque adeo fons misericordiæ, qui iccirco minatur, ne interminatam in pœnam incidamus. & quemadmodum primo-
Gen. 2. genitores nostros admonuit, fore, ut morerentur, si præceptum non edendi de ligno scientiæ fuissent trāsgressi, admonuit eos inquam, ut ab eo abstinerent, & uiuerent, sic Geennæ nos identidem commonefacit, ut eam euadamus, neque necesse illi sit nos castigare. Et sanè quidem siquid ingenui in nobis esset animi, nō deberet nos Geennę metus cohibere, ne peccaremus, sed solus amor tanti benefactoris, & tantæ erga nos beneficentię recordatio efficere deberet. ne unquam ad peccandum adduceremur, ne nostris uitijs atque peccatis tam benignum patrem offenderemus. hoc affectu si essemus, illud præterea boni accederet, quòd non esset in hominibus tanta ad peccandum procliuitas. nam qui amāt non facile ad offendendum eum, quem amant, adduci possunt. hoc si adesset, cessaret illa quorundam uestrum admiratio, quibus mirum uidetur, cum audiunt, aliquem inueniri, cuius in peccatorum exhomologesi nullum reperiatur graue peccatum, quod uocatur ad mortem. contra potius, si cognomine à Christo accepto digni essemus, faciendum esset, mirandumque, siquis deprehenderetur, qui lætali crimine esset infectus. uerum quando pauci sunt,

qui hac ingrediantur uia, illud saltem, præstandum, ut Geennæ & Diuini iudicij timore, priorum nos peccatorum pœniteat, atque id in primis nobis sit curæ, ut iusti euadamus, ne ethnicis simus inferiores, è quibus qui plus habuerunt lucis, dicebant. [neque si l os, neque uitam, neque aliud quicquam pluris esse faciendum, quàm iustitiam, ut cum in uitam alteram transmigrauerimus, ualeamus illic horum omnium reddere rationem.] Agnoscamus quàm ingens donum sit, quàmue profusa liberalitas, illam maiestatem post tot scelera, ac tam graues tamq; innumeras offensiones placari uelle hominum pœnitentia. quę si diluuij illius tempore sub Noë adhibita fuisset Gen. 7. non esset hominum genus aquis suffocatum. Sed cum inuitamur ad agendam pœnitentiam, non ille imitandus est mos, qui nunc passim uidetur seruari, ut eum pœnitere credatur, qui quoquo pacto facta peccatorum exhomologesi, dicat se suorum scelerum pœnitere, neque præterea ulla prę se euidentia pœnitentiæ signa ferat. nihil enim nunc seriò fit. quare ad Diuinarum scripturarum exempla esset confugiendum. ut cum Niniuitis ciuitatis interitus *Ionæ. 3.* fuit denuntiatus, non contenti ipsi ieiunare, uoluerunt, ut & iumenta pariter à cibo & potu abstinerent, simulque homines & iumenta saccis operirentur. Ioël quoque cum ad pœnitentiam inuitat, audite quanto id apparatu faciat. [*canite (inquit) tuba in* *Iohel. 2* *Sion, sanctificate ieiunium, uocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & fugentes ubera. egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. inter uestibulum & altare plorent sacerdotes ministri Domini, & dicant, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.*] at eiusmodi exempla perinde nunc obsoluerunt, quasi nihil ad nos pertineant, cum tamen hoc tempore & hac ætate tam perdita maximè essent imitatu necessaria, cum ad summum scelerum omnium peruentum sit, ad quæ scelera delenda asperrimum quodque genus pœnitentiæ leue esset existimandum. Quod si præterea cogitemus, quàm paratus sit ad ignoscendum Deus, quàmue libens reuertentes ad se suscipiat, ac minas & intentatas pœnas remittat, quis tam adamantino corde est, qui non mollescat? uidete enim quo se pacto erga Niniuitas gesserit, quibus cum *Ion. 1.* per Ionam denuntiari iussisset, decretum iam Diuino iudicio, ciuitatem esse euertendam, ubi eorum uidit pœnitentiam, continuò

reuocata

reuocata sententia illis pepercit, quin & prophetam, qui uereri uidebatur, ne in illa sententiæ mutatione fieret iniuria prophetiæ, pulchro exemplo admonuit, iure fuisse ignoscendum. cum enim iussisset Deus frondosum quoddam umbraculum una nocte oriri, & obtegere caput Ionæ, postero uerò die idem umbraculum exarescere, & ob hanc causam tristaretur Ionas, respondit ei Dominus. [*tu doles pro hedera, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte perijt, & ergo non parcam Niniue ciuitati, in qua sunt plus quàm centum uiginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram, & sinistram suam, & iumenta multa?*] Cernis incomprehensam Dei benignitatem, qui nó in homines solum, uerum & in iumenta etiam misericordiam uoluerit exercere, & ob eorum etiam gratiam pepercerit ciuitati? quare tam ingens bonum ne aspernemur. quod quanti sit ostendit Dominus, cum initium suæ prædicationis à pœnitentia fecerit, quam introductionem quandam ad Christianam philosophiam

Mat. 3. esse uoluerit. dixit enim. [*pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.*] hæc autem pœnitentia non solum ad peccata delenda, uerũ etiam ad uirtutes conseruandas idonea est. cuius rei

Exo. 36. figura fuerunt cortinæ illæ ex pilis caprarum, quæ ad tabernaculi obtegumentum imponebantur, ut aulęa & pretiosæ illæ cortinæ ab iniuria cœli & imbrium defenderentur. Sed quando de pœnitentia sermo est, uidenda est eius definitio, ut, quid in ea sit agendum, clarius intelligamus. definiunt ergo sic, ut [pœnitere sit, cum id displicet, quod antea placuerat.] atque hæc propriè in hominem cadit, qui, cum ob immoderatos affectus, quibus agitur, tum ob ignorationem, quid ex suis factis consequatur, multa facit, quæ demum fecisse illum pœnitet. quorum neutrum cadere in Deum potest, qui nec regitur affectibus, nec futura potest ignorare. &

Gen. 6. cum legimus in scripturis sanctis Deum dixisse, [*pœnitet me fecis*

1. Re. 15. *se hominem,*] & [*pœnitet me, quòd unxerim Saul in regem,*] figurata locutio est, qua consueuerunt sacræ literæ more hominum loqui de Deo, qui, cum id quod antea fecerat, uel mutat, uel euertit, uidetur homines imitari, qui, cum eos aliquid fecisse pœnitet, sententiam mutant, cum uerò perstant in sententia, dicimus eos

Ps. 109. minimè pœnitere. in quem morem de Deo psaltes ait. [*iurauit Dominus & non pœnitebit eum.*] Christiani ergo hominis pœnitentia

tentia est, cũ ei superior malè acta uita displicet. uerum in hac parte, quod dudum dicebam, maxima hominum pars decipi mihi uidetur, qui suis cogitationibus sibi persuadent, se satis pœnituisse suo rum scelerum, ad quæ tamen paulò post reuertuntur. quæ si seriò atque ex animo odissent, fieri nō posset, ut ad eadem tam exiguo negocio reuerterentur. nam rectè quidam dixit. [cum inimico in gratiam nemo cito redit.] quis enim uestrum est, qui immanissimi cuiuspiam tyranni sęuitiam expertus, & crudelissima ab eo tormenta perpessus, in illius iterum manus redire uelit? at quę feritas, peccati tyrannidi potest comparari, quod à Deo, solo ac summo bono, abalienat, & Geennæ æternisque pœnis obnoxium facit? ad hunc ergo tam immanem hostem cum homines tam facile reuertantur, ut ad amicum potius quàm hostem redire uideantur, cui persuadebunt, se unquam ab illius amicitia recessisse? huius autem generis homines sunt, qui tantum abest ut ab hac pœnitentia iuuentur ad salutem, ut ea potius tanquam lenone abutantur ad perdurandum in peccatis, dum singulis annis sperant per exhomologesim se à peccatis esse liberādos, & dum in spe peccant, nunquam à peccatis immunes fiunt, &, cum rectè à patribus pœnitentia appellata sit secūda post naufragium tabula, utuntur ea non ut instrumento ad euadendum naufragium, sed ad sæpius naufragandum. hęccine est illa gratiarum actio, quæ Deo agenda est pro tāto muñere, quo placari offensus per pœnitentiam uoluit, idque non semel tantum? Sed admirationem non immeritò parere aliquibus posit, cur, cum baptismus nequeat iterari, liceat repetere pœnitentiam, rursusque concessa pœnitentiæ repetitione, cur non item illa baptismi concedatur. qua in re mihi uidentur fidei nostræ sacramenta ita interioris hominis usibus fuisse accommodata, ut moribus exterioris facile respondeant. sicut ergo homini semel duntaxat nasci conceditur, [*neque enim potest homo (* ait Nicodemus *) ubi ad senectam peruenerit, iterum in matris uentrem introire, & renasci.*] sic baptismus nouam quandam ac spiritualem natiuitatem præ se fert. dicimus enim, renasci hominem fonte baptismatis, atque adeo Seruator ipse renascentiam hanc appellauit, cum dixit, [*nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*] ob hanc causam non permittitur iterari, ne naturæ quippiam repugnans agere uideamur.

Ioan. 3. **Ibidem.**

mur. sed quamuis semel tantum nasci concedatur, cum tamen frequenter ab incolumitate ad morbum, rursusque à morbo ad sanitatem fiat reditus, iterantur etiam remedia & medicinæ. quid uerò pœnitentia aliud est, quàm eius animæ curatio, quæ in morbum misera inciderit, cupiatque recuperare incolumitatem? ideo fit, ut pœnitentię repetitio concedatur, quæ in baptismo non licet. Cum ergo pœnitentia medicina morborum animæ sit, illud curandum est, ut, quemadmodum in corporeis morbis fit, ut scilicet non sponte in illos incidamus, neque spe recuperandę per medicamenta sanitatis, sic post semel adeptam peccatorum ueniam, nunquam uolentes sponteque peccemus spe ueniæ rursus consequendæ, sed hoc reseruandum est duntaxat ad id, cum morbus aliquis animæ tanquam inuitis irrepsit. tunc uerò timentes ac trepidi ad salutare pœnitentiæ remedium confugiamus. nam à timore oriri solet plurimum pœnitentia. ob hanc causam Dominus di-
Luc. 13. xit, [*nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*] ecce intentatam pœnam, quę incutere timorem solet. sic & Ioannes Ba-
Mat. 3. ptista, [*progenies* (inquit) *uiperarum, quis uos docuit fugere à uen-*
Act. 2. *tura ira?*] hac eadem uia ingressus Petrus incussit Iudæis timorem, quòd Christum in crucem egissent, quibus auditis compuncti sunt corde. Sed cauendum est, ne tantum metu supplicij peccator commoueatur. hoc enim impiorum potius est, quàm fidelium, quod in Caim, Pharaone, Saule, Achab, Iuda proditore cernere est. sed huic timori addenda est fiducia Diuinę misericordię, quemadmodum cernimus accidisse Dauid, Magdalenæ, Niniuitis, qui tametsi audiuissent decretam sententiam, fore, ut Niniuæ subuerteretur, aggressi tamen pœnitentiam sunt, & dicebant.
Iona. 3. [*quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?*] hæc fiducia, quę non potest non esse charitatis particeps, vulneri, quod timor fecerat, cicatricem obducit. Qui ergo ex consideratione uitę turpiter actæ, ac metu Geennę iam aliquam concepit peccatorū detestationem, quo in statu sunt, qui seruili timore tenentur, nequedum sentit timorem filio dignum, perseueret in lacrymis ac precibus, quærat, petat, pulset,
Rom. 8. donec spiritum illum sentiat filiorum, in quo clamet, abba pater.
Psal. 67. quo adepto rursus petat & dicat cum propheta. [*confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*] neque tamen interea à peccato-

rum

rum continua detestatione cessandum est. hoc enim est ueręe pœnitentię munus. sit gemebunda & amarulenta contritio, qualis fuit illa Dauid, qui dicebat. [*poculum meum cum fletu miscebam.*] & [*non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*] & rursum. [*miser factus sum & curuatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*] uidete etiam quid Dominus, cum ad pœnitentiam inuitat, admoneat esse faciendum. [*conuertimini* (inquit) *ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda uestra.*] retinenda est iugis peccatorum memoria. hæc enim sunt illa stercora, quæ cultor uineę ad arborem fici se appositurum pollicitus fuit, atque hoc pacto sperauit, eam, quæ hactenus fuerat infructifera, fructum reddituram. hoc faciebat Dauid; qui dicebat; [*peccatum meum coram me est semper.*] quod contra nunc passim fit, & dum hæc peccatorum memoria negligitur, homines facile ad eadem relabuntur. hæc autem iniquè factorum cōtinua detestatio maximè iuuat ad uotum commutandæ in melius uitę; quę res nisi accedat, nullum uideo peccandi finem apparere posse. nisi enim statuat peccator intra se & dicat cum propheta. [*iuraui & præstabo, custodire iudicia iustitiæ tuæ.*] quid erit aliud, quám quod in prouerbio est, [*canis reuersus ad uomitum; & sus lota ad uolutabrum luti?*] quod qui faciunt, quam fiduciam consecutæ à Deo misericordiæ habere possunt? nam rectè quidam uir & sapientia & sanctitate præstantissimus interrogatus quando quis fidere posset, remissa sibi esse peccata, respondit, [*quando eum in se affectum sentit, ut dicat cum propheta, iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*] Ad hunc statum ubi uentum fuerit, ut maximo, atque, ut propheta ait, perfecto odio peccatum quis prosequatur, diligentissimè operam dabit ut occasiones, quibus tractus ad peccandum fuerat, omnes amputet. [*obturabit* (ut ait Esaias) *aures suas ne audiat sanguinem, & claudet oculos suos ne uideat malum. custodiet uias suas*] cum Dauid, [*ut non delinquat in lingua sua,*] & [*ponet ori suo custodiam.*] cauebit cum Iob ne [*ambulet in uanitate, & festinet ad malum pes eius, ne declinet gressus eius de uia, nec in manibus eius adhæreat macula. ne decipiatur cor eius super muliere. ne posthac putet aurum robur suum, & obrizo dicat, fiducia mea.*] hæc atque his similia accuratè obseruabit, ne in infestissimi hostis manus imprudens aliquādo rursus

Psa. 101
Psal. 37.
Iohel. 2.
Luc. 13.
Psal. 50.
Psa. 118
Pro. 26.
2. Pet. 2.
Psal. 118
Psal. 138
Esa. 33.
Psal. 38.
Iob. 31.

ſus incidat, quæ qui negligunt, ij nullo negocio ad eadem, quæ ſe deſeruiſſe ſibi perſuaſerant, pertrahuntur. Et hæc quidem omnia ſi egregiè fiant, ſatis euidentia ſunt bene cõtriti animi indicia, qui ubi in ſe deſcenderit, & ſordes cordi illitas introſpexerit, non grauabitur ſeſe ad proximum quenque demittere, & non ſolũ quem ſuis parum modeſtis moribus offenſum, uerum etiam quem ſine cauſa accepiſſe offenſionem uiderit, eum placare, & ueniam etiam ab eo petere non recuſabit. uerebitur ſemper ſe in culpa fuiſſe potius quàm proximum ſuum. nam illud in primis cauſa eſt, cur inimici in gratiam non reconcilientur, quòd ſuam quiſque cauſam mordicus tuetur, atque ita ſibi fauet, ut in alterum ſemper reijciat culpam. quæ res ſignificationem præbet animi adhuc à uera pœnitentia alieni, & cum illis potius memorandi, de quibus ſcriptum eſt, [*gloriantur cum malè fecerint,*] quàm cum pijs. alioqui ſi intelligerent quod agunt, gloriam ingentem arbitrarentur, & ſuæ & proximorum ſalutis gratia ſeſe demittere, & eum imitari, [*qui tametſi Dominus omnium eſſet, neque rapinam arbitraretur eſſe ſe æqualem* Deo, *ſe tamen ita noſtri gratia deiecit, & humilem præbuit, ut factus fuerit obediens uſque ad mortem, & eam crucis.*] qua tamen cruce digni nos eramus non ipſe. hoc tam euidens ac tantæ maieſtatis exemplum ſi intimis ſenſibus perciperemus, mox lites & odia & inimicitiæ conquieſcerent, quæ idcirco in uobis perſeuerant, & quotannis reuiuiſcunt, quòd nunquam iniuriam à nobis eſſe ortam uolumus confiteri. quæ ſi etiã à proximo noſtro eſſet profecta, regem tamen noſtrum Chriſtum deberemus imitari, qui, quamuis nos eſſemus in culpa, luere tamen ipſe pro nobis pœnas uoluit. Et hæc quidem ueræ pœnitentiæ initijs ita ſunt neceſſaria, ut ſine his non audeam cuiquam polliceri pœnitentiam eſſe ſalutarem. quod cum hactenus multis ueſtrum defuerit, intelligere poteſtis, quem fructum ex ueſtra hactenus pœnitentia retuleritis. neque uerò hæc dicta à me ſunt, quòd iubeam quenquam ueſtrum de ſalute ſua deſperare, ſed multò uelim minus fruſtra ſperare, &, cum ſine pœnitentia expectanda ſalus non ſit, eam arbitrari pœnitentiam, quæ nulla ſit, atque inde ſalutem ſibi polliceri, unde Diuinam potius iram ſibi repoſuerit. re enim uera hoc irridere potius Deum eſt, atque irritare, quàm dare operam ut placetur. Sed hæc hodierna oratione

Pro. 2.

Phili. 2.

tione sint satis: quæ si attentius fueritis meditati, eritis ad ea, quæ restant, audienda paratiores, atque ad salutarem pœnitentiam instructiores. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO QVARTADECIMA.

item de pœnitentia.

QVAE superiori oratione dicta à nobis de pœnitentia sunt, & quę adhuc restant dicenda, admonent nos, ut meminerimus, quę apud Mosen de leproso, qui peccatoris hominis figuram tulit, fuerũt scripta. iubetur enim, ut leprosus habeat uestimenta dissuta, caput nudum, os ueste contectum, cõtaminatum se & sordidum clamet. uestimenta dissuta, ne scilicet peccata habeant uolumen excusationis. caput apertum, ut fidem habeat in Deum ac spem ueniæ. os ueste contectum, ut sermonis & docendi fiducia careat. contaminatum se ac sordidum clamet, nimirum ne eum pudeat se peccatorem profiteri, ne id illi accidat, quod multis usu euenit, quos cum peccare non pudeat, ubi pœnitentię laudatissimum omnium opus aggrediendum est, tum pudere incipit, perinde quasi res illis probrosa sit facienda. sed uideamus, quid de pœnitentia dictum sit, quidue supersit dicendum. Superiori oratione in eo sumus immorati, ut doceremus, quæ interioris hominis præparatio sit facienda, ut cor contritum & humiliatum Deus non despiciat. post hunc autem contriti cordis apparatum, sequi debet confessio, de qua cum hodie sit dicendum, non ab re fuerit declarare, quot modis confitendi uerbum in scripturis sanctis accipiatur. & primum quidem Hebrææ linguę mos est, ut confessionis uocabulo utatur pro laude & gratiarum actione; quod

Leu. 13.

Ps. 104. quod in psalmis sæpissimè inuenitur, ut, [*Confitemini Domino*
Ps. 110. *& inuocate nomen eius.*] &, [*Confitebor tibi Domine in toto corde*
Ibidem. *meo,*] & in eodem psalmo. [*Confessio & magnificentia opus eius.*]
Rom. 10. interdum ponitur pro fidei confessione, ut illud Pauli. [*corde*
creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] & Domi-
Luc. 12. nus in Euangelio. [*qui me confessus fuerit coram hominibus.*] &
1. *Ioa.* 4. Ioannes. [*quisquis confessus fuerit, quòd Iesus Christus est filius*
Dei.] pro peccatorum uerò confessione accepit apostolus Iaco-
Iacob. 5. bus, cum dixit. [*Confitemini inuicem peccata uestra.*] de hac autem postremo loco dicta cùm loquendum sit, illud admonendi in primis estis, duplicem esse confessionem, internam uidelicet atque externam. sed mihi uidentur plerique omnes solam externã agnoscere, internam uerò, à qua tota exterioris uirtus proficiscitur, uel ignorare, uel certè quàm leuissimè attingere, quo fit, ut ueræ pœnitentiæ fructus non percipiatur, sed quemadmodum,
Mat. 15. [*de corde exeunt, quæ coinquinant hominem,*] sic ab eodem proficiscantur necesse est, quæ illum mundent. interiori ergo prius utendum est confessione, qua coram Deo peccata ex animo agnoscimus, nostra iniquè facta summo cum animi dolore damnãtes, ac Dei misericordiam implorantes, dicentesque cum propheta.
Psal. 31. [*dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.*] Hanc interiorem confessionem ethnicos etiam agnouisse reperimus, sed nullam uidetur de expiatione culpę spem habuisse, quæ spes propriè piorum est, qui cum summa peccati detestatione, & melioris uitę uoto fidunt Dei misericordiæ, sperantque se ab eo peccatorũ ueniam consecuturos. hanc autem requirit à nobis Deus etiam post remissa peccata, ne postea quàm consecuti misericordiam sumus, efficiamur remissiores. alioqui sentire homo non potest, quid illi concesserit Deus sua misericordia. ob hanc causam pijs omnibus curæ semper fuit interior hæc ad Deum confessio, ut ea, quę iam pro certo habebunt sibi fuisse remissa, in memoriam reuocarent, non ignorantes prręteritorum peccatorum recordationem ac luctum prodesse plurimum & ad alia cauenda, & ad uerecundiam animę incutiendam, atque ad amorem eius prouocãdam, qui tam multa tamque magna debita remiserit. quod nisi fecisset, tam ingens peccatorum pondus eos ad æterna supplicia relegasset. hoc faciebat Dauid, qui quamuis audiuisset à prophe-
ta

ta Natan translatum à se fuisse peccatum, dicebat tamen, [*iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper.*] in eundem modum Paulus illa etiam commemorat, quæ per ignorantiam commissa gratia baptismi & confessio fidei aboleuerat, & dicebat. [*Christus Iesus uenit in hunc mundum, ut saluos faceret peccatores, quorum primus ego sum.*] & rursum. [*qui prius fui blasphemus & persecutor & uiolentus, supra modum persequens ecclesiam Dei, & impugnans eam, & qui non sum dignus uocari apostolus.*] & hęc quidem ille deflet, quę ante ueritatis agnitionem per ignorantiam patrarat. nos uerò ne ea quidem recordari uolumus, quæ postea quàm Christi membra effecti sumus, quotidie peccamus, aut siquando in eorum recordationem uenimus, continuo ad alia transferimus cogitationem. & ob hanc causam fit, ut mala malis addamus. quod ut caueremus admonebat per Ezechielem Deus: [*recordamini* (inquiens) *uiarum uestrarum & omnium scelerum uestrorum, quibus polluti eratis, & displicebit uobis in conspectu uestro in cunctis malitijs, quas fecistis, & scietis, quòd ego Dominus, cum benefecero uobis propter nomen meum, non secundum uias uestras malas, neque secundum scelera uestra pessima.*] Hæc confessio nunquam est intermittenda. est enim quædam rationum supputatio, quæ accuratius à nobis exercenda est, quàm à mercatoribus suarum negociationum ratio solet. meminerimus nos Dei esse uillicos, nostræque uillicationis exactam reddendam esse rationem. codex ergo rationum conscribendus est. Hic codex conscientia nostra est, in hac peccata nostra & magna & parua tanquam in libro scribenda sunt, & ea etiam singillatim recensenda, & tanquam recens admissa deflenda. sic enim fiet, ut & animę arrogantiam frangamus, & maior cautio, ne in eadem posthac incidamus, adhibeatur. Nemo autem habet, cur excuset se quotidianam hanc confessionem exercere non posse. si enim omnino per diem defuit tempus, quo minus excutere has rationes potueris, noctu saltem cum accubueris id præsta, regem illũ Dauid imitatus, qui lauabat per singulas noctes lectum suum, & lacrymis suis stratum suum rigabat. tantus rex rigabat singulis noctibus lectum lacrymis, & tu non saltem cogitationem, aliqua noctis parte exercebis commemorandis peccatis tuis? tres illi pueri in medio ignis non sunt obliti peccata gentis suę confiteri Domino,

Marginalia: *Psal.* 50 — 1 *Tim.* 1 — Ibidem — 1.*Co.*15. — *Eze.* 20. — *Psal.* 6. — *Dan.* 3.

Domino, sequemet ipsos inter peccantes numerare, & longiori oratione profiteri, quòd Deus in iudicio & iustitia induxisset mala super ciuitatem sanctam Ierusalem, & tradidisset eos in manus inimicorum suorum iniquorum ac pessimorum. tu uerò tam commodè iacens prestare id recusabis? Huius interioris confes-
Leui.9. sionis figura in ueteri lege descripta fuit, cum iubetur ut pontifex offerat sacrificium pro delicto, generalemque peccatorum totius
Leui.16. populi confessionem ad Deum faciat. [*postquam* (inquit) *emundauerit sanctuarium & altare, tunc offeret hircum uiuentem, & posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum* Israel *& uniuersa delicta & peccata eorum.*] hunc morem in noua lege sacerdotes seruant, exordium missæ à confessione faciẽtes, quam uicissim cum astantibus recensent, hanc paulò ante consecrationem Dominici corporis ac sanguinis populo pronuntiant, ut eam populus eisdem uerbis prosequatur, ut omittam illam, quæ mane & uespere in horarijs precibus adhibetur, quibus rebus si animus aduerteretur, neque ita supinè præterirentur, maximo essent ad mores in melius mutandos, adiumento. Sed hactenus de ea confessione satis pro temporis ratione dictum sit, quam coram Deo facimus, & à qua reliquę omnes, quę in Christi ecclesia in usu sunt, uim suã accipiunt. hæc enim ueluti fundamentum est, quo firmiter posito, reliqua structura stabile accipit incrementum. Altera confessio est, quam in Euangelio docet Dominus, & hęc fraterna appellatur, cum offenso fratri curamus
Matt.5. satisfacere. [*Si offers* (inquit) *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum.*] hæc enim pręcipua atque una uia est reconciliandæ amicitiæ, cum & qui offendit, ueniam petit, & offensus
Mar.11. remittit iniuriam. id enim præstare iubetur cum dicitur, [*remittite siquid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cœlis est, remittat uobis peccata uestra.*] quòd siqui ad hoc pręceptum
Ibidem. duriores sunt, audiant quod sequitur, [*quòd si uos non remiseritis, nec pater uester qui in cœlis est, remittet uobis peccata uestra.*] Hanc signatam fuisse ueteres patres intellexerunt in illa pedum lotione, cum Dominus Christus facti sui rationem exponens di-
Ioan.13. xit, [*si ego laui pedes uestros Dominus & magister, & uos debetis*
alter

alter alterius lauare pedes, exemplum enim dedi uobis, ut, quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.] quo significat, ubi proximum læserimus, debere id nos coram eo agnoscere, ac ueniam petere, uicissimque ubi offensi fuerimus, remittere, ac mutuis erratis condolere. hoc uolebat beatus Iacobus, cum diceret. [*confitemini inuicem peccata uestra, & orate pro uobis inuicem, ut sanemini.*] Et has quidem geminas confessiones antecedere eam oportet, quam sacramentalem appellant, si salutaris est futura, de qua iam aliqua etiam dicenda sunt, si forte suus ei decor possit restitui. prolapsa enim est uehementer in ea præsertim parte, quę ad cohibenda scelera erat aptissima. nam uetus ecclesia seuera admodum fuit in criminibus publicis uindicandis, tum ne ecclesia ob aliquot peccantes malè audiret inter gentes, hoc enim uehementer illis erat curæ, tum ne contagione totus Christi grex inficeretur: quorum utrunque nunc sublata seueriori censura usu euenit. etenim nostris iniquè factis ac perditissimis exemplis fit, ut qui Euangelicam ueritatem ignorant, putent dogmata nostra somnia esse atque figmenta, alioqui fieri non posse, ut tantæ ueritatis luci tam ingentes peccatorum tenebræ offunderentur. & multis impune peccantibus ita propagantur uitia, ut nunc, si unquam aliâs, illud dici uerissimè possit, [*omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonũ, non est usque ad unum.*] olim qui Christo nomen dederant, uulgata appellatione sancti uocabantur. nunc ita peccata passim dominantur, ut, quod superiori oratione diximus, quosdam uestrum audierim admirari, ubi quis sine lætali crimine reperiri memoratur. tam multæ autem sordes iccirco irrepserunt, quòd nulla castigandis criminibus acrior seueritas adhibetur. at non sic in ipsis nascentis ecclesiæ initijs fiebat: uidere enim quo pacto se gesserit Paulus aduersus Corinthium scortatorem, quanta cum seueritate illum tradiderit Sathanæ in interitum carnis, ut demum spiritus saluus fieret. neque id solum, uerum multò magis ob id, quod adiecit. [*an nescitis,* (inquiens) *quòd paululum fermenti totam conspersionem fermentat?*] si enim perspiciamus, maxima malorum pars, quæ nunc orbem Christianũ miserè occupat, ex contagione profecta est, quę contagio ab impunitate uires accepit. nunc enim immania scelera apertè fiunt, sed non apertè castigantur. olim uerò ijs, qui in

Iacob.5.
Psal.13.
Psal.52.
1.Cor.5.
ibidem.

criminibus publicis essent deprehensi, publicè erat confitendum, crimen erat apud pastorem & ecclesiam agnoscendum, & petenda ab episcopis seu pastoribus publicę pœnitentię concessio. tantusque tum erat pietatis uigor, ut interdum criminosi ipsi apud ecclesiæ præsides sponte se proderent. qui mos iam tum cœpit,
Luc. 7. cum Dominus ipse prædicaret Euangelium. nam mulier illa in ciuitate peccatrix ad ipsos conuiuantes non erubuit penetrare, non iussa uenit, inter epulas lacrymas protulit tam largas, ut Christi pedibus aduoluta eos lacrymis lauerit, & capillis terserit. admirandum & imitandum pœnitentiam agere uolentibus exemplũ. Ad hanc uoluntariam publicorum criminum confesſionem sancti patres populum diligenter hortabantur, ac prouocabant. uerum si id facere sponte nollent, uisum fuit ecclesiæ ueteri, publicè peccantes, & tamen peccatum suum confiteri recusantes ad publicam confesſionem compellere. & siquidem crimen tam erat uulgatum, ut totam ecclesiam seu ciuitatem offendisset, episcopus seu pastor ecclesiæ peccantem coram omnibus arguebat, quemadmo
1. Tim. 5. dum Paulus Timotheo præcipit dicens. [*peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*.] sin correptus agnoscere ac confiteri crimen recusabat, excommunicabatur, nec recipiebatur, nisi resipisceret. cuius pulcherrimũ exemplum habes in illo scor-
1. Cor. 5. tatore Corinthio, cuius dudum fecimus mentionem. ubi cernere est, quàm seuere apostolus Corinthios increpet, quòd dissimulassent, quòd eum non amouissent ab ecclesiæ cœtu, quem etiam quandiu nondum de resipiscentia cogitabat, excommunicatum tradidit Sathanæ, postea crimen publicè agnoscentem absoluit, & ecclesiæ reconciliauit. Excogitata etiam olim fuit uia, ne salubre hoc remedium agnoscendorum & confitendorum criminum, quæ publicè fuissent commissa, deperiret. nam plurimis ecclesiasticis regulis ac canonibus cautum & mandatum est de eiusmodi delictis prodendis, ac mos saluberrimus fuerat introductus, ut in uisitationibus parochiarum aliquot è plebe maturiores & honesti ac ueraces uiri in medium uocarentur, & iureiurando constringerentur, ut dicerent, quicquid contra rectam fidem in parochia nossent uel audissent esse factum, omni affectu humano longè seposito. post hanc conquisitionem qui publice peccasse deprehēsi fuissent, ad publicam confesſionem & pœnitentiam adigebantur,

tur, & secundum canonum ordinem pro merito suo excommunicabantur, & expleta demum pœnitentia reconciliabantur. Nunc uerò omnia hæc tam salutifera instituta, pastorum in primis culpa, ita sublata sunt, ut ueterum duntaxat scriptis reperiantur olim fuisse. nulla enim horum ne cogitatio quidem est. pastores ignorant quod sunt, sui tantum pascendi curam habent, aberrant oues, dum desunt, qui eas ducant ad pascua. Dei non amor solum sed ne timor quidem ullus esse uidetur, alioqui non ita in omnia scelera homines præcipitarentur. [*non accepistis* (ait Paulus) *spiritum seruitutis iterum in timorem*.] quasi turpe esset ab illo post agnitam hanc ueritatem detineri. nunc uerò optandum esset uel hunc adesse, quo metu saltem ut serui, quamuis non boni, serui tamen à tanta peccandi licentia coërcerentur. illud uerò, quod addit Paulus, [*accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater*,] si adesset, peccatum longè amplius, quàm Geennam formidaremus, exemplum enim ab ijs, qui uehemẽter amant, accipite, qui si forte aliqua amatum offendant, non expectant, ut ab alio castigentur, sed ipsimet à seipsis pœnas exigunt. seque uita indignos arbitrantur, neque aliquid in pœnam & peccati ultionem pati, sed offendisse ac irritasse graue sentiunt, & iucundius est tunc illis pœnas dare, quàm ab amato affici beneficio. si ergo cogitaremus Dei erga nos incomprehensam charitatem, quantumque illi hoc nomine debeamus, quàm seueras de nobis ipsis pœnas sponte sumeremus? quod ut facilius intelligatis, ponite hoc exemplum ante oculos. fingite latronem aliquem in manus iudicis uenisse excruciandum, ac supremo afficiendum supplicio. hunc, regem quempiam miseratum decreuisse liberare, ac tanta charitate prosecutum fuisse, ut proprium filium pro illius redemptione dare non recusauerit, & demum hunc latronem ita liberatum maximis honoribus affecisse, atque inter primates regni collocauisse. quo animo iudicatis latronem istum erga tam munificum regem esse debere? nimirum ut reliquam omnem suam uitam illi acceptam referat, deinde quicquid uirium, quicquid facultatum habeat, uelit totum regis commodis ac honori inseruire, & quoduis crudelissimum ac teterrimum mortis genus pati potius quàm committere ut is, cui tantum debeat, uel leuiter offendatur. at nos in hac sumus conditione.

Rom. 8.

Ibidem.

Col. 1. eramus quouis latrone damnatiores, sub Diaboli tenebamur po-
Act. 26. testate. miseratus hanc sortem Deus dedit unigenitum suum in
Ioan. 3. acerbissimam crucis mortem, ut nos à Diaboli tyrannide libera-
Col. 1. ret. neque hoc contentus transtulit nos, modo uelimus, in re-
Rom. 10. gnum filij dilecti sui, [*ut simus hæredes Dei & cohæredes Chri-
sti.]. quid præstandum nobis esset pro tanto munere? nempe
2. Cor. 5. quod ait Paulus. [*charitas Christi urget nos, æstimantes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*.] cernis pulchram ratiocinationem? & tamen quis hæc nostrum cogitat? quis tantis illectus beneficijs, grati præ se animi fert significationem? quis non dico uitam, quam etiam omnem ei debet, sed aliquam opum suarum, quas tamen & ipsas ab eo habet, partem alacri animo exponere pro eo paratus est? ita nullum legitimorum filiorum, sed ne honestorum quidem seruorum indicium ullum præbemus. quare pudere tandem nos incipiat tam perditè superioris actæ uitæ, & ad ueram pœnitentiam agendam accingamur, ut accepta præteritorum peccatorum uenia, promissa demum fidelibus bona consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO QVINTADECIMA.

item de pœnitentia.

CERNO hanc uetusti ecclesiæ moris commemorationem uobis non displicuisse, neque preterea fuisse inutilem, cum & inertiam nostræ ætatis arguat, & ad accuratius agendam pœnitentiam exstimulet. quare quod in describenda publicę pœnitentiæ ueteri consuetudine fecimus, idem si hodie in priuata fecerimus, non erit opinor ociosum. Priuatam confessionem olim episcopi in primis audiebant. quòd si crimen, quod priuatim peccator confitebatur, tale fuisset, ut ex eo offensa fuisset ecclesia, erat in eorum potestate, summa tamen cum circunspectione, hoc crimen in conuentu totius ecclesiæ exponere ac palam facere, aut certe publicam peccatori imponere pœnitentiam, quod erat, si non uerbis, at facto tamen declarare ecclesiæ, peccasse se grauius. si uerò occultum erat peccatum, cauebatur episcopis ac sacerdotibus, ne omnino illud proderét, alioqui grauissima censura castigabantur. Quamuis reperiatur illorum temporum seueritas eò fuisse progressa, ut quidam sacerdotes, [*æmulationem*] quidem Dei habentes, *Rom. 10.* [*sed non secundum scientiam*,] omnino uellent, ut non tantum ea, quę manifestè peccata fuissent, sed etiam reatus cōscientiarum, scripta professione publicè recitarentur. sed sublatus fuit hic abusus per Leonem illum magnū. nam abusus omnino erat, [quamuis plenitudo fidei (ut idem Leo ait) uideatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non ueretur.] quia tamen non omnes ita sunt animati, & præterea quòd eius interdum generis sunt peccata, ut latere ea conducibilius ecclesię sit, quàm prodi, remouenda erat illa consuetudo, cum ne ea, quæ laterent, prodita, hoc exemplo ad imitationem prouocarent, tum ne multi à pœnitentię remedijs arcerentur, dum aut erubescerét, aut metuerent inimicis suis sua facta aperiri. Verum posterioribus hisce tempo-

temporibus augescente hominum malitia,& peccatoribus ob parum contritum cor omnem seueritatem auersantibus,ecclesia ueluti mater, quæ in omnem se uertit partem, modo filiorum saluti consulatur, sciens non eadem arte in præfractos filios, & erga obedientes esse utendum, remissiore disciplina peccatores in officio studuit retinere. quare nõ solum uetuit, ne omnino sacerdos uerbo uel signo aut alio quouis modo peccatorem proderet,alioquin à sacerdotali officio depositus perpetuam agere pœnitentiam cogeretur,uerum etiam remissa est ea seueritas,qua olim confitentes etiam secretò ac priuatim ea peccata, quę non clam commisissent, non absoluebantur, nec ad communionem sacramentorum per reconciliationem admittebantur, nisi salubri primum satisfactione purgati. & pręterea pœnę peccatorum, quæ secreto prius iniungebantur, & à canonibus sacris pro peccatorum uel qualitate uel magnitudine fuerant institutæ,iam factę sunt arbitrariæ,ut eas sacerdotes, prout conducibilius uisum illis fuerit, permutent ac uarient. quibus rebus significatio fit, Christianas res nimium esse prolapsas, cum & mala tam uehementer creuerint, & uerę pœnitentię, quæ pro scelerum magnitudine intendi magis ac magis debuerat, nulla penè existant uestigia. ut uerear, quod sæpius à me dictum potestis meminisse,peccatorum exhomologesim eo pacto,quo nunc fit,id tãtum efficere,ut homines toto uitæ tempore in peccatis perseuerent,dum persuasione remittendorũ sibi quotannis peccatorum,nunquam ab illis recedunt,quos nisi hæc,ausim dicere, uana spes lactaret, non tam facile ad peccata relaberentur. quocirca non desino identidem uos admonere, ut corruptissimum hunc morem abijciatis, siquid tutæ spei consequendæ per pœnitentiam uenię referre cupitis, atque eo animo ad exhomologesim accedite, ut multò malitis mortem oppetere, quàm lætali posthac ullo crimine sordidari,& Christo liberatori uestro tam impudenter illudere. re enim uera irridere fuit hoc potius quàm reconciliari, nisi forte reconciliationem existimatis appellandam, ubi quis,postquam in gratiam à principe aliquo est receptus,post paulò non minoribus quàm antea illum lacessit iniurijs. Sequebatur, ut, quando de confessione,quæ sacerdotibus fit, uerba facimus, eorum refelleremus errorem, qui rem saluberrimam, hanc uidelicet priuatã confessionẽ rabiosè ac furẽter exagitare atque

adeo euertere sunt conati. sed quando Dei benignitate ciuitas uestra ab hac eiusmodi hæresum peste libera est, non uideo necessarium, ubi morbus non est, adhibere medicinam. satis erit ergo admonere uos, hanc in ipso Euangelij ortu cœpisse in usu haberi. nam ferunt Euangelistæ, ad Ioannem Baptistam accessisse populos, qui sua illi peccata confiterentur. & in Actis apostolorum. *Mat. 3.*
[*multi credentium* (ait Lucas) *ueniebant confitentes & annuntiantes facta sua.*] ob hanc causam uniuersalis consensus ecclesię hunc morem seruauit, & præstantissimi quique ab ipsis apostolorum temporibus tam Græci quàm Latini scriptores huius confessionis fecere mentionem. & profectò non leue est argumentum, quo theologi confessionem hanc non ab hominibus sed ab ipso Christo fuisse institutam affirmant. non enim esse uerisimile, homines hominibus hoc confessionis onus imponere potuisse. quod solum plus habeat sarcinę, quàm uniuersa lex Mosis, quam beatus Petrus iugum & onus appellauit, quod nec ipsi nec patres eorum ferre possent, cuius cerimonijs non putauit onerandas gentes, ac Iudęos etiam exonerauit. Sed mouere scrupulum aliquibus uestrũ posset, si in confessione interiori peccata remittuntur, quemadmodũ propheta ait, [*dixi confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,*] quid illa exteriori sit opus, aut quidnam post remissionem culpę atque ęternæ pœnæ abolitionem, quæ in interiori pœnitentia Deus operatur, episcopus faciat uel sacerdos. & quidem satius erit, cum huius generis scrupuli animum uexant, recipere se ad ipsa scripturæ Diuinæ fundamenta, unde ista ecclesię instituta acceperunt originem, & eadem fide, qua alijs ecclesiæ mysterijs, quæ humanam mentem superant, credimus, huic etiam parti assentiri. sed tamen humanę interdum imbecillitati est mos gerendus. quare ea, quæ ante nos à patribus sunt dicta, commemorare non grauabor. Necesse est ad peccatorum remissionem accipiendam certò credere, remissa sibi per Christum esse peccata, iam cum hæc certitudo non iudicio sensuum, aut rationis effici in nobis queat, sed fide tantum, constet autem fidem in quàm paucissimis hominibus, ijs præsertim, qui grauioribus criminibus occupati aliquando fuerunt, reperiri, quæ, nisi externis signis iuuetur, ad eam certitudinem perueniat, ut certo credat ac statuat, se receptum in gratiam fuisse, ni-

Act. 19. *Act. 15.* *Psal. 31.*

mirum ob diffidentiam ac dubitationem de Dei uoluntate, quę animis nostris naturaliter hæret, & perpetuò cũ fide luctatur, quod
Iob.9. graphicè Iob descripsit, cum dixit. [*cum inuocantem exaudierit me, non credo quòd audierit uocem meam*.] iccirco Christus huic imbecillitati fidei nostrę per externum sacramentum succurrens, pœni
Ioan.20. tentiæ sacramenta instituit, cum dixit discipulis. [*accipite spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt*.] & quemadmodum baptismum & eucharistiam & cætera sacramenta certa & efficacia signa esse uoluit, quibus doceamur, ut quod foris in specie uisibili geri cernimus, intus per fidei uirtutem in nobis effici certò credamus, sic & pœnitentię sacramentum nobis reliquit, quo fidem nostram de remissione peccatorum stabiliret, atque eam ob rem sacerdotibus insignem illam potestatem contulit remittendorum scilicet peccatorum, hoc est, potestatem signo uisibili indicandi & ostendendi, peccata pœnitenti ac confesso, à Deo fuisse remissa, ut, cum sacerdotalis absolutionis uerba perceperit, non secus affectus sit. quàm si ipse Christus ei dixisset, remittuntur tibi peccata tua. sicut enim cum quis à sacerdote baptizatur, ipse tamen est Christus, qui baptizat, ita ipse etiam est, qui sacerdotis ministerio absoluit, ut de utriusque sacramenti uirtute unumquemque Christianum parem atque eandem habere oporteat certitudinem. Pręterea, cũ Christus & ecclesia unum sint corpus, ac proinde pœnitentem non tantum pacem erga Deum, uerum etiam erga ecclesiam, in qua sola remittuntur ipsa peccata, habere oporteat, ac omnino interfit, ut qui in ecclesia præsident, exploratam habeant pœnitentium conscientiam ac propositum, quę ex eorum operibus cognoscuntur, icirco Christus sacerdotibus præter potestatem remit-
Mat.16. tendi peccata, potestatem etiam fecit ligandi, atque soluendi, hoc est, confitentibus pœnitentiæ satisfactionem dandi, qui tum ligãt, cum satisfactionem imponunt, & pœnitentes, donec ea purgentur, à communione prohibent, soluunt uerò, cum satisfactionem impositam uel relaxant, uel ea purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. in quo etiam Christus imbecillitati nostrę
Mat.3. summa cum pietate consuluit. nam cum pœnitenti non quælibet sed digna pœnitentiæ opera peragenda sint, nemo autem in sua causa iudex idoneus uideatur, atque adeo unusquisque semper

propriam

propriam censuram suspectam habeat: ideirco Christus uicarium suum ostendit, cuius dicto in hac etiam re staretur, ut quidam inter nostros præstantissimus non temere dixerit, [cum ecclesiæ claues frustrari, qui uelit sine arbitrio sacerdotis agere pœnitentiam.] His breuiter de confessione tum interna, tum externa dictis, reliquum est, ut aliqua etiam de satisfactione dicamus, quæ omnino est in pœnitentia necessaria, quamuis & in hanc quidam prurientes lingua, & quibus uentri indulgere quàm pœnitentia affligi, est iucundius, acerbissimè sint inuecti. Et quidam satisfactio illa, quę nobis peccatorum meretur remissionem, atque ęternam abolet mortem, soli Seruatori ac liberatori Christo est tribuenda, ipse enim est, [*qui tollit peccatum mundi, & dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate.*] & quod ad æternam mortem pertinet, cum alibi tum ad Colossenses scribens Paulus ait, [*& nos cum essetis mortui per delicta & præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo, quod erat contrarium nobis, & illud sustulit è medio affixum cruci.*] Ex hac ergo quidem parte satis à redemptore Christo factum est, sed quia ex peccandi consuetudine uitiosus quidam in anima habitus, & ueluti rubigo adhæsit, uel sicut in corpore post sublatum morbum quædam remanet imbecillitas, ista per recta & honesta facta corrigenda sunt, ut integra & incolumitas & pulchritudo animę restituatur. nam in pœnitentia idem accidit, quod & in baptismo, ut postea quàm sublata per baptismum peccata sunt, fomes tamen superfit, cui sit identidem resistendum, sic ubi quis, exempli gratia, lasciuiam carnis secutus, multa in hac parte peccauit, cum eum ex animo pœnitet, remittitur illi quidem peccata illa, uerum nisi à se pœnas in posterum exigat, & carnis lasciuiam per ieiunia & reliquas corporis castigationes coërceat, primum in eadem peccata facile relabetur, quod in multis quotidiano discimus experimento. deinde si facta indicia sunt animi affectionum, ex fructibus enim arbor agnoscitur, quomodo ex animo se pœnituisse persuadere sibi quisquã potest, qui peccatis contraria rectè facta aggredi recusat? atque hoc est, quod admonebat Paulus, [*humanum (inquiens) dico propter infirmitatem carnis uestræ. sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sic exhibete*]

Ioan. 1. Tit. 2. Col. 2. Rom. 6.

nunc seruire iustitiæ in sanctificationem.] multò quidem (inquit) maiora prçstanda fuerant pro salute paranda, quàm quç laborastis, cum interitum uobis comparabatis, sed cum imbecillitati uestrç consulendum sit, par saltem studium hic exhibete, quod in superiori uita præbuistis. hoc ubi fit, satisfactionem agimus pœnitentiæ, quam ueteres patres definierunt esse, cum peccatorum causæ exciduntur, nec earum suggestionibus aditus indulgetur. & hoc etiam est, facere fructus dignos pœnitentiæ, qui sunt contraria peccatis facta iustitiæ. fuisti per superbiam in proximum quenque contumeliosus? deijce nunc te, & ei per humilitatem subesse cura. auaritiæ uitio laborasti? aliena rapuisti? iam non solum redde, quod iniustè adeptus es, sed propria etiam largire.

Luc. 19. [*ecce* (inquit Zacchęus, uerum rectæ pœnitentiæ exemplar) *dimi-*

ibidem. *dium bonorum meorum do pauperibus, & siquid aliquem defraudaui,*

Rom. 13. *reddo quadruplum.*] dedisti operam comessationibus & ebrietatibus, atque eorum comitibus cubilibus & impudicitijs? deinceps legem statuæ gulæ ac uentri, & continuo ea, quæ sub uentre sunt, conquiescent. Delectatus hactenus es in proximi uitam dicere, & eius famæ detrahere? delectare posthac bene de illo & sentire & loqui. breuiter quibuscunque in rebus peccasse te animaduertis, contraria illis recta iustitiæ facta oppone, & dignos pœnitentiæ fructus perfecisti. Accedit & alia utilitas in hac pœnitentiæ satisfactione, quòd temporariæ pœnæ, quibus alioqui ob eam neglectam homines puniri interdum solent, uel tolluntur uel mi-

1. Co. 11. tigantur. quod admonet Paulus cum ait. [*si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.*] quod de pœnis intelligi, quæ in

ibidem. hac uita infliguntur, ipse mox declarat, dicens. [*dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*] &

2. Par. 7. in Paralipomeno. [*si clausero* (inquit) *cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locustæ, ut deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus, super quem inuocatum est nomen meum, precatus me fuerit, & quæsierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à uijs suis pessimis, & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.*] Eodem pertinet, quod dicitur, eleemosynam liberare à peccatis. & quod Daniel regi dixit, ut peccata sua eleemo-

Dan. 4. synis redimeret, uidelicet ultionem illam, quã in hac ei uita euenturam

turam ob illius peccata prędixerat. Hactenus de pœnitentia eiusq; partibus, quàm fieri potuit breuissimè, tractatum à nobis est. sed quoniam efficaciora multò exempla sunt ad permouendos animos quàm uerba, magni cuiusdam uiri egregiam pœnitentiam ante oculos uestros ponere decreui, nempe regis Dauid. qui omnia mihi uidetur impleuisse, quę ad ueram pœnitentiam diximus esse necessaria. quæ intueri licet in eo psalmo, quem composuit, ubi per prophetam Natan admonitus fuit patrati gemini sceleris, & adulterij scilicet & homicidij. primum enim ueniam & misericordiam impensè rogat, idque non mortis metu, quę iam fuerat ei condonata, audierat enim ab eodem propheta, [*Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.*] sed dolebat tantum benefactorem fuisse à se offensum, idcirco aiebat. [*tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*] hoc unum (inquit) me in primis excruciat, quòd in te peccauerim. idcirco identidem eadem repetebat, ut deleret eius iniquitatem, ut etiam atque etiam lauaret eum ab illa, ut auerteret faciem à peccatis eius, quòd graue nimiũ esset illi, apparere ea ante conspectum Domini. declarauit se uehementer peccatum abominari & exhorrescere, cum ex superioribus uerbis, tum ex ijs cum ait. [*iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum coram me est semper.*] interim de gloria Dei cogitat, [*ut iustificeris* (inquiens) *in sermonibus tuis & uincas in iudicio.*] si hanc (inquit) iniquitatem mihi condonaueris, & promissa seruaueris mihi perfido. merito æquissimus iudicaberis, & in seruandis promissis constantissimus, & in damnandis illis, qui resipiscere nolunt, iustissimus. quæ cogitatio signum præbet pij animi, & qui non minus de Diuino honore, quàm de proprijs commodis cogitet. præterea non deijcitur desperando, sed erigitur spe, fore, ut exhilaretur gaudio & solita lætitia, & exultent ossa, quæ à Deo fuerint uulnerata. hoc enim est quod ait, [*auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.*] Detestato autem uitio incipit optare cordis munditiem, [*cor mundum* (inquiens) *crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.*] cogitat præterea offensis proximi satisfacere, ut, quemadmodum scelerato illo facto exemplum perditæ uitæ dederat, sic sua pœnitentia discant peccatores reuerti ad Deum. idcirco dixit. [*docebo iniquos uias tuas, & impij ad te*

Marginal notes: *2. Re. 12.* — *ibidem.* — *ibidem.* — *Psal. 50.* — *ibidem.* — *ibidem.* — *ibidem.* — *ibidem.*

conuertentur.] Sed meminerimus illud in primis oportet (ne id, quod pro remedio institutum est, trahatur in occasionem carnis) Dauid ita petijsse ueniam, ut nunquam postea ad idem peccatum sit reuersus. id enim præcipuum est animi, quem uerè pœniteat, indicium post purgatam per pœnitentiam animam,
Luc. 7. non iterum sordidari. hoc præstitit peccatrix illa Euangelica: hoc
Ioan. 8. dictum fuit adulteræ, ut abiret, neque posthac peccaret. & al-
Ioan. 5. teri è morbo curato, [*ecce* (inquit) *sanus factus es; iam noli peccare; ne tibi aliquid deterius contingat.*] quod enim in corporeis morbis accidit, idem non minus in anima fit, ut ubi quis iam liber à peccatis factus ad eadem facile relabitur, multò quàm antea grauius ægrotet. semper enim magis obduratur cor, ut homo ad recuperandam sanitatem fit ineptior. Hæc cum ita sint, si certæ aliquid spei de salute uestra habere uultis, date operam, ut longè maiori studió & cura ad pœnitentiam accedatis, quàm hactenus sit factum. quod utinam omnes assequamur, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO SEXTADECIMA.

qua admonet quædam ſcitu neceſſaria ciuitati, ad ueterem hominem bene penitus exuendum, nouumq́; induendum.

FREQVENS iſte, quem cerno, uirorum mulierumque conuentus, ſpem mihi facit non exiguam, uos ex eorum uelle numero eſſe, de quibus hodierna ſancti Euangelij lectione Dominus dixit. [*qui ex Deo eſt, uerba Dei audit.*] cui rei cum adiectum præterea Ioan. 8.
uideam, quòd reprehenſiones omneis meas æquo animo auditis, atque in bonam partem accipitis, non poſſum non optimè de uobis deque ueſtris in Euangelica philoſophia progresſibus ſperare. & profectò ſic omnino fieri eſt & mihi neceſſarium & uobis ſalutare. ſpeculator enim pro uobis, poſitus ſum. [*quòd ſi ſpeculator* (inquit) *uiderit gladium uenientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, ueneritq́ue gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram.*] quare ne ue- Eze. 34.
ſtrarum animarum ſanguis de manu mea requiratur, non poſſum huic muneri deeſſe, præſertim cum hoc nihilo minus in ueſtrum quàm meum detrimentum redundaret. neque enim ſolum dictum fuit prophetæ, [*ſanguinem eius de manu tua requiram,*] ſed ibidem.
etiam, [*ipſe impius in ſua iniquitate morietur.*] icciro & Salomon dicebat. [*qui parcit uirgæ, odit filium. qui autem diligit illum, inſtanter erudit.*] ueniat quoque in mentem Eli ſacerdotis, qui Pro. 13. 1.Reg.2.
quamuis increpaſſet filios, quòd peruerſè agerent, quia tamen ſeueriorem caſtigationem, quam adhibere debuerat, non exercuit, eodem & uno die & filij interfecti ſunt, & Eli fractis ceruicibus 1.Reg.4.
mortuus eſt. ſed oporteret, ſi uberiorem ex hoc Diuini uerbi auditu referre fructum uultis, ut quod hoc quadrageſimæ tempore facitis,

facitis, idem toto anno præstaretis, ut scilicet cum eadem conuentus frequentia ad uerbum Dei audiendum conueniretis. hoc enim pacto radices in uestris pectoribus altius figeret, ex quo fructum ingentem reportaretis. alioqui si per hosce duntaxat paucos
Mat.13. quadragesimæ dies huic rei operam datis, eritis similes illi grano,
Mar.4. quod ubi natum fuit, mox exaruit. Illud præterea cogitandum uo
Luc.8. bis est, multò esse uerbum Dei post quadragesimam & deinceps reliquo anni tempore magis necessarium. nunc enim dormit Diabolus, neque admodum tentandi uestri per hosce dies studiosus est. sperat enim fore, ut idem assequatur hoc anno, quod hactenus est assecutus, ut uidelicet peracta quadragesima festisque paschalibus, ad priora nullo negocio & grauiora etiam peccata uos pertrahat, quod si fiat, cernit, hoc quicquid nunc agitis, nihil uel prodesse uobis, uel ipsi obesse posse. hoc ut tam ingens malum caueatur, nullum uideo aliud, uel certè magis efficax remediũ, quàm ut Diuino huic uerbo audiendo assuescatis. est enim ille gladius,
Ephe. 6. quem assumere fideles iubebat Paulus, cum dicebat. [*& gladium spiritus, quod est uerbum Dei.*] sed hactenus ista. Quòd uerò ad hodiernam concionem attinet, cum uideam defuturum mihi tempus ad ea ijs, qui reliqui sunt, diebus pertractanda, quę præparaueram, præsertim de decem Diuinæ legis præceptis, decreui, dum ita frequens & senatus & populus est, hodierna & crastina oratione quędam admonere, quę toti ciuitati scitu sunt omnino necessaria. ad ueterem hominem bene penitus exuendum, nouumque induendum. nollem enim posthac à uobis fieri, quemadmodum uideo hactenus esse factum, sed cupio hoc anno pascha eiusmodi celebrari, quale sub Iosia fuisse memoratur. de quo sic scribitur.
2.Paral. [*non fuit phase simile huic in Israel à diebus Samuelis prophetæ.*] ut
35. ergo id iuuante Deo assequi liceat, hinc dicendi faciamus exordium. Quælibet ciuitas atque respublica, tribus quibusdam partibus constat, & eius generis, quales in anima tanquam partes esse memorantur. è quibus ratio primas tenet. huius rationis loco esse senatus debet, & ij, quibus munera publica tribuuntur, ut ijs prędití moribus sint, de quibus scriptum in exodo est.
Exo.18. [*prouide* (inquit) *de omni populo uiros potentes & timentes Deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiam.*] hos ergo tantum reliquæ multitudini oportet antecellere, quantum

tum in anima ratio inferioribus eius partibus præstat. & quemadmodum cernimus in anima, ubi ratio locum suum deserit, atque in perturbationum uenit potestatem, continuò in omnia mala hominem ruere, sic in republica, si forte magistratus senatusq; à recta ratione deflectat, necesse est totam ciuitatem pessum ire. quare senatum in primis moneo, ut omni studio curet, nequid se indignum unquam agat, cogitet quas tueatur partes, meminerit totá ciuitatis salutem ex se pendere, & erratum, quod alioqui nõ admodum graue in alijs uideretur, hic maximorum interdum malorum originem præbere. duo uerò inter cætera cordi uobis esse debent, illa nimirum, quæ dudum recitauimus. ut in uobis sit ueritas, & oderitis auaritiam. ueritatis autem hoc loco appellatio plura complectitur, ut de quaque re, quæ à uobis tractetur, rectum iudicium habeatur, atque uti se habeat, de ea iudicetur, neque uel amore uel odio ab ipsius rei ueritate deflectatur. præterea ne personarum acceptio in uobis sit, nec uel paupertatis uel diuitiarũ contemplatio uos commoueat. uidete enim quid Deus præcipiat. [*non considcres* (inquit) *personam pauperis, nec honores uultum potentis. iustè iudica proximo tuo.*] & alibi. [*pauperis non misereberis in iudicio.*] quòd si paupertatis contemplatione à uero iudicio deflectere prohibemur, quantò minus quamlibet aliam ob causam id est faciendum? alterum est quod requiritur, ut oderitis auaritiam, quæ uidelicet omnium malorum est radix, quæ nisi radicitus euellatur, nihil unquam rectè à uobis fiet, rursus ea sublata, omnia suo ordine progredientur. duo ista, quæ diximus, si adessent, nulla essent inter uos dissidia, nullæ æmulationes, nullæ contentiones, omnia pacata essent, ciuitas opibus & gloria esset honestissima. sed uereor ne utraque hæc uobis desint. uideo enim (nam publica peccata aperta indigẽt reprehensione. [*peccantem* (inquit) *publicè argue, ut & cæteri metum habeant.*] uehementer uos inter uos dissidere, inuicem contradicere, si etiã quis sciat, eum, qui in senatu locutus sit, optimè consuluisse, quærit tamen illius euertere sentẽtiam. quare? ne superbiat (inquit) atque insolescat, & caput attollat, ubi senserit senatum eius sententiam sequi. en hic ueritatem prætermitti ac posthaberi, dum priuatis affectibus indulgetis. ob hanc causam fiunt eæ, tanquam sententiarum uenationes, quas practicas appellatis, & quærit

Leui. 19.
Exo. 23.
1. Tim. 6.
1. Tim. 5.

quisque

quisque uestrum plures sibi uoces adiungere, ut sententia sit superior. ex quo sequitur, ut, cum non quid reipublicę sit utile, quęratur, sed quo pacto sententijs superetis, quicquid concluditur, se rè sit ciuitati perniciosum. ex eodem uitio sequitur aliud, quod dum habere cupitis, qui uobis suis uocibus faueant, datis operam, ut ijs, quamuis ineptissimis, publica aliqua officia credantur, qui, cum ea malè administrent, damnum in ciues totamque rempublicam redundat. & hæc quidem quamuis à mutuis odijs animorumque contentione proficiscuntur, permixtam tamen habent auaritiam. cuius rei indicium est, quòd nihil sine maximis præmijs agitis, ut interea sileam quæ clandestinè furtimque subducitis, ubi primum se offert occasio, neque communis boni ulla uidetur esse apud uos cogitatio, neque uel ethnicorum exempla uos permouent, quibus [priuatus census erat breuis, commune magnum.] Verum quod ad inimicitias pertinet, pudeat etiã in hac parte esse ethnicis inferiores. legimus enim in Romanorum historijs, duos Romanos ciues à senatu in prouinciam missos fuisse, inter quos cum simultates quædam antea intercessissent, alter eorum collegam allocutus est, admonens non posse se reipublicæ negocium tractare utiliter, si priores inimicitiæ perdurarent, quare uel illas omnino ponerent, uel tandiu dum collegæ essent. quibus uerbis alter pacatus est, & ambo perpetuum amicitiæ fœdus iunxerunt. hos ergo saltem ethnicos imitamini, quoties res à uobis publica administratur. nam hactenus ab hac unanimitate tam fuistis alieni, ut in hoc consessu, ne à contumeliosis quidem uerbis abstineatis, & locus hic, qui sedes ac domicilium esse pacis debuerat, locus ultionis esse uideatur. in hac rerum confusione quid miramur res communes ac publicas pessum ire, & intolerabiles ex ærario sumptus fieri, quibus parceretur, si uno animo uno ore ciuitatis utilitatem & commoda quæreretis? respondent hic quidam uestrum, licet in hæc mutua erumpatis conuicia, nihil tamen præterea mali aliud sequi. sed decipitis uos ipsi uehementer. nam penetrant & in animum descendunt uerba illa, & ea parturiunt, quæ opportuno pariant tempore. cuius rei hanc coniecturam capite. etsi enim in paschate per omnium exhomologesim sublata odia uideantur, non ita est tamen. sed tantisper latent, dum paschalis festa dies
Luc. 11. peragatur, post recrudescunt, & per totum annum uigent, fiuntq;

nouissima hominis peiora prioribus. miror ego uehementer, ciuitatem alioqui optimè institutam, non saltem propositis pœnis barbarum hunc morem tollere, qui nisi tollatur, nullum ego sanè simultatum atque odiorum finem uideo expectandum. Optarim prętereà ut fidele silentium rebus præstaretis. audio enim plerosque uestrum temere ea, quæ uel proposita uel proponenda sunt, vulgare, iactare sese, tanquam negociorum auctores, alijs detrahere, quæ omnia sunt odiorum seminaria. [*Vos estis sal terræ*,] neque enim solis hoc ecclesiasticis est dictum, uerum etiam quibuscunque regendorum aliorum cura est credita. [*quòd si sal insulsum euaserit, quo salietur?*] non aduertitis uobis insulsis factis, totam ciuitatem futuram insipidam? Cauete ista ciues optimi, & alios mores ab ijs diuersos, quibus usi hactenus fuistis, induite. unanimes in primis estote, memineritisque vulgatam illam ethnici sententiam, [concordia res paruas crescere, discordia uerò maximas dilabi.] cauete etiam ex rebus publicis ditari, præterquam enim quòd parricidij cuiusdam hoc genus est, tam iniquè peccare in patriam communem parentem, & grauissimæ horum scelerũ reos penès iudicem Deum manent pœnæ, accedit etiam, quòd in hac quoque uita non bene illis cedit. nam duo mihi genera malè partarum facultatũ, uidentur, quæ præcipuè non solum nõ iuuant sed breui perdunt domos, opes scilicet, quæ ex ecclesiasticis & quę ex publicis rebus coactæ sunt. Et hæc quidem ad senatum ac magistratum sint breuiter dicta. est alia egregia pars, quæ mihi uidetur id præstare ciuitati, quod oculus corpori, cui parti sua etiam oratio est assignanda. hi sunt iuris & legum periti, qui, cum oculorum gerant uices, meminerint, quod ait Dominus. [*lucerna corporis est oculus. si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.*] & sanè ita est. si uos officio fungi uestro syncerè uelitis, reliquum ciuitatis corpus summa pulchritudine conspicuum erit. à uobis enim in primis ciuiũ tranquillitas pendet, si eorum mentes tanquam marinis fluctibus sic perturbationibus agitatas moderari ac sedare curetis. ad uos enim solos in litibus & controuersijs quotidianis accurritur, tanquam ad portum quendam. date ergo operam, ut quod nautis portus efficit, idem uos clientulis uestris præstetis, ut scilicet lites eorum, quàm fieri potest pacatissimè

Mat. 5.

ibidem.

Matt. 6.
Luc. 11.

ſimè componatis, admoneatisque primum, ut amicè cum aduerſario rem tranſigant, ut cogitent ſumptus & pecunias, quæ litigando inutiliter inſumuntur. recordentur Dominicam eſſe ſententiam, ut qui litem habet, quærat beneuolus eſſe aduerſario, dum adhuc eſt in uia cum illo, & dum res integra eſt. meminerint homines omnes eſſe inter ſe membra. at membrorum in corpore natura eſt, ut ſemper mutuo ſe iuuent, nunquam uerò lædant. hæc & huius generis alia ſi adhibeatis conſilia, non admodum multæ lites excitabuntur, & excitatæ exiguo negocio ſedabuntur. & hæc quidem fient, ſi fuerit oculus purus ac ſimplex. ſi uerò fuerit malus, prò ſupreme Deus quantę offundentur tenebræ ciuitati, ut uerißimum ſit, quod dixit Dominus, [*etiam corpus tuum tenebroſum erit.*] & alibi. [*ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?*] ſi enim ij, qui ad hoc fuerunt inſtituti, ut lumen alijs præferant, inueniantur tenebricoſi, quàm ingentes erunt reliquæ ciuitatis tenebræ, quę per ſe eſt tenebricoſa, cum illi ipſi, à quibus fuerat illuminanda, maiores ac denſiores ei adijciunt tenebras? at hoc non faciunt ij, qui, cum illos cliens adit, petitque in agitanda aduerſus aliquem lite iuuari, animo per ſe ad litigandum inflammato faces addunt, augentque animos, docentque quibus artibus, quo iure quáue iniuria aduerſarium opprimant? neque aduertũt Chriſtiani hominis officium eſſe, ut non ſolum clientulo ſuo proſint, uerum etiam ut clientuli aduerſarium, ubi poſſunt, iuuent? quare diligenter cauendum eſt, quod ſubiecit Dominus. [*uide* (inquiens) *ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint,*] & danda opera, ut lucerna ſuper candelabrum poſita, [*luceat omnibus, qui in domo ſunt.*] iccirco enim accenditur, quemadmodum idem Dominus ait. [*nemo accendit lucernam & in abſcondito ponit, & neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, & lucet omnibus, qui in domo ſunt,*] quod ut ſtudioſius à uobis fiat, pauca uos admonebo, in quibus uideo ſępe peccari.

Mat.5. *Luc.11.* *Mat.6.* *ibidem.* *Luc.11.* *ibidem.* *Mat.5.* *Mat.5.* *Luc.11.*

Principio cauendum eſt, nequis ueſtrum cauſam, quam iniuſtam norit, accipiat defendendã, neque putet, ſe iccirco excuſari, quod non uincendi, ſed dilationis aut concordiæ gratia, ſiue ob ineunda aliqua pacta hoc faciat. conſtat enim eſſe hæc iniuſta. neque enim excuſatur, ſi, cum cauſa natura ſua iniqua ſit, uexat tamen aduerſarium, accepto aliquo iuſto capite, ut hoc prætextu cauſam

per se iustam impediat, aut proroget, aut interdum euertat. Ante uerò quàm causam tuendam recipiat, diligentissimè causæ merita perscrutetur, alioqui quicquid temere peccat, in illum recidit, damnorumque omnium, quæ sua temeritate in clientulum acciderunt, reus est. ut interea omittam, oscitanter quamlibet causam recipere, indicium esse hominum, qui nihil aliud quàm lucrum quærant. Neque minor est error, ubi suscepta causa est, quæ iusta principio putabatur, ubi primum agnita illius iniquitas est, uelle tamen prosequi. fit enim iniuria aduersario. quare deserenda est continuò causa, & monendi clientes, ut cedant liti, siue rebus suis caueant. ubi uerò certum est, iustam esse omnino causam, non negligat studere, & omnia scrutari, quæcunque ad tuendam causam pertinent, & opportuna adhibere remedia. quod nisi faciat, ignorantię excusatio apud Deum iudicem minimè illum tuebitur. prętereа, cum proposita causa est, quæ iniquitatem in se contineat, idque ignoret cliens, quem credendum est opinari se iustam fouere causam, peccant qui hoc tacent. nam hæc taciturnitas utrique & clienti & aduersario damno est, & dolum secum habet. Peccant item grauissimè, qui clientem docent proponere ac dicere falsa, atque uti dolis. postea uerò quàm opera uestra à uobis strenuè pręstita est, quãuis sit operarius dignus mercede sua, *Luc. 10.* non tamen exigere à clientulo debetis quicquam plus æquo. In ijs autem omnibus, quę commemorata à me sunt, sacrorum canonum periti declarant, piaculum & lætale crimen esse ei, qui in ipsis peccauerit. Video & aliud in plerisque uestri ordinis hominibus apprimè detestãdum. ubi enim quis in uestrum collegium est cooptatus, mox uidetur inimicitias aduersus alios suscipere, quo nihil excogitari perniciosius ciuitati posset. quis enim non uideat, si inter uos simultates sint, non posse lites rectè dissolui, dum illa æmulatio tenebras offundit animis uestris, ut æquum sæpe iudicetis, quod à mera inuidentia & odio proficiscitur? contra potius esset faciendum, ut hoc statueretur inter uos, ne ullæ unquam in ordine uestro contentiones intercederent. quo enim pacto aliorum sedare lites idonei eritis, si ipsi inter uos odia exerceatis? hoc itaque in primis est maximè necessarium, quod si stet, salus continuò erit ciuitati comparata. Cum enim lites omnes uestra opera & arte regantur, non dabitis operam, ut

nunc fit, ut ſcilicet cliens ueſter uictor exiſtat, nulla habita aduerſarij ratione uel damni uel utilitatis, ſed exiſtimabitis omnes ad uos pertinere. nam amicorum communia eſſe omnia uetus eſt prouerbium, atque in commune iura utriuſque partis tuebimini, tanquam communes omnium parentes. & quemadmodum nūc cum ita diuiſi eſtis, ueſtra culpa fit, ut nemo tam iniquam habeat cauſam, qui defenſorem non inueniat, ſi coniuncti animis fueritis, contra fiet, & non erit tam facilis omnium ad lites prouocatio. atque illud præcipuè obſeruabitis, ut refugiatis cauſam cuiuſquam etiam iuſtam tueri, quem cernitis odio tantum & opprimendi aduerſarij gratia commoueri. Cauendum etiam uobis eſt, ne legum ſententias inuertatis, & dum legis uerba tenetis, contra legis nitamini uoluntatem. ſcitis enim canonicas regulas decernere, hoc eſſe in legem committere. ab hoc errore illud ſecutum eſt mali, ut hæc ars tantæ alioquin & auctoritatis & dignitatis iam dudum malè audiat, dum omnes appetitionibus ſuis obſequentes ad ſuam uoluntatem leges trahunt, quod niſi fieret, non inuenirentur tam multi, qui cauſas iniquiſsimas detorta legum interpretatione tuerentur. ob hoc uitium iam inter Chriſtianos diſtinctio fit inter ius & conſcientiam, quaſi apud nos quicquam appellari legitimum poſsit, quod cum conſcientia omni ex parte nō conſentiat, ſed qui ſemel decreuerunt, & rem glorioſam opinantur, poſſe iniquam cauſam iuſtam facere, ij aſſequuntur, ut illis omnia ſint peruia. & ſanè ſi hos Iudæi patronos quærerent ad ſe defendendos, ne rei interfecti Chriſti haberentur, auderent locupletiſsimas rationes proferre in Iudæorum defenſionem, niſi forte metuerent, quod dixit de illis Chriſtus, cos ſcilicet nullam ſui peccati habere excuſationem, quamuis & hic nodum in ſcirpo (quod dicitur) quærerent. Et quando materiam hanc data opera aggreſsi ſumus tractare. libet alia quædam addere in quæ plerique omnes ueſtri ordinis delabuntur. Cum quis ueſtrum inuitare ad litigandum clientulum ſuum uult, quem nullum aliud ius habere ſciat, niſi quòd poſsidet, dicit, maximum eſſe commodum poſſeſsionis. itaque protelando litem ac ſubterfugiendo, uel pars, quæ petit, cogitur ſiue paupertate, ſiue aliqua alia cauſa litem differre, uel poſtulare concordiam, & quod ſibi iure debebatur, amittere. Ruſus cum omne iudicium conſtare tribus perſonis

Ioa. 15.

debeat,

debeat, iudice, actore, & reo, ubi actor in iudicio proponit actionem suam, petenda re aliqua coram iudice, exhibet se reus. qui quamuis certo sciat, quid sit respondendum, aduocati tamen consilio, ut prorogetur lis, postulat exemplū petitionis, terminumq; ad respondendum, interdum non una dilatione contentus, ut diutius prorogetur, quāuis leges ipsæ puniant eos, qui lites prorogant, mulcta imposita duarum auri librarum, & quicquid inde damni partibus aduenit. Eodem modo in termino illis dato ad excipiendum, faciunt exceptiones frustratorias, atque ita non iure sed fraudibus causas defendunt. sic cum faciendæ sunt responsiones, docent clientes (cuius rei tamen supra fecimus mentionem) falsa respondere, etiam adhibito iuramento, neque id in ciuilibus tantum, sed in criminalibus etiā causis. quod scelus quis satis detestetur? quid de ijs dicam, qui pro utraque parte consilium dant, & eos ad litigandum armant, deinde alterius partis secreta alteri detegunt? quid de ijs, qui dant operam, ut qui in carcere sunt, quos inuisi & iuuari Christus iubet, condemnentur, *Mat.25.* idque interdum ad necem? qui, cum concordiæ & pacis esse conciliatores debeant, seminant discordias? quid item, cum in defendendis atque agitandis causis paciscūtur cum clientulis de quota litis (ut ipsi uocant) eamque iam non ut aduocati, sed ut ij, ad quos res ipsa pertineat, tuentur, quibus lucri appetitus offundit tenebras, ut ueritatem, à qua auerterunt oculos, nequeant intueri? his uitijs atque peccatis fit, ut quæ facultas ad hominum tuendam salutem fuerat excogitata, ea ita inuersa sit, ut hac ætate nulla inueniatur hominibus pestilentior. qui ut intelligant, se ad pietatem exercendam fuisse in eo gradu constitutos, meminerint, cum initiantur, atque ad huius officij munus ab alijs sui ordinis uiris cooptantur, se iureiurando polliceri, ecclesiarum, uiduarum, pupillorum, cæterorumque miserabilium hominum gratis se patrocinia suscepturos. quod tamen à uobis non uideo fieri, atque utinam res in contrarium non cadat. Doleo uerò, atque etiam conqueror, quòd cum in hac ciuitate, summa cum pietate à senatu decernantur quotannis, qui seorsum id agant, tam frigidè tamen rem tractant, atque adeo nihil agunt potius, ut ignorem quo pacto conscientiæ satis facere possint suæ. Quid dicam de tabellionibus, qui, cum & ipsi multa peccent, unum duntaxat aut alterū de illis commemorabo. Constitutum iam olim à maioribus fuit,

qui has fraudes longè ante præuiderant, ut in scribendo paginæ singulę haberent certum numerum linearum, quibus certum etiam pretium decerneretur. ij uerò ut plus lucri faciant, minorem multo earundem linearum numerum faciunt, seruato tamen eodem pretio. in scripturarum item contractuumque rationibus nullum statuunt stipendij terminum, sed pro arbitrio exigunt ab ijs, qui illorum opera uti uolunt, præsertim ab externis, & ciuitati suæ tantam inurere notam non uerentur. In dictandis præterea & conficiendis uel instrumentis uel contractibus ob imperitiam multa peccant, ex quibus damna non leuia & nouæ litigandi occasiones oriuntur. ut interea sileam usurarios contractus, quos conficiunt, atque id se intelligere dissimulant. postremo cũ teneantur pauperum commodis gratis inseruire, uideo illos esse negligentissimos, & sanè cum in eiuscemodi rebus ego sępius uos ciues mei reprehenderim, doleo hos errores non corrigi. quod cum non fit, quid opus est mihi posthac uti eiusmodi increpationibus? utendum potius est Domini Dei uerbis, ubi per Esaiam

Esa. 1. dicit. [*super quo percutiam ultra uos addentes præuaricationes?*] cum enim & castigationes & reprehensiones unam ob causam adhibendæ sint, ut homines corrigantur, ubi correctionis spes nulla est, quid opus est inani hac mea defatigatione? incipite obsecro tandem aliquando expergisci, ut solatium aliquod tantorũ laborum ex uestris in uia Dei progressibus capiam. Et hæc quidem hodie satis sint, cætera quæ ad reliquam ciuitatem pertinent, cras exponemus. quare adestote frequentes, & mementote quod

Ioan. 8. huius orationis initio recitauimus à Domino dictum, eum, qui ex Deo sit, uerba Dei audire, sed auditus ille intelligendus est, qui ad cor & interiores animi affectus penetrat. ij autem sunt, de qui-

Luc. 8. bus alibi dicit idem Dominus, [*qui in corde honesto ac bono audientes, uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*] alioqui percipere hæc Diuina monita solis corporis auribus, & ubi hinc discesseritis, omnia obliuisci, qui fructus consequatur, agnoscere

ibidem. potestis in parabola seminãtis, in qua tres partes, quamuis semen acceperant, fuerunt infœcundæ. quod ne nobis accidat, excolamus terram cordis nostri, ut accepto cœlesti hoc semine, fructum reddat centies multiplicatum. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO DECIMASEPTIMA.

eiuſdem ſententiæ.

EA matrum natura eſt, ut cum filios nactæ ſunt, uel ſcabie uel immunda aliqua ſorde uitiatos, multò facilius exiguo dierum ſpatio illos mundent, quàm alij quiuis ſiue uiri ſiue mulieres longiori tempore, atque huius rei nulla eſt cauſa alia, quàm quòd non dedignantur matres humilia quæque obſequia, maternis uiſceribus ad id illas exſtimulãtibus, neque abhorrent, atque adeo potius delectantur, dum ad filiorum ſordida corporis loca manus admouent. in eundem modum epiſcopo eſt faciẽdum, quem omnium matrum ſuperare charitatem neceſſe eſt, ſi filios ſuos à uitiorum peccatorumq; ſordibus efficere bene purgatos uelit. non debet inquam epiſcopus recuſare, ad humillimũ quenque ſermonem ſeſe demittere, ubicunque res poſtulat, qui niſi ipſe ſe inclinet, erigere iacentes non ualebit. quare oportet me hodierna oratione omnes huius ciuitatis angulos perluſtrare, &, quod ait propheta, ſcrutari [*Ieruſalem in lucernis*,] & minima quæque, aut magna potius quidem, ſed quæ uos exigua plerunque exiſtimatis, examinare. hæc enim una mihi uidetur uia, qua uos à iugi ſcabie, quæ uos hactenus infecit, liberemini. Verum antequam ad magis ſingularia deſcendam, una adhuc reſtat pars non ignobilis in ciuitate numeranda, quę meritò tertium dignitatis locum ſortiri debet, & quæ, ſi egregiè fungi munere ſuo uellet, digna eſſet, cui primas daremus. ea uerò eſt, ſocietates illæ, quę paſſim fraternitates appellantur, cœtus uidelicet hominũ, qui aliquot iam annos accuratiorem quàm reliqua ciuitas, uiuendi rationem inter ſe inſtituerunt, ij ſi bona ſua agnoſcerent, plurimum & ſibi & toti ciuitati prodeſſent, idonei enim eſſent alios omnes ſecum trahere, ſed uideo illos factos remiſsiores, ut inter hos

Soph. 1.

hos ac reliquos ciueis nihil iam interſit,& ſolum penè nomen harum ſocietatum ſupereſſe. quare moneo ut inſtaurent collapſum tam egregium opus, & priores recipiant emendatos mores, crebriusque per annum exhomologeſi peccatorum, & euchariſtię myſterijs aſſueſcant. decernant, ut quicunque id recuſant agere, ab aliorum cętu arceantur, ubi ter ſui erroris fuerint admoniti, ne ouis una corrupta gregem totum maculet. eandem exerceant ſeueritatem, ſiquis eorum blaſphemus, ſcortator, uel alio crimine aliquo uitioſus fuerit deprehenſus. conentur certatim altera ſocietas pia æmulatione alteram ſuperare. hoc ſi fiat, breui tota ciuitas, horum exemplo prouocata, Chriſtianos recipiet mores. hac ergo compoſitā parte, ad reliquas ueniam. Video ciuitatem totā conſtare mercatoribus atque artibus. de ijs ergo generatim prius aliqua dicemus, atque illud in primis eſt obſeruandum, quod uereor ne maximam hominum partem in Geennam demergat, uehemens ſcilicet lucri ſtudium, nulla habita eorum ratione, quę eſſent in hac re cogitanda. primum enim negociatio & mercatura ob præcipuam illam cauſam exercenda eſt, ut ea quæ ad uictum & cultum ſunt neceſſaria, comparentur, & præterea ut eadem negociatio ciuibus & proximo cuique ſit utilitati. hoc propoſito ſcopo ſtudium omne adhibendum eſt, ut nequid iniuſtè fiat, neque cum alterius damno locupletari quis uelit, quicunque uerò ſine ulla uel neceſsitatis uel communis utilitatis cogitatione, finem ſibi duntaxat lucrum proponunt, & ſola pecuniæ ac parandarum facultatum cupiditate negociantur, ij ex eorum ſe futuros nume-
Mat. 21. ro ſciant, quos Dominus è templo eiecit, de quibus & Salomon
Pro. 18. ait. [*qui feſtinat ditari, non erit innocens.*] in horum genere ſunt, qui uilius emunt, ut uendant charius, idque cum reipublicæ detrimento, ij præſertim, qui totum, exempli gratia, granum aut totas merces emunt, ut poſt ſuo arbitrio pretium ſtatuant. cerno autem multos opinari, licere tempore meſsis granum, & uindemiæ tempore uinum emere, quod deinde charius uendant, & tamen pontificiæ leges hoc factum tanquam turpe lucrum condemnant. quantum uero crimen augent adiectæ tot fraudes, tot mendacia, tot ſuperuacua iuramenta, atque adeo interdum periuria, tot denique iniquę circunſtantiæ, ut quæ alioqui fuiſſent iuſta commercia, horum adiectione fiant iniquiſsima. Miſeros homines

mines, [*qui nesciunt aliud* (quemadmodum ait Salomon) *quàm facere malum*,] neque syncerum ullum lucrum sine maioris damni permixtione amare uidentur, cum possent summa cum & animi & corporis utilitate sua negocia exercere. sed nunquam uenit illis in mentem, quod ait Salomon. [*melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate*.] & sanè sapientissimè dictum. quid enim prosunt infinitæ diuitiæ, quæ cum iniustitia sint coactæ? [*quid prodest* (ait ipsa ueritas Christus) *homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur?* quare? *filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua*.] illud tempus in medijs uestris negociationibus esset ante oculos reuocandum, quo diuitiæ nihil uobis sunt profuturæ. [*non proderunt* (ait idem Salomon) *diuitiæ in die ultionis, iustitia autem liberabit à morte*.] qui etiam admiratus unde tam insatiabilis habendi ardor inuaderet homines, cum nullam aliam ob causam quàm uictus gratia laborare debeant homines, aiebat. [*omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur*.] si hoc per se iniquum est, certum non petere finem huic habendi appetitioni, quid non est uobis metuendum, cum in tam multos identidem uos laqueos induitis, ut semper corradere aliquid à proximo quoque conemini, & multò magis quid, quàm quo pacto sitis lucraturi, cogitetis? cuius rei exemplum aliquod, docendi uestri gratia proferam. mutuã pecuniam accipere aliquis à uobis uult; primum nunquam uenit uobis in mentem quod ait Dominus, [*mutuum date, nihil inde sperantes*,] perinde quasi leges Euangelicæ nihil ad uos omnino pertineant. deinde uidemini non usuram sed usuræ opinionem uelle deuitare, quod adeo sic cognoscite. cum enim mutuam pecuniam datis, uultis omnino fructum ex ea mutuatione capere, sed quia pecuniam pro pecunia accipere nimis apertum uitium est, illud uelatis, & uel pro pecunia oleum, exempli gratia, datis, quod is, qui mutuum accipit, uendat, deinde tantundem olei reddat, quoties uos postulaueritis, interea expectatis dum olei pretium augescat, & tum demum illud petitis. uel rursus si pecuniam datis, uultis ut non pecunia sed hordeum certò mense reddatur, quod si forte statuto die non fuerit redditum, augetur debitæ pecuniæ summa, siue ipsius hor-

Eccle. 4.
Pro. 16.
Mat. 16.
ibidem.
Pro. 11.
Eccl. 6.
Luc. 6.

dei, sicque paulatim in maximam summam debitum crescit, quod nihilo minus damnum hominibus affert, quàm ex usuræ, quæ recta ingrediuntur uia. At licet (inquies) cessantis lucri, uel emergentis damni habere rationem. fateor, sed duo plerunque in hoc peccatis. primum quòd sæpenumero lucrum falso dicitis cessare, cum pecuniam illam commodatis, quæ in arca iacebat ociosa, quare tunc iniustè lucrum ex mutuo petitis. præterea uestro uultis ut stetur arbitrio, ut scilicet tantò plus ultra sortem dent, quantum iudicatis uos potuisse lucrari. nam & hoc iniustum est. non enim totum lucrum speratum ex illa negociatione in pactum est deducendum, neque enim quod potuit esse, continuò etiam est. quare siquid interdum est dandum, ut cum re uera paratam & iamiam exponendam ad negociationem pecuniam præstet quis, ut amico subueniat, ex qua mutuatione damnum sit passus, tunc potest aliqua pars lucri cessantis statui, arbitrio tamen uiri boni, non proprio. ubi uerò quis pecuniam habet, quæ sibi per aliquod tempus sit inutilis, decernunt pontificij iuris periti lætale crimen esse, nisi egenti & petenti mutuam det, ut qui & naturæ & Christi legibus aduersetur. multò uerò sceleratius est, cum quis simulat se uendere aliquid egenti pecunia, & mox idem rursus emit minori pretio, perinde enim est, ac si pecuniam mutuaret sub usuris. Et hæc quidem in commune de negociationibus, nunc ad artes ueniamus. in quibus illud primum estis admonendi, eas artes, quorum usus ad peccatum ferè trahit, exerceri sine peccato non posse, ut sunt aleæ, taxilli, & quæ duntaxat ad pompam & curiositatem pertinent, à quibus artibus nisi ij, qui illas exercent, abstinuerint, reconciliari ecclesiæ non possunt. in artibus uerò, quę honestatem secum habent, primum cogitãdum

Gen. 3. est, dandam illis esse operam, ut Dei mandato pareatur, qui uult

Ephe. 4. ut in sudore uultus uescamur pane, & quod Paulus docet, [*operetur* (inquit) *manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*] quibus uerbis admonet, non minus ob utilitatem proximi, quàm suam ipsorum debere homines artes exercere. hoc iacto fundamento, ut præcipua exercendæ artis causa sit, uel sui exercendi gratia, ne ocio torpescat, uel ut acquirat, quo se suosq; alat, ac proximo etiam cuique prodesse posit, facilius cauebuntur ea, quæ uitiare artes solent, ut sunt fraudes, doli, mendacia, periuria,

periuria, quæ plurimum ex eo proficiscuntur, quòd homines unum sibi duntaxat proponunt scopum, ut scilicet quantas possunt maximas pecunias congregent. nam eiusmodi homines cum nullum sibi habendi finem statuant, infinita necesse est cupiditate laborent, quare contingit ut [crescentem (quemadmodú ait poëta) sequatur cura pecuniam, maiorumque fames,] quæ appetitio offundit animo tenebras, ut multa quotidie & prudens & imprudens peccet. hinc fit, ut raro seruetur fides, steturque conuentis. hinc mensurarum & ponderum inæqualitates, quod in lege & prophetis sæpe inuenitur reprehensum. hinc uitiandarum mercium innumeri modi excogitati. Sed operæ pretium erit, ad aliquas artes nominatim descendere, & ea præsertim commemorare, in quibus cerno uos temere peccare, atque interdum peccatum ipsum non intelligere. quis arbitratur, grauius esse uendere uinum aqua mixtum? & tamen tanti à Deo fit, ut, cum apud Esaiam ingentia populi scelera reprehendit, dignum iudicauerit & hoc inter illa numerare. dixit enim. [*caupones tui miscent uinum aqua.*] *Esa.* 1.
quantò autem maius est, magisque detestandum, cum ijdem caupones aliqua uino miscent, quibus quis inebrietur? cum meretrices paratas habent, quæ hospitibus proponantur? cum ludentes fouent? neque aduertunt, omnium peccatorum, quæ indè proficiscuntur esse se reos. aromatarij quoque homicidæ plerunque fiunt sua uel temeritate uel incuria, cum aut corrupta pharmaca dant, aut assignatum à medicis pondus accuratè non seruant. sic cum uenenosa aliqua passim uendunt sine delectu, neque intelligere ac peruestigare curant, si forte qui ea emunt, ijs sint usuri in perniciem aliquorum. Quid de sutoribus dicam, qui uestes impudicas tum uiris tum mulieribus conficiūt, è quibus maxima atque innumera peccata oriri solent? uestra culpa mulieres nuda pectora mamillasque, tanquam uenales carnes ostentant. uestra culpa uiri uirilis membri formam deformissimè circunferunt. ex quibus rebus quot & quàm fœda peccata generantur? sed non minus est hoc peccatum senatus, qui hæc ferat, quàm horum artificum. uidete enim uestrum caligarum usum, quæ ita pudendas corporis partes apertè tum anteriores tum posteriores referunt, ut penè honestius iudicari posit nudos agere, quod insaniæ ascriberetur, atque iccirco minus attenderetur;

quàm sanæ mentis homines tam insanè inter fœminas quotidie uersari cum apertissimis illis formis Priaporum (honor sit auribus) atque Ithyphallorum. quod tanto est ethnicorum insania impudentius, quòd eorum Priapi non omnibus sed secretis quibusdam in locis affigebantur. uos uerò has horum formas passim circumfertis. & sanè nisi uos defenderet numerus ac consuetudo, & pauci hoc uitio detinerentur, nullo negocio tantus error intelligeretur, & senatusconsulto decerneretur, ut omnes tam fœdæ rei parcerent, tamque pudendus abusus auferretur. nam quòd prohibeat consuetudo ipsa, quo minus uitium hoc agnoscatur, ex eo licet intelligere. fingite enim homines hactenus morem habuisse obtegendarum earum partium, ut olim habebant, & unus quispiam nunc primum uti eiusmodi caligis uellet, nullo modo hoc pateremini, tam fœdum spectaculum oculis mulierũ obuersari. cur non imitamur saltem naturæ uerecundiam, qua

Gen. 3. una duce parentes primi nostri, ubi primum se nudos agnouerunt, curarunt latioribus folijs eas parteis obtegere, quarum par-

1. Co. 12. tium figuram ita studiosè uos exprimere conamini? [*quæ putamus minus honesta esse corporis* (ait Paulus) *ijs uberiorem honorem apponimus*,] dum uidelicet curamus ea obtegere. is enim illorum est honor. & uos tantum abest, ut uelare studeatis, ut pro uiribus illa aperire conemini. sed redeamus ad hos sutores uestium. dicent fortasse consuetudinem excusare, quod nisi sit, sequeretur totum Christianum orbem Geennæ esse obnoxium. sed nihil his uerbis faciunt. primum enim non consuetudo hæc sed corruptela est appellanda, deinde multitudo peccantium non

Mat. 7. præstat errori patrocinium. meminerint etiam dixisse Dominum, paucos esse, qui arctam uiam ingrediantur, quæ ducit ad uitam, quare defensionem illam esse inanem, & omnium peccatorum, quæ passim ex hoc fiunt, culpam in hos etiam artifices recidere. Quid ergo (inquitis) est faciendum? recusate eiusmodi & uestium & caligarum abusum exercere. at ars (dicet aliquis) iacturam faciet. ecce infidelitatem, & paratum animum potius iniuria Deum afficere, quàm temporarij lucri iacturam ullam facere. quanquã non ita est, ut ueremini. sed si uobis esset curæ Diuinus honor, multò maiora in arte uestra lucra faceretis. neque enim fallere is

Luc. 12. potest, qui dixit. [*quærite primum regnum Dei & iustitiam eius*,

& hæc

& hæc omnia adijcientur uobis.] Et satis hæc quidem sint, artificibus dicta pro exemplo. sed quando hodierna oratione propositum est ea dicere, quæ passim à ciuitate temere peccantur, & plerunque ne peccata quidem esse intelliguntur, addendum est, quantum erretis in litibus, etiam cum à uobis ratio stat. neque enim satis est, uos iustam habere causam, sed oportet primum dare operam, ut ante quàm incatur lis, pacificè per uiros bonos res componatur. ubi uerò omnino ueniendum est ad lites, non hoc ex cupiditate & auaritia, aut pertinacia quadam & uincendi animo, aut opprimendi proximi studio est litigãdum; quod num à uobis fiat, uestras ipsi conscientias examinate. deinde non contentiosè, & cum uerborum uirulentia, quod uestræ ciuitati est proprium, neque tanquam cum inimico agatur, litigandum est. præterea non est utendum fraudibus, peruersè producendo, probando, prorogando, adiectis mille mendacijs ac dolis. postremò ne cum pusillorum scandalo fiat. cerno enim apud uos, fratrem in germanum fratrem hostili penè animo inuehi, atque adeo filios in parentes, & neque Deum neque homines reuereri. alij cum diuites ipsi sint, debitorem repetunt, qui fame conficitur, cui donare potius & alia debuissent, nec aliud meminerunt, quàm redde quod debes. neque uenit unquam illis in mentem Euangelicę parabolę, in qua seruus in conseruum crudelis acerrimè castigatur. hæc quę commemoraui, cum litigando exercentur, semper iniustè litigatis, quamuis alioqui iura à uobis stent. Quid dicam, quo pacto rusticos operarios, & quàm rusticè aut impiè potius tractetis, & onera illis grauia & non ferenda imponatis, quæ digito uos mouere dedignamini? perinde quasi ad uos non pertineant, aut inter homines non sint numerandi, neque ipsi æquè atque uos pretioso Domini nostri Iesu Christi sanguine sint redempti. nec saltem mouet uos uestra ipsorum utilitas, quam ex eis capitis, qui si defuerint, & uestris crudelissimis exactionibus & uexationibus eant perditum, quid uobis fiet? quam uitam agetis non uiuendam? quare agnoscite posthac eos uestros esse socios, & eorum commoda uestris etiam commodis inseruire. Cum uerò tot malorum, & tantæ rei Christianæ confusionis originem peruestigo, nullã inuenio aliam maiorem causam ac ueriorem, quàm quòd nullum educandis uestris liberis

Mat. 18.

studium

ſtudium adhibetis, & ad Euangelicam philoſophiam inſtruendis. cuius rei ex uobis ipſis capite coniecturam. ſi enim uos, qui nunc uiri eſtis, edocti fuiſſetis à parentibus ueſtris uiam pietatis, fugere auaritiam, cauere lites, pati iniuriam potius quàm inferre, nihil eſſe homini pernicioſius quàm peccatum. temporaria damna plurimi non eſſe facienda, uitam hanc ſomnio eſſe perſimilem, nos ad regnum eſſe factos, idque ſempiternum. ſi hæc inquam & huius generis alia uos parentes ueſtri docuiſſent, non eſſent in ciuitate mala quæ cõmemorauimus, quæ ſi tollenda ſunt, neceſſe eſt, ut nouo educationis modo erga liberos ueſtros utamini. cernitis enim eos ab infantia uitia ueſtra imitari. uix formare uerba ſciunt, & execrationes iam atque blaſphemias proferunt. unde iſta acceperunt? nimirum à uobis parentibus. eodem modo cætera hauriunt peccata, quæ ſi non cernerent in uobis, ne ſomniare illa quidem poſſent. à uobis diſcunt auaritiam, fraudes, mendacia, lites, & contentiones, & ſimultates exercere. date ergo operam primum ut ueſtris rectè factis, deinde ut monitis & caſtigationibus etiam, rectam Chriſtianę uitę rationem intelligant. hæc enim una, ut diximus, uia eſt, breui habendæ Chriſtianæ ciuitatis. quod utinam aſſequi mereamur, iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMAOCTAVA:
de fructu orandi.

POSTEA quàm superioribus orationibus post traditam agendę pœnitentiæ rationem, admonuimus unumquenque officij sui, & uos tanquam sermone purgauimus, age aliud purgandis animis efficacissimum remedium adhibeamus, ut scilicet ad publicas precationes Deo exhibendas præparemur. quæ cum eleemosynis coniunctæ, quas cum in publica oblatione superioribus diebus fecistis, tum priuatim quotidie facitis, tanquam geminæ alę uestra hæc solennia ieiunia in cœlum usque ad Dei sedem perferant. Cras ergo & duobus alijs deinceps diebus, quemadmodum superiore Dominico die admonuimus, solennes proces hic ita in templo fient, ut prima diei hora clero assignetur, reliquæ usque ad occidentem solem uobis assignabuntur, atque ea ratione, ut pro diuisione partium ciuitatis, uicissim altera hora uiris, altera mulieribus tribuatur. atque ut ne nox quidem hoc precandi officio careat, nocturnas quoque horas distribuimus cœnobijs & uirorum & fœminarum, ut intra sui monasterii septa (nam uagari noctu per ciuitatem malè tutum est) preces suas assignatis sibi horis Deo offerant. Vt autem egregium hoc opus maiore cum animi attentione fiat, optimum esse iudicaui & maximè opportunum, tanta de re hodie uerba facere, & quantum & utilis & necessaria sit, adde & propria hominum generi, quàm potero breuissimè declarare. Et primum quidem cum uenit mihi in mentem, quid primis illis nascentis ecclesiæ temporibus ijs præciperetur, qui nuper à simulacris discesserant, & recens ad Christianæ ueritatis agnitionem fuerant introducti, miseret me tam abiectæ uitæ nostræ, qui cum hanc ueritatem cum lacte nutricis hauserimus, atque iccirco multò illis præstantiores esse deberemus, longo interuallo sumus inferiores. uidete enim, quid eis præciperetur

1.Thes.5. tur à Paulo. [*sine intermissione* (inquit) *orate*.] & alibi. [*nihil*
Phil.4. *soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum*.] volebat, vt abiecta omni cuiuslibet alterius rei solicitudine orationibus & obsecrationibus toti incumberent. nunc verò tantæ rei virtus penè ab omnibus ignoratur. & tamen ea est, cuius usus in omnibus hominum necessitatibus est apprime necessarius, præsertim ad huius vitæ tranquillitatem comparandam, ob hanc causam admonebat
1.Tim.2. Timotheum, [*ante omnia*, inquiens, *fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam & quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate*.] sed quando opportunè hęc apostoli uerba citauimus, libet ab ijs facere dicendi exordium. Precationis, siue malimus (neque enim uocabula, quibus ecclesia vtitur, sunt auersanda) orationis nomen, per quod intelligitur quædam erectio mentis in Deum; generalior vox est, quæ plures habet parteis, quas hic apostolus posuit, atque vt eas apertius intelligamus, verba ipsa Græca, quæ Paulus posuit, apponemus, addemusque ipsam Græcorum interpretationem. est ergo δέησις, hoc est, deprecatio, cum precamur liberari à malis. προσευχὴ obsecratio, cum petimus bona, ἔντευξις interpellatio, cum de ijs querimur, qui nos iniuria afficiunt, ut est illud in actis apo-
Act.4. stolorum. [*& nunc Domine aspice in minas eorum*.] quod ne quis putaret dictum propterea, quòd ultionem exposcerent, adiecerũt,
ibidem. [*& da seruis tuis, cum fiducia loqui uerbum tuum*.] postremo loco positum est, εὐχαριστία, hoc est, gratiarum actio, cum scilicet nõ pro nostris solum, uerum etiam pro bonis proximi cuiusque gratias agimus, de qua gratiarum actione fortasse suam illi assignabimus concionem, nunc generatim de oratione tractemus. Hæc tantò
Ps. 146. nobis esse familiarior deberet, quòd hominis propria est. nam etsi
Ps. 103. legimus pullos coruorum esurientes inuocare Deum, & catulos leonum quęrere à Deo escam sibi, figurata locutio est, qua significatur omnia animalia habere à Deo unde nutriantur, quemadmo
Ps. 103. dũ & illud, [*omnia à te expectant, & tu das illis escam in tempore*.] propria ergo est hominis, illumq; per eius usum non solum in angelorum societatem trahit, sed ultra etiam angelos usque ad Dei sedem euehit. hanc uelut rem pretiosissimam atque honorificentissimam

tiſsimam ab hominibus emiſſam ipſi angeli offerre Deo non dedi gnantur. ecce enim quid Raphaël ille unus ex ſeptem, qui aſtant Deo, dicat Tobiæ. [*quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*] *Tob. 12.* quin & oratio ipſa per ſe audet ante Dei conſpectum apparere. iccirco aiebat propheta. [*dirigatur oratio mea ſicut thus in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum.*] *Eſa. 140* noſtis quàm delectare uehementer ſoleat odoris fragrantia, ob hanc cauſam incenſo thuri orationem comparat, quam etiam eam vult habere uim, quam habent ſacrificia. atqui Deus ipſe alibi gratiorem illá ſibi eſſe teſtatur, quàm ipſa ſacrificia. ſic enim per eundem prophetam ait. [*non in ſacrificijs tuis arguam te. holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos.*] *Pſal. 49.* & poſt rem diligenter tractatam adiecit. [*immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo uota tua.*] *ibidem.* Quicunque hoc orandi dono præditi ſunt, ingenti priuilegio ſunt donati. ſimiles enim ijs ſunt, quos reges ita familiares habent, ut eorum ingreſſus ad eoſdem reges nunquam prohibeatur. quod ſummi honoris loco cenſetur, & quibus hoc permittitur, ij inter omnes beatiſsimi exiſtimantur. at uerò per hanc orationem in auctoris omnium Dei familiaritatem uenire, quantæ dignitatis eſſe iudicandum eſt? Sed mouere fortaſſe quempiam ueſtrum poſſet hæc cogitatio. cum Deus optimus ſit, & noſtri amantior, quàm illi ipſi, qui nos carne genuerunt, ſciatque prius quàm quicquam petamus, quid nobis opus ſit, cur expectat, dum poſtulemus? qua in re ſciendum eſt, precationes noſtras non iccirco adhiberi, ut ad eas flectatur Deus, & inclinetur ad nos, qui paratiſsimus eſt ad nobis benignè faciendum, ac ſemper ultro ſe offert. ſed [eſt oratio, (quemadmodum ante nos uiri præſtantiſsimi dixerunt) ueluti aurea catena è cœlo in terram demiſſa, per quam qui aſcendere uelit, uidetur quidem catenam ad ſe trahere, re autem uera trahitur ipſe ab illa in cœlum.] non ergo neceſſaria oratio eſt ad permouendum Deum, ſed ad nos illius donis ſuſcipiendis præparandos. eſt enim Deus ueluti ſol, qui ſe conſpicuum omnibus præbet, & lucis ſuæ radios caloriſque uirtutem uolentibus omnibus præfert, tantum qui ea uolunt, accedere non recuſent. quòd ſiqui abdunt ſe tene-

bris, ne solem intueantur, illorum est culpa non solis. simillimè ac multò etiam magis Deus natura beneficentissimus, nihil plus amat, quàm sua nobis dona impertiri, & quoties id non assequimur, nostro uitio non assequimur. neque enim ęquum est, ut cœlestia dona hominibus cœlum auersantibus tribuantur. Huius uirtutis quantus sit usus, Seruator ipse omnium uirtutum exem-
Phili. 2. plar absolutissimum, indicauit, qui, cum in forma Dei esset, neque, uti nos, huiuscemodi precationibus egeret, eam tamen exer
Luc. 6. cuit, [*& erat* (inquit) *pernoctans in oratione.*] quæ orandi consuetudo inuitauit discipulos, ut peterent doceri, quo pacto esset
Luc. 11. orandum. sic enim scribit Lucas. [*factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare.*] tantum uerò magistrum imitati discipuli, hanc omnium factorum suorum ducem habuerunt. atque ubi primum sublatus in cœlum est Dominus, recipientes se in cœna-
Act. 1. culum, [*erant* (inquit) *perseuerantes unanimiter in oratione & obsecratione.*] hac muniti omnia conficiebant, hac ad omnia utebantur, siue electio aliqua facienda esset, siue ingrueret afflictio.
Act. 12. [*oratio* (inquit) *fiebat sine intermissione ab ecclesia pro eo.*] nempe Petro, cum in carcere detineretur. in omni rerum statu, in necessitatibus omnibus, in tentationibus, in periculis, singulare sanctorum perfugium est oratio. iccirco aiebat discipulis Dominus.
Mat. 26. [*uigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*] Quòd si prætereа
Luc. 22. cogitemus eius fructum, & quo pacto omnia conficiat, quæ hu-
Mar. 14. mana uis assequi non potest, multò illi magis erimus familiares.
Iac. 5. [*multum ualet* (ait beatus Iacobus) *oratio iusti efficax.*] & conti-
Ibidem. nuò Eliæ exemplum ante oculos ponit. [*Elias* (inquit) *homo erat, æquè ut nos, affectibus obnoxius, & oratione orauit, ne plueret, & non pluit super terram annos tres & menses sex. & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum.*] Vide quanti Deus faciat orantis hominis uocem. minatus erat Elias, non futuram pluuiam neque rorem, nisi iuxta uerba oris sui, & hanc uocem tanquam reueritus Deus, cum danda esset pluuia, dixit Eliæ.
3. *Re.* 18. [*uade & ostende te Achab, ut dem pluuiam super faciem terræ.*] perinde quasi non auderet Deus pluuiam immittere, nisi id seruaretur, quod Elias fuerat interminatus. Oratio sterilem Rebeccam
Gen. 25. fœcundam fecit. [*precatus est* (inquit) *Isaac Dominum pro uxore*

sua,

sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.] oratio donauit Annę Samuelem, insignem illum & fidelem Domino. [*cum esset* (inquit) *Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter.*] cum uidelicet postularet, ut daretur sibi uis concipiendi. hęc plura interdum assequitur quàm postulet. cum enim Zacharias pro salute Israëlis oraret, dixit ei angelus Gabriel. [*exaudita est oratio tua.*] & mox adiecit, quod non postulauerat. [*& Elisabet* (inquit) *uxor tua pariet tibi filium.*] at quem filium? quo [*maior non surrexit inter natos mulierum.*] hæc ueluti indiuiduus sanctorum est comes, sine qua uiuere longè rem morte existimant grauiorem. intuere enim Danielem, qui quamuis sciret fraudem, quam moliti erant aduersus illum satrapæ, si intra certum dierum numerum orare Deum fuisset deprehensus, non potuit tamen abstinere, [*sed ingressus* (inquit) *domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.*] quare & leones, quibus fuerat expositus, illum reueriti posita feritate illius uitam seruauerunt. Quòd si rursus cogites, quàm sit paratus Deus ad impertienda sua munera postulantibus, multò eris ad orandum frequentior. inuitat enim ad petendum, hortatur, ut non opportunè solum sed importunè etiam postulemus, proposita similitudine illius, qui intempesta nocte ad amici domum profectus, ut tres panes peteret, pulsandi importunitate uoti compos factus sit. addit, parentum exemplum, qui postulantibus filijs panem, piscem, ouum, non dant lapidem pro pane, neque serpentem pro pisce, neque pro ouo scorpium. & mox concludit. [*si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris, quantò magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se?*] & alibi. [*dicebat* (inquit) *& parabolam ad illos, huc spectantem, quòd oporteret semper orare, nec defatigari, dicens. iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur. uidua autem quædam erat in ciuitate, & ueniebat ad eum dicens. uindica me de aduersario meo. & nolebat aliquandiu. post hæc autem dixit intra se. quamuis Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne tandem ueniens sugillet me.*] & mox. [*audite* (inquit) *quid iudex iniquus dicat. Deus ibidem.*

1.Reg.1. Luc.1. Dan.6. Luc.11. Luc.11. Luc.18.

autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?] Orandum ergo & petendum est, sed multi dum non assequuntur quæ petunt, diffidunt plerunque, putantque se à Deo non audiri. uerum ipsi sæpe in causa sunt, cur non exaudiantur. ad quos beatus Iacobus
Iac. 4. ait. [*petitis & non accipitis eò quòd male petatis.*] tunc uerò pars beneficij est, si negetur quod petitur. nam multa interdum optamus, quæ si darentur, essent nobis perniciosissima. ob hanc causam
Eccl. 4. sam admonebat sapientissimus ille Salomon dicens. [*custodi pedem*
Eccl. 5. *dem tuum ingrediens domum Dei.*] & paulò post. [*ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit uelox ad proferendum sermonem coram Deo.*] & sanè turpe esset, Christianos homines in tanta ueritatis luce ab ethnicis superari. nam de Lacedæmonijs scribit Plato, solere eos orantes petere, pulchra & bona sibi dari, nec plura illos precari quenquam audiuisse. & sapienter illi quidem, quandoquidem ignorationis tenebris circunfusi homines, si optio illis detur, perniciosa potius quàm utilia postulare consueuerunt. quòd si postulantibus filijs Zebedæi, ut unus ad dexteram, alter ad sini-
Mat. 20. stram Christi sederet in illius regno, ipse respondit, [*nescitis quid petatis*,] quid in rebus humanis petere audebimus, quod utilitati nobis futurum sperare possimus? quid enim? poscis opes, dignitates, honores? at hæc quo nobis copiosius subministrantur, eò & maiores turbas excitant, & periculis obijciunt grauioribus. optas liberos? at ij sæpissimè in causa sunt, cur parentes uitā hanc oderint, & mortem habeant chariorem. optas sanitatem? quid si utilius sit, ac saluti tuæ animæ magis expediat ægrotare? ipse enim fecit te, eique tua salus est curæ, & nouit, quo pacto cuique utile sit, siue sanum esse siue imbecillum. pete ergo quod orandi magi-
Mat. 6. ster te docuit, nempe regnum; [*quærite* (inquit) *primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.*] cernis ut præter regnum cętera omnia sint additamenta, quę nobis etiam non petentibus dabuntur? regnum ergo pete, & omnia cum illo habebis. atque hoc est in nomine eius petere. quod cū facimus,
Ioan. 14. pollicetur se auditurum. [*quicquid in nomine* (inquit) *meo petie-*
Ioan. 16. *ritis, hoc faciam.*] & rursum. [*petite & accipetis ut gaudium ue-*
1. *Ioan.* 5 *strum sit plenum.*] & beatus Ioannes. [*hæc est* (inquit) *fiducia, quam habemus apud eum, quod si quid petierimus secundum uoluntatem*

tem eius, audit nos.] est enim rex noster maximè studiosus dignitatis, & indignatur, siquis eum rem petat exiguam, siquis nostrũ ab eo postulet, quæ nequaquam sunt nobis consentanea. noli ergo in prece tua indignationem tibi ipsi arcessere, sed pete ea tibi, quæ digna sint rege Deo, quo facto ne deficias, quousque assequa re, memor exempli dudum ex Euangelio recitati. docet enim ibi nos Dominus, ut constantes in fide simus, & tanquam contentiosi. exemplum enim accipit ab homine erga hominem, ut discas nunquam desperare, & cum petieris nec acceperis, ne despondeas animum, neque cesses quousque accipias, sic tamen, quemadmodum ante dixi, si ea, quæ uelit Deus, petas. neque dicas peccator sum, & non audiar, etenim ut non desperes, propterea dixit, etiam si, quia amicus eius sit, non dabit ei, certè ob improbitatem eius dabit ei quantum necesse habet. Deinceps si etiam mensis prætereat, si annus, si tres anni, aut quatuor, aut plura annorum tempora, ne recedas, dum accipias, sed cum fide petito, semper te in rectè factis exercens. sępenumero enim aliquis ex nobis in adolescentia temperantiam aggressus est, deinde successit uoluptas, commotæ sunt naturales concupiscentię, infirmę factæ sunt preces, additum est adolescentię uinum, perijt temperantia, & factus est homo alius pro alio. itaque fiunt mutationes rerumque uicissitudines, dum generosa rationis agitatione non obsistitur affectibus, ut tum à seipso omnia quæcunque possit, quisque afferat. tum clamet ad Deum, & ei in pugna opituletur. etenim siquis ob torporem atque inertiam se dedat concupiscentijs, seque ipsum prodat hostibus, huic Deus non affert opem, neque exaudit, præuenit enim ipse per peccatum, ut alienũ se à Deo faceret. nam qui vult auxilium sibi à Deo adhiberi, decorum non prodit. qui decorum non prodit, nunquam à Diuino patrocinio proditur. Oportet itaque nulla in re à propria conscientia reprehendi, atque ita Diuinam opem inuocare, idque non inerter, non suspenso & huc illucque diffuso animo. is enim non solum non accipiet quod petit, uerum etiam magis irritat Dominum. nam si is, qui coram principe stat, eumque alloquitur, multo cum timore stat, non leuem aut uagum tenens & exteriorem & interiorem animi aspectum, nequando periculum ei creetur, quantò magis coram Deo stare oportet cum timore & tremore, totamque mentem

Luc. 11.

ibidem.

tem intentam habere in eum ſolum & nuſquam alibi propterea, quòd ipſe non ſolum exteriorem hominem aſpicit, quemadmodum homines, uerum etiam interiorem intuetur? itaque ſi ſic, ut oportet, ſteteris coram Deo, & ex te, quæcunque poteris, omnia attuleris, ne deficias, quouſque rem à te poſtulatam accipias. Quòd ſi reprehenderis à conſcientia tua, tanquam qui neglexeris atque deſpexeris, leuiſque ad preces ſteteris, cum ſtare poſſes grauis atque compoſitus, ne audeas coram Deo ſtare, ne fiat precatio tua in peccatum. ſin imbecillis factus ob peccatum non potes non diſtracto animo precari, conare pro uiribus & perſeuera coram Deo aſtans, mentemque ei affixam tenens, teque ad teipſum colligens. tunc enim Deus ueniam dat, quoniam non ex contemptu ſed ex imbecillitate non uales, ut opus eſſet, ſtare coram Deo. ſi hoc pacto uim tibi attuleris ad quoduis opus bonū, ne deſiſtas, donec accipias quod petis, ſed longanimiter ianuam

Luc. 11. eius pulſa, & pete petitionem tuam. [*omnis enim* (inquit) *quicunque petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.*] &

Iudi. 7. hæc quidem trecentis meis ſint dicta, nam reliquæ multitudini non facile iſta ſunt peruia, quæ intelligere uim orandi minimè ſolet. Sed quod de longanimitate diximus, uis noſſe, quàm longanimes eſſent ſancti, neque quicquam deſperarent? uocauit Deus Abraham adhuc iuuenem, & ex Aſſyriorum terra tranſtulit in

Gen. 12. Palæſtinam, dicens ei, [*tibi dabo terram hanc, & ſemini tuo poſt te*

Gen. 15. *& ſicut ſtellæ cœli, ſic erit ſemen tuum, quod non numerabitur.*] præterijtque multus annorum numerus, & mortua quidem erat eius natura, in foribus autem finis, & tamen non ait. Domine ſemper mihi liberos polliceris, & patrem me futurum omnium gentium prædicas. mortui mihi ſunt ex ſenectute naturæ motus, & Sara uxor mea iam non fert muliebria ob ſenectam. quocirca mendax eſt promiſsio. nam duo ſenes quam habent ſpem? non hoc dixit, non cogitauit, ſed permanſit nihil fluctuans fide, & ætate quidem ſeneſcebat, ſpes uerò iuueneſcere uidebatur, & corpus quidem ad imbecillitatem accedebat, & deſperationem ingenerabat, ſed fides neruos & animæ & corpori afferebat. Deus (inquit) eſt, qui promiſit, Dominus naturæ, & aliter fieri poſsibile non eſt. ipſe eſt, qui ea etiam, quæ poſsibilia non ſunt, facit poſsibilia. iccirco facit & mutat omnia ut uult. Imitare fidem

Abrahæ,

Abrahæ, ubi cum imbecilla facta natura fuit, eiusque motus mortui, tunc reuixit pollicitatio Dei. admitte hæc exempla. nos uerò cum annum precati sumus, recedimus, paucos dies ieiunamus, mox cessamus. itaque ne simus inconstantes ad promissiones Dei. etenim qui Abrahæ pollicitus est, se multiplicaturum semen illius, pollicitus & nobis est, se petentibus daturum quæ petierimus. & rursus. [*uenite omnes ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego recreabo uos.*] is nempe cum tu longe ab eo esses, te miseratus & laborantem & oneratum grauissimo onere peccati accersiuit, ut te hoc pondere leuaret, ac requiem deinceps largiretur; & tu ei fidem non habes? & fortasse ob eam causam differt reddere, ut erudiaris assiduus esse ad illum rogandum, intelligasque, quid sit donum Dei, & datum cum timore serues. quicquid enim cum labore quis adeptus est, studet illud seruare, ne, si id amittat, & multi laboris sui iacturam faciat, & gratiam Dei spernens, æterna uita indignus efficiatur. quid enim profuit Salomoni accepisse gratiã sapientiæ & eam amisisse? ne itaque pusillanimis fias, si non ocyus assequare quod petis. nam si intelligeret bonus Dominus, quòd citò gratiam accipiens, non esses illam amissurus, paratus esset ante etiam præbere quàm peteres. nunc autem ob tui curam id agit. nam si is, qui talentum accepit, quique integrũ illud seruauit, ob eam causam condemnatus est, quòd non esset in eo negociatus, quantò magis condemnabitur is, qui illud amiserit? nos igitur hęc intelligentes, siue ocyus siue serius accipiamus, gratias Domino agentes perseueremus, quandoquidem omnia quæcunque facit Dominus, pro salute nostra facit. tantum nos caueamus, ne ob pusillanimitatem finem petendi faciamus. hanc enim ob causam parabolam Dominus dixit illius uiduæ, quę ob suam perseuerantem constantiam iniquum iudicem flexit, ut & nos perstando accipiamus quę petimus. nam hinc & fides nostra & dilectio in Deum declaratur, quando etiam cum non celeriter accipimus, in gratiarum actione perseueramus. Et hæc quidem de orandi perseuerantia sit satis. restat ut paucis uerbis doceamus, quid in hac solenni horum trium dierum precatione sit petendum. fuerunt enim ex uobis, qui hoc à me postularent. in primis ergo precandum est, quod audiuimus à Paulo, [*pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam et quietam uitam*

Gen. 22. *Luc.* 11. *Mat.* 11. *Mat.* 25. *Luc.* 18. 1. *Tim.* 2.

tam degamus cum omni pietate & honestate.] ubi obserua non optandam esse placidam & quietam uitá aliam ob causam, quàm ut liceat aptius pietati & Diuinis rebus operam dare. nam qui huius uitæ tranquillitate, quod plerique omnes faciunt, abutuntur ad luxum atque lasciuiam, ijs expedit tempora esse turbulenti. deinde precandum est, pro uestra ciuium inter uos pace atque concordia, ut dentur uobis meliores animi, & magis Christianū
Rom. 15. pectus, ut sublatis odijs & simultatibus omnibus, [*unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.*] pro temporarijs uerò rebus ac commodis ne admodum sitis anxij, &
Iudit. 8. satis est generatim petere, ut Deus faciat uobiscum secundum misericordiam suam. quòd si libet frugum fructuumque ubertatem postulare, id non uestra sed pauperum gratia est faciendum, ne egestate atque inopia conficiantur. ut uerò hoc solennium precum sacrificium suos omneis numeros habeat, siquis uestrum inimicum habet, summo studio atque intimis affectibus pro eo precetur, ut illum Deus & temporarijs & æternis bonis ditet. hæc enim precatio erit efficacissima ad efficiendum, ut quicquid ipsi pro uobismet ipsis postulatis, liberalissimè à Deo uobis præstetur. postremo & pro episcopo uestro accuratius etiam, quàm reliquo alio tempore orandum à uobis est, ut Deus mihi eas uires suppeditet, quibus tantum officij munus queam sustinere. ut demum pastor cum suo grege ad felicissima illa atque æterna pascua deducatur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO DECIMANONA, de gratiarum actione.

MEMINI me superiore oratione, cum de gratiarum actione obiter facta mentio fuit, iudicauisse rem esse dignam, cui iusta oratio assignaretur, cum ut agnoscamus quàm sit fidelibus necessaria, tum ut multorum error reprehendatur, qui in ijs rebus, pro quibus ingentes Deo agere gratias deberent, tantum abest, ut grati sint, ut etiam grauiter interdum conquerantur. non enim recordantur, quod admonet Paulus, cum ait, [*in omnibus gratias agite.*] Et profectò nihil tam decet hominem, 1.*The.*5
qui incomprehensam Dei erga nos benignitatem intelligat, quàm gratiarum actio. rursus nihil magis ignoratur. nam homines ferè uel nullas agunt gratias, uel malè agunt, quos in Zacharia propheta reprehensos reperies, qui cum studerent auaritiæ, ubi lucrati quid erant, dicebant. [*benedictus Dominus, diuites facti sumus.*] *Zac.*11.
quę verba non ex grati animi & coniuncti Deo significatione proficiscebantur, cum ex iniquitate lucrarentur, sed lætabantur duntaxat, quòd diuites essent facti. sic pharisæus ille, [*gratias* (inquit) *Luc.*18.
tibi ago, quamobrem? *quòd non sum sicut cæteri homines.*] non erat illi animus gratias agere, sed gratiarum actionem simulauit, ut gloriandi & sua facta iactandi acciperet occasionem. qui mos frequentissimus inter uos est, neque id aduertitis, qui si ex animo ageretis gratias, factis ipsis non verbis solum, gratitudinem hanc vestram declararetis. quare vt sitis posthac ad hoc opus instructiores, libet pulchram cuiusdam viri sancti, quam olim me legisse memini, gratiarum actionem commemorare, quam cupio uos omneis mandare memorię, sic enim aiebat. [Gratias tibi agimus Domine pro omnibus beneficijs tuis, quæ à primo die usque ad hunc in nos indignos contulisti, pro ijs, quæ nouimus & quæ ignoramus, pro manifestis & occultis, quæ facto & quæ sermone, quæ uolentibus & quæ inuitis data, pro omnibus inquam, quæ in nos indignos collata sunt, pro afflictionibus & pro libera-

Y tione

ſtudium adhibetis, & ad Euangelicam philoſophiam inſtruendis. cuius rei ex uobis ipſis capite coniecturam. ſi enim uos, qui nunc uiri eſtis, edocti fuiſſetis à parentibus ueſtris uiam pietatis, fugere auaritiam, cauere lites, pati iniuriam potius quàm inferre, nihil eſſe homini pernicioſius quàm peccatum. temporaria damna plurimi non eſſe facienda, uitam hanc ſomnio eſſe perſimilem, nos ad regnum eſſe factos, idque ſempiternum. ſi hæc inquam & huius generis alia uos parentes ueſtri docuiſſent, non eſſent in ciuitate mala quæ cõmemorauimus, quæ ſi tollenda ſunt, neceſſe eſt, ut nouo educationis modo erga liberos ueſtros utamini. cernitis enim eos ab infantia uitia ueſtra imitari. uix formare uerba ſciunt, & execrationes iam atque blaſphemias proferunt. unde iſta acceperunt? nimirum à uobis parentibus. eodem modo cætera hauriunt peccata, quæ ſi non cernerent in uobis, ne ſomniare illa quidem poſſent. à uobis diſcunt auaritiam, fraudes, mendacia, lites, & contentiones, & ſimultates exercere. date ergo operam primum ut ueſtris rectè factis, deinde ut monitis & caſtigationibus etiam, rectam Chriſtianę uitę rationem intelligant. hæc enim una, ut diximus, uia eſt, breui habendæ Chriſtianæ ciuitatis. quod utinam aſſequi mereamur, iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO DECIMAOCTAVA,
de fructu orandi.

POSTEA quàm superioribus orationibus post traditam agendę pœnitentiæ rationem, admonuimus unumquenque officij sui, & uos tanquam sermone purgauimus, age aliud purgandis animis efficacissimum remedium adhibeamus, ut scilicet ad publicas precationes Deo exhibendas præparemur. quæ cum eleemosynis coniunctæ, quas cum in publica oblatione superioribus diebus fecistis, tum priuatim quotidie facitis, tanquam geminæ alę uestra hæc solennia ieiunia in cœlum usque ad Dei sedem perferant. Cras ergo & duobus alijs deinceps diebus, quemadmodum superiore Dominico die admonuimus, solennes preces hic ita in templo fient, ut prima diei hora clero assignetur, reliquæ usque ad occidentem solem uobis assignabuntur, atque ea ratione, ut pro diuisione partium ciuitatis, uicissim altera hora uiris, altera mulieribus tribuatur. atque ut ne nox quidem hoc precandi officio careat, nocturnas quoque horas distribuimus cœnobijs & uirorum & fœminarum, ut intra sui monasterii septa (nam vagari noctu per ciuitatem malè tutum est) preces suas assignatis sibi horis Deo offerant. Vt autem egregium hoc opus maiore cum animi attentione fiat, optimum esse iudicaui & maximè opportunum, tanta de re hodie uerba facere, & quantum & utilis & necessaria sit, adde & propria hominum generi, quàm potero breuissimè declarare. Et primum quidem cum uenit mihi in mentem, quid primis illis nascentis ecclesiæ temporibus ijs præciperetur, qui nuper à simulacris discessent, & recens ad Christianæ ueritatis agnitionem fuerant introducti, miseret me tam abiectæ uitæ nostræ, qui cum hanc ueritatem cum lacte nutricis hauserimus, atque iccirco multò illis præstantiores esse deberemus, longo interuallo sumus inferiores. videte enim, quid eis præciperetur

tur

1.The.5. tur à Paulo. [*sine intermissione* (inquit) *orate.*] & alibi. [*nihil*
Phil.4. *soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.*] volebat, vt abiecta omni cuiuslibet alterius rei solicitudine orationibus & obsecrationibus toti incumberent. nunc verò tantæ rei virtus penè ab omnibus ignoratur. & tamen ea est, cuius usus in omnibus hominum necessitatibus est apprime necessarius, præsertim ad huius vitæ tranquillitatem comparandam, ob hanc causam admonebat
1.Tim.2. Timotheum, [*ante omnia*, inquiens, *fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam & quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate.*] sed quando opportunè hęc apostoli uerba citauimus, libet ab ijs facere dicendi exórdium. Precationis, siue malimus (neque enim uocabula, quibus ecclesia vtitur, sunt auersanda) orationis nomen, per quod intelligitur quædam erectio mentis in Deum; generalior vox est, quæ plures habet parteis, quas hic apostolus posuit, atque vt eas apertius intelligamus, verba ipsa Gręca, quæ Paulus posuit, apponemus, addemusque ipsam Græcorum interpretationem. est ergo δέησις, hòc est, deprecatio, cum precamur liberari à malis. προσευχὴ obsecratio, cum petimus bona, ἔντευξις interpellatio, cum de ijs querimur, qui nos iniuria afficiunt, ut est illud in actis apo-
Act.4. stolorum. [*& nunc Domine aspice in minas eorum.*] quod nequis putaret dictum propterea, quòd ultionem exposcerent, adiecerūt,
ibidem. [*& da seruis tuis, cum fiducia loqui uerbum tuum.*] postremo loco positum est, εὐχαριστία, hoc est, gratiarum actio, cum scilicet nō pro nostris solum, uerum etiam pro bonis proximi cuiusque gratias agimus. de qua gratiarum actione fortasse suam illi assignabimus concionem. nunc generatim de oratione tractemus. Hæc tantò
Ps. 146. nobis esse familiarior deberet, quòd hominis propria est. nam etsi
Ps. 103. legimus pullos coruorum esurientes inuocare Deum, & catulos leonum quęrere à Deo escam sibi, figurata locutio est, qua significatur omnia animalia habere à Deo unde nutriantur, quemadmodū & illud, [*omnia à te expectant, & tu das illis escam in tempore.*]
Ps. 103. propria ergo est hominis, illumq; per eius usum non solum in angelorum societatem trahit, sed ultra etiam angelos usque ad Dei sedem euehit. hanc uelut rem pretiosissimam atque honorificentissimam

tißimam ab hominibus emissam ipsi angeli offerre Deo non dedignantur. ecce enim quid Raphaël ille unus ex septem, qui astant Deo, dicat Tobiæ. [*quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*] Tob. 12. quin & oratio ipsa per se audet ante Dei conspectum apparere. iccirco aiebat propheta. [*dirigatur oratio mea sicut thus in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.*] Esa. 140 nostis quàm delectare uehementer soleat odoris fragrantia, ob hanc causam incenso thuri orationem comparat, quam etiam eam vult habere uim, quam habent sacrificia. atqui Deus ipse alibi gratiorem illâ sibi esse testatur, quàm ipsa sacrificia. sic enim per eundem prophetam ait. [*non in sacrificijs tuis arguam te. holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos.*] Psal. 49. & post rem diligenter tractatam adiecit. [*immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua.*] ibidem. Quicunque hoc orandi dono præditi sunt, ingenti priuilegio sunt donati. similes enim ijs sunt, quos reges ita familiares habent, ut eorum ingressus ad eosdem reges nunquam prohibeatur. quod summi honoris loco censetur, & quibus hoc permittitur, ij inter omnes beatißimi existimantur. at uerò per hanc orationem in auctoris omnium Dei familiaritatem uenire, quantæ dignitatis esse iudicandum est? Sed mouere fortasse quempiam uestrum posset hæc cogitatio. cum Deus optimus sit, & nostri amantior, quàm illi ipsi, qui nos carne genueruut, sciatque prius quàm quicquam petamus, quid nobis opus sit, cur expectat, dum postulemus? qua in re sciendum est, precationes nostras non iccirco adhiberi, ut ad eas flectatur Deus, & inclinetur ad nos, qui paratißimus est ad nobis benignè faciendum, ac semper ultro se offert. sed [est oratio, (quemadmodum ante nos uiri prestantißimi dixerunt) ueluti aurea catena è cœlo in terram demissa, per quam qui ascendere uelit, uidetur quidem catenam ad se trahere, re autem uera trahitur ipse ab illa in cœlum.] non ergo necessaria oratio est ad permouendum Deum, sed ad nos illius donis suscipiendis præparandos. est enim Deus ueluti sol, qui se conspicuum omnibus præbet, & lucis suæ radios calorisque uirtutem uolentibus omnibus præfert, tantum qui ea uolunt, accedere non recusent. quòd siqui abdunt se tene-

bris, ne solem intueantur, illorum est culpa non solis. similliinè ac multò etiam magis Deus natura beneficentissimus, nihil plus amat, quàm sua nobis dona impertiri, & quoties id non assequimur, nostro uitio non assequimur. neque enim ęquum est, ut cœlestia dona hominibus cœlum auersantibus tribuantur. Huius uirtutis quantus sit usus, Seruator ipse omnium uirtutum exem-
Phili. 2. plar absolutissimum, indicauit, qui, cum in forma Dei esset, neque, uti nos, huiuscemodi precationibus egeret, eam tamen exer
Luc. 6. cuit, [*& erat* (inquit) *pernoctans in oratione*.] quæ orandi con suetudo inuitauit discipulos, ut peterent doceri, quo pacto esset
Luc. 11. orandum. sic enim scribit Lucas. [*factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare.*] tantum uerò magistrum imitati discipuli, hanc omnium factorum suorum ducem habuerunt. atque ubi primum sublatus in cœlum est Dominus, recipientes se in cœna-
Act. 1. culum, [*erant* (inquit) *perseuerantes unanimiter in oratione & obsecratione*.] hac muniti omnia conficiebant, hac ad omnia utebantur, siue electio aliqua facienda esset, siue ingrueret afflictio.
Act. 12. [*oratio* (inquit) *fiebat sine intermissione ab ecclesia pro eo.*] nempe Petro, cum in carcere detineretur. in omni rerum statu, in necessitatibus omnibus, in tentationibus, in periculis, singulare sanctorum perfugium est oratio. iccirco aiebat discipulis Dominus.
Mat. 26. [*uigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*] Quòd si prætereà
Luc. 22. cogitemus eius fructum, & quo pacto omnia conficiat, quæ hu-
Mar. 14. mana uis assequi non potest, multò illi magis erimus familiares.
Iac. 5. [*multum ualet* (ait beatus Iacobus) *oratio iusti efficax*.] & conti-
bidem, nuò Eliæ exemplum ante oculos ponit. [*Elias* (inquit) *homo erat, æquè ut nos, affectibus obnoxius, & oratione orauit, ne plueret, & non pluit super terram annos tres & menses sex. & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum*.] Vide quanti Deus faciat orantis hominis uocem. minatus erat Elias, non futuram pluuiam neque rorem, nisi iuxta uerba oris sui, & hanc uocem tanquam reueritus Deus, cum danda esset pluuia, dixit Eliæ.
3. Re. 18. [*uade & ostende te Achab, ut dem pluuiam super faciem terræ.*] perinde quasi non auderet Deus pluuiam immittere, nisi id seruaretur, quod Elias fuerat interminatus. Oratio sterilem Rebeccam
Gen. 25. fœcundam fecit. [*precatus est* (inquit) *Isaac Dominum pro uxore*

sua,

sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.] oratio donauit Annę Samuelem, insignem illum & fidelem Domino. [*cum esset* (inquit) *Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter.*] cum uidelicet postularet, ut daretur sibi uis concipiendi. hęc plura interdum assequitur quàm postulet. cum enim Zacharias pro salute Israëlis oraret, dixit ei angelus Gabriel. [*exaudita est oratio tua.*] & mox adiecit, quod non postulauerat. [*& Elisabet* (inquit) *uxor tua pariet tibi filium.*] at quem filium? quo [*maior non surrexit inter natos mulierum.*] hæc ueluti indiuiduus sanctorum est comes, sine qua uiuere longè rem morte existimant grauiorem. intuere enim Danielem, qui quamuis sciret fraudem, quam moliti erant aduersus illum satrapæ, si intra certum dierum numerum orare Deum fuisset deprehensus, non potuit tamen abstinere, [*sed ingressus* (inquit) *domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra* Ierusalem, *tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.*] quare & leones, quibus fuerat expositus, illum reueriti posita feritate illius uitam seruauerunt. Quòd si rursus cogites, quàm sit paratus Deus ad impertienda sua munera postulantibus, multò eris ad orandum frequentior. inuitat enim ad petendum, hortatur, ut non opportunè solum sed importunè etiam postulemus, proposita similitudine illius, qui intempesta nocte ad amici domum profectus, ut tres panes peteret, pulsandi importunitate uoti compos factus sit. addit, parentum exemplum, qui postulantibus filijs panem, piscem, ouum, non dant lapidem pro pane, neque serpentem pro pisce, neque pro ouo scorpium. & mox concludit. [*si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris, quantò magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se?*] & alibi. [*dicebat* (inquit) *& parabolam ad illos, huc spectantem, quòd oporteret semper orare, nec defatigari, dicens. iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, nec hominem uerebatur. uidua autem quædam erat in ciuitate, & ueniebat ad eum dicens. uindica me de aduersario meo. & nolebat aliquandiu. post hæc autem dixit intra se. quamuis Deum non timeo, nec hominem uereor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne tandem ueniens sugillet me.*] & mox. [*audite* (inquit) *quid iudex iniquus dicat. Deus*

Marginal notes: 1.Reg.1. — Luc.1. — Dan.6. — Luc.11. — Luc.11. — Luc.18. — ibidem.

autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?] Orandum ergo & petendum est, sed multi dum non assequuntur quæ petunt, diffidunt plerunque, putantque se à Deo non audiri. uerum ipsi sæpe in causa sunt, cur non exaudiantur. ad quos beatus Iacobus

Iac. 4. ait. [*petitis & non accipitis eò quòd male petatis.*] tunc uerò pars beneficij est, si negetur quod petitur. nam multa interdum optamus, quæ si darentur, essent nobis perniciosissima. ob hanc cau-

Eccl. 4. sam admonebat sapientissimus ille Salomon dicens. [*custodi pe-*

Eccl. 5. *dem tuum ingrediens domum Dei.*] & paulò post. [*ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit uelox ad proferendum sermonem coram Deo.*] & sanè turpe esset, Christianos homines in tanta ueritatis luce ab ethnicis superari. nam de Lacedæmonijs scribit Plato, solere eos orantes petere, pulchra & bona sibi dari, nec plura illos precari quenquam audiuisse. & sapienter illi quidem, quandoquidem ignorationis tenebris circunfusi homines, si optio illis detur, perniciosa potius quàm utilia postulare consueuerunt. quòd si postulantibus filijs Zebedæi, ut unus ad dexteram, alter ad sini-

Mat. 20. stram Christi sederet in illius regno, ipse respondit, [*nescitis quid petatis,*] quid in rebus humanis petere audebimus, quod utilitati nobis futurum sperare possimus? quid enim? poscis opes, dignitates, honores? at hæc quo nobis copiosius subministrantur, eò & maiores turbas excitant, & periculis obijciunt grauioribus. optas liberos? at ij sæpissimè in causa sunt, cur parentes uitā hanc oderint, & mortem habeant chariorem. optas sanitatem? quid si utilius sit, ac saluti tuæ animæ magis expediat ægrotare? ipse enim fecit te, eique tua salus est curæ, & nouit, quo pacto cuique utile sit, siue sanum esse siue imbecillum. pete ergo quod orandi magi-

Mat. 6. ster te docuit, nempe regnum. [*quærite* (inquit) *primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.*] cernis ut præter regnum cętera omnia sint additamenta, quę nobis etiam non petentibus dabuntur? regnum ergo pete, & omnia cum illo habebis. atque hoc est in nomine eius petere. quod cū facimus,

Ioan. 14. pollicetur se auditurum. [*quicquid in nomine* (inquit) *meo petie-*

Ioan. 16. *ritis, hoc faciam.*] & rursum. [*petite & accipetis ut gaudium ue-*

1. Ioan. 5 *strum sit plenum.*] & beatus Ioannes. [*hæc est* (inquit) *fiducia, quam habemus apud eum, quod siquid petierimus secundum uoluntatem*

tem eius, audit nos.] est enim rex noster maximè studiosus dignitatis, & indignatur, siquis eum rem petat exiguam, siquis nostrū ab eo postulet, quæ nequaquam sunt nobis consentanea. noli ergo in prece tua indignationem tibi ipsi arcessere, sed pete ea tibi, quæ digna sint rege Deo, quo facto ne deficias, quousque assequare, memor exempli dudum ex Euangelio recitati. docet enim ibi *Luc. 11.*
nos Dominus, ut constantes in fide simus, & tanquam contentiosi. exemplum enim accipit ab homine erga hominem, ut discas nunquam desperare, & cum petieris nec acceperis, ne despondeas animum, neque cesses quousque accipias, sic tamen, quemadmodum ante dixi, si ea, quæ uelit Deus, petas. neque dicas peccator sum, & non audiar, etenim ut non desperes, propterea dixit, etiam *ibidem.*
si, quia amicus eius sit, non dabit ei, certè ob improbitatem eius dabit ei quantum necesse habet. Deinceps si etiam mensis prætereat, si annus, si tres anni, aut quatuor, aut plura annorum tempora, ne recedas, dum accipias, sed cum fide petito, semper te in rectè factis exercens. sępenumero enim aliquis ex nobis in adolescentia temperantiam aggressus est, deinde successit uoluptas, commotæ sunt naturales concupiscentię, infirmę factæ sunt preces, additum est adolescentię uinum, perijt temperantia, & factus est homo alius pro alio. itaque fiunt mutationes rerumque uicissitudines, dum generosa rationis agitatione non obsistitur affectibus, ut tum à seipso omnia quæcunque possit, quisque afferat. tum clamet ad Deum, & ei in pugna opituletur. etenim siquis ob torporem atque inertiam se dedat concupiscentijs, seque ipsum prodat hostibus, huic Deus non affert opem, neque exaudit, præuenit enim ipse per peccatum, ut alienū se à Deo faceret. nam qui vult auxilium sibi à Deo adhiberi, decorum non prodit. qui decorum non prodit, nunquam à Diuino patrocinio proditur. Oportet itaque nulla in re à propria conscientia reprehendi, atque ita Diuinam opem inuocare, idque non inerter, non suspenso & huc illucque diffuso animo. is enim non solum non accipiet quod petit, uerum etiam magis irritat Dominum. nam si is, qui coram principe stat, eumque alloquitur, multo cum timore stat, non leuem aut uagum tenens & exteriorem & interiorem animi aspectum, nequando periculum ei creetur, quantò magis coram Deo stare oportet cum timore & tremore, totamque mentem

tem intentam habere in eum ſolum & nuſquam alibi propterea, quòd ipſe non ſolum exteriorem hominem aſpicit, quemadmodum homines, uerum etiam interiorem intuetur? itaque ſi ſic, ut oportet, ſteteris coram Deo, & ex te, quæcunque poteris, omnia attuleris, ne deficias, quouſque rem à te poſtulatam accipias. Quòd ſi reprehenderis à conſcientia tua, tanquam qui neglexeris atque deſpexeris, leuisque ad preces ſteteris, cum ſtare poſſes grauis atque compoſitus, ne audeas coram Deo ſtare, ne fiat precatio tua in peccatum. ſin imbecillis factus ob peccatum non potes non diſtracto animo precari, conare pro uiribus & perſeuera coram Deo aſtans, mentemque ei affixam tenens, teque ad teipſum colligens. tunc enim Deus ueniam dat, quoniam non ex contemptu ſed ex imbecillitate non uales, ut opus eſſet, ſtare coram Deo. ſi hoc pacto uim tibi attuleris ad quoduis opus bonũ, ne deſiſtas, donec accipias quod petis, ſed longanimiter ianuam
Luc. 11. eius pulſa, & pete petitionem tuam. [*omnis enim* (inquit) *quicunque petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.*] &
Iudi. 7. hæc quidem trecentis meis ſint dicta, nam reliquæ multitudini non facile iſta ſunt peruia, quæ intelligere uim orandi minimè ſolet. Sed quod de longanimitate diximus, uis noſſe, quàm longanimes eſſent ſancti, neque quicquam deſperarent? uocauit Deus Abraham adhuc iuuenem, & ex Aſſyriorum terra tranſtulit in
Gen. 12. Palæſtinam, dicens ei, [*tibi dabo terram hanc, & ſemini tuo poſt te*
Gen. 15. *& ſicut ſtellæ cœli, ſic erit ſemen tuum, quod non numerabitur.*] præterijtque multus annorum numerus, & mortua quidem erat eius natura, in foribus autem finis, & tamen non ait. Domine ſemper mihi liberos polliceris, & patrem me futurum omnium gentium prædicas. mortui mihi ſunt ex ſenectute naturæ motus, & Sara uxor mea iam non fert muliebria ob ſenectam. quocirca mendax eſt promiſsio. nam duo ſenes quam habent ſpem? non hoc dixit, non cogitauit, ſed permanſit nihil fluctuans fide, & ætate quidem ſeneſcebat, ſpes uerò iuueneſcere uidebatur, & corpus quidem ad imbecillitatem accedebat, & deſperationem ingenerabat, ſed fides neruos & animæ & corpori afferebat. Deus (inquit) eſt, qui promiſit, Dominus naturæ, & aliter fieri poſsibile non eſt. ipſe eſt, qui ea etiam, quæ poſsibilia non ſunt, facit poſsibilia. icci rco facit & mutat omnia ut uult. Imitare fidem

Abrahæ,

Abrahæ, ubi cum imbecilla facta natura fuit, eiusque motus mortui, tunc reuixit pollicitatio Dei. admitte hæc exempla. nos uerò cum annum precati sumus, recedimus, paucos dies ieiunamus, mox cessamus. itaque ne simus inconstantes ad promissiones *Gen. 22.*
Dei. etenim qui Abrahæ pollicitus est, se multiplicaturum semen illius, pollicitus & nobis est, se petentibus daturum quæ petierimus. & rursus. [*uenite omnes ad me, qui laboratis & onerati estis;* *Luc. 11.*
& ego recreabo uos.] is nempe cum tu longe ab eo esses, te mise- *Mat. 11.*
ratus & laborantem & oneratum grauissimo onere peccati accersiuit, ut te hoc pondere leuaret, ac requiem deinceps largiretur, & tu ei fidem non habes? & fortasse ob eam causam differt reddere, ut erudiaris assiduus esse ad illum rogandum, intelligasque, quid sit donum Dei, & datum cum timore serues. quicquid enim cum labore quis adeptus est, studet illud seruare, ne, si id amittat, & multi laboris sui iacturam faciat, & gratiam Dei spernens, æterna uita indignus efficiatur. quid enim profuit Salomoni accepisse gratiā sapientiæ & eam amisisse? ne itaque pusillanimis fias, si non ocyus assequare quod petis. nam si intelligeret bonus Dominus, quòd citò gratiam accipiens, non esses illam amissurus, paratus esset ante etiam præbere quàm peteres. nunc autem ob tui curam id agit. nam si is, qui talentum accepit, quique integrū *Mat. 25.*
illud seruauit, ob eam causam condemnatus est, quòd non esset in eo negociatus, quantò magis condemnabitur is, qui illud amiserit? nos igitur hęc intelligentes, siue ocyus siue serius accipiamus, gratias Domino agentes perseueremus, quandoquidem omnia quæcunque facit Dominus, pro salute nostra facit. tantum nos caueamus, ne ob pusillanimitatem finem petendi faciamus. hanc enim ob causam parabolam Dominus dixit illius uiduæ, quę *Luc. 18.*
ob suam perseuerantem constantiam iniquum iudicem flexit, ut & nos perstando accipiamus quę petimus. nam hinc & fides nostra & dilectio in Deum declaratur, quando etiam cum non celeriter accipimus, in gratiarum actione perseueramus. Et hæc quidem de orandi perseuerantia sit satis. restat ut paucis uerbis doceamus, quid in hac solenni horum trium dierum precatione sit petendum. fuerunt enim ex uobis, qui hoc à me postularent. in primis ergo precandum est, quod audiuimus à Paulo, [*pro re-* *1. Tim. 2.*
gibus & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam et quietam uitam

tam.

tam degamus cum omni pietate & honestate.] ubi obserua non optandam esse placidam & quietam uitã aliam ob causam, quàm ut liceat aptius pietati & Diuinis rebus operam dare. nam qui huius uitæ tranquillitate, quod plerique omnes faciunt, abutuntur ad luxum atque lasciuiam, ijs expedit tempora esse turbulenti. deinde precandum est, pro uestra ciuium inter uos pace atque concordia, ut dentur uobis meliores animi, & magis Christianũ
Rom. 15. pectus, ut sublatis odijs & simultatibus omnibus, *unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.* pro temporarijs uerò rebus ac commodis ne admodum sitis anxij, &
Iudit. 8. satis est generatim petere, ut Deus faciat uobiscum secundum misericordiam suam. quòd si libet frugum fructuumque ubertatem postulare, id non uestra sed pauperum gratia est faciendum, ne egestate atque inopia conficiantur. ut uerò hoc solennium precum sacrificium suos omneis numeros habeat, siquis uestrum inimicum habet, summo studio atque intimis affectibus pro eo precetur, ut illum Deus & temporarijs & æternis bonis ditet. hæc enim precatio erit efficacissima ad efficiendum, ut quicquid ipsi pro uobismet ipsis postulatis, liberalissimè à Deo uobis præstetur. postremo & pro episcopo uestro accuratius etiam, quàm reliquo alio tempore orandum à uobis est, ut Deus mihi eas uires suppeditet, quibus tantum officij munus queam sustinere, ut demum pastor cum suo grege ad felicissima illa atque æterna pascua deducatur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO DECIMANONA, de gratiarum actione.

MEMINI me superiore oratione, cum de gratiarum actione obiter facta mentio fuit, iudicauisse rem esse dignam, cui iusta oratio assignaretur, cum ut agnoscamus quàm sit fidelibus necessaria, tum ut multorum error reprehendatur, qui in ijs rebus, pro quibus ingentes Deo agere gratias deberent, tantum abest, ut grati sint, ut etiam grauiter interdum conquerantur. non enim recordantur, quod admonet Paulus, cum ait, [*in omnibus gratias agite.*] Et profectò nihil tam decet hominem, qui incomprehensam Dei erga nos benignitatem intelligat, quàm gratiarum actio. rursus nihil magis ignoratur. nam homines ferè uel nullas agunt gratias, uel malè agunt, quos in Zacharia propheta reprehensos reperies, qui cum studerent auaritiæ, ubi lucrati quid erant, dicebant, [*benedictus Dominus, diuites facti sumus.*] quę verba non ex grati animi & coniuncti Deo significatione proficiscebantur, cum ex iniquitate lucrarentur, sed lætabantur duntaxat, quòd diuites essent facti: sic pharisæus ille, [*gratias* (inquit) *tibi ago*, quamobrem? *quòd non sum sicut cæteri homines.*] non erat illi animus gratias agere, sed gratiarum actionem simulauit, ut gloriandi & sua facta iactandi acciperet occasionem. qui mos frequentissimus inter uos est, neque id aduertitis, qui si ex animo ageretis gratias, factis ipsis non verbis solum, gratitudinem hanc vestram declararetis. quare vt sitis posthac ad hoc opus instructiores, libet pulchram cuiusdam viri sancti, quam olim me legisse memini, gratiarum actionem commemorare, quam cupio uos omneis mandare memorię, sic enim aiebat. [Gratias tibi agimus Domine pro omnibus beneficijs tuis, quæ a primo die usque ad hunc in nos indignos contulisti, pro ijs, quæ nouimus & quæ ignoramus, pro manifestis & occultis, quæ facto & quæ sermone, quæ uolentibus & quæ inuitis data, pro omnibus inquam, quæ in nos indignos collata sunt, pro afflictionibus & pro libera-

1. Thes. 5

Zac. 11.

Luc. 18.

tione ab eis, pro Geenna, pro pœna & castigatione, pro regno cœlorum. Rogamus te, ut serues animam nostram sanctam, quæ puram habeat conscientiam, finem humanitate & benignitate tua dignum, qui ita dilexisti nos, ut unigenitum tuum dares pro nobis, ne dedigneris nos tua dilectione dignos facere. inspira robur & eam constantiam, quæ à te est, qui illum unigenitum dedisti pro nobis, quique spiritum tuum sanctum misisti in remissionem peccatorum nostrorum, siue sponte siue inuiti peccauimus, condona, & ne nobis imputes. recordare omnium qui inuocant nomen tuum in ueritate. recordare omnium, qui bene nobis & qui malè uolunt. omnes enim homines sumus.]

Ioan.3.

Obserua accuratum agendi gratias studium. nequid beneficiorũ ob incuriam prætermitteretur, ab ipso, quo esse cœpit, die exorditur. & profectò dici non potest, quantam Deus exerceat bonitatem in suscipienda infantium cura, ut illud, [*ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem,*] quidam Hebræi sint interpretati, Deum initium facere prædicandæ uirtutis suæ ex ore infantium, cũ primum sugere incipiunt, mirandumq́; esse, quòd tam tenello puero papillarum modus ita egregiè attemperatus sit, lactisque copiam ubera abundè suppeditent. alij mirum hoc tum fieri putant, cum loqui incipiunt, quo munere homines animantia cętera antecellunt. confirmantur autem in eis miracula, quę in ipsis maternis uteris cœpta sunt. in quibus etiam non minora sanè reperientur, quæ admiremur, quæ alij prophetæ interdum commemorant. taceo innumera pericula, quibus illa ætas se exponit, ut mirum sit maximam partem in illa ætate non interire. quare quòd seruentur, Diuinæ beneficentiæ referri acceptum debet. & quia multò plura sunt beneficia, quæ uel non aduertimus, uel prorsus ignoramus, quàm ea, quæ agnoscimus, adiecit. [pro ijs, quæ nouimus & quæ ignoramus, pro manifestis & occultis.] nullum enim momentum est, quo Diuinis beneficijs homo non utatur, quæ qui scire uelit, idem & stellas cœli numerare uelit, & arenam maris, & æquoreos fluctus, qui littori alliduntur. Quid uerò est, quod addit, [quæ facto & quæ sermone?] opinor illum per facta intelligere quæ in rerum creatione exhibuit beneficia, & primum quòd nos ad suam imaginem tam excellens opus condidit, deinde quod hãc mundi fabricam hominis gratia construxit. neque hoc contentus, uoluit ut cœlestes illæ mentes nobis inseruirent. [*non ne omnes* (inquit) *administri spiritus sunt, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæreditatem accepturi sunt salutis?*] quid uerò dicam illud admirandum dati pro nobis unigeniti beneficium? [*qui proprio* (inquit)

Psal.8.

Heb. 1.

Rom.8.

(inquit) *filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*.] hoc profectò nulla oratio explicare idonea est, sed silentio est uenerandum. hęc & his similia facto exhibita sunt. uerbo autem tam multa prophetarum oracula, apostolorum & Euangelistarum & dicta & scripta, quæ tanquam lumina quædam splendidissima, huius caliginosæ uitę tenebras discutiunt: quibus qui destituti fuerunt, quamuis alioqui doctissimi, plurimis maximisque erroribus se implicuerunt. sequitur. [quæ uolentibus & quæ inuitis.] pulchrè sanè & acutè dictum. sumus enim nos tanquam infantes, quorum natura est, ut, quid sibi utile sit, non intelligant, atque iccirco plurimum ea petunt, quæ si præstarentur, maximo futura illis essent detrimento. quare parentes, dum indulgere eorum appetitionibus recusant, ea duntaxat dant, quæ sciunt eis futura salutaria, atque hoc pacto in inuitos conferunt beneficia. simillimè in nos Deus agit, & non quid uelimus, sed potius quod nouit utile nobis futurum donat, & inuitos afficit beneficijs. [pro afflictionibus (inquit) & liberatione ab eis, pro Geenna, pro pœna & castigatione.] [*confitebor tibi Domine* (ait Esaias) *quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me*.] gratiæ agendæ sunt cum affligimur, quia [*afflictio* (ut ait Paulus) *patientiam parit, patientia probationem, probatio spem*.] cum liberamur item ab eis, agendæ sunt, quòd faciat Deus nobiscum secundum misericordiam suam. uerum si afflictionis fructum spectes, nihilò minores cũ affligimur, quàm cum ab afflictionibus liberamur, agere gratias debemus. afflictio enim est, quæ æternas nobis coronas parit. nimis uerò secundæ res amittendi tanta bona periculum creant. quis autem filius quæratur, quòd illum pater per labores & ærumnas ad regnum euexerit, alioqui illud non assecuturum? quàm æquo autem & grato animo pœnæ & castigationes sint accipiendæ, uide quid ad Hebræos dicatur. [*Fili mi ne neglexeris* (inquit) *correptionem Domini, neque deficias cum ab eo argueris. quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. si castigationem sustinetis, ueluti filiis offert se Deus. quis enim est filius, quẽ non castigat pater? quòd si alieni estis à castigatione, cuius participes sunt omnes, igitur spurij estis non filij*.] Audis eum, quem Deus loco filij habeat, castigari & flagellis exerceri, qui uerò expertes castigationum sunt, spurios esse non filius? deinde altero exem-

Act. 7. *Mar. 9.* *Luc. 12.* *Esa. 12.* *Rom. 5.* *Pro. 3.* *Heb. 12.* *ibidem.*

plo idem astruit. [*cum carnis nostræ patres* (inquit) *habuerimus castigatores, & reueriti simus illos, an non multò magis subijciemur patri spirituum & uiuemus?*] & hæc quidem de pœna & castigatione. mirum uerò quòd pro Gehenna agat gratias: uerum & hoc
Mat. 7. etiam ad pietatem multum pertinet: nam quòd Geennam nobis
Mar. 9. minatur Deus, hoc summa cum benignitate facit, ne in illam no-
Luc. 12. stra incogitantia præcipitemur. Postremo gratias agit pro regno cælorum, quod regnum uidelicet nobis sit pollicitus, & tanto munere tam ingratum genus sit dignatus: qua in re miseret me miserrimi status nostri, qui tantum abest, ut pro tam felici regno agamus gratias, ut multi, atque utinam non maxima pars illius regni memoriam parum alacri animo repetant, & quàm tardissimè optent in illud recipi. quo quid magis probrosum queat excogitari? quis uestrum, cui pollicitatio terreni alicuius regni sit facta post decem annorum spatium adipiscendi, non optet tempus illud imminui, ut quàm ocyssimè fruì optato regno posset? o uerè degeneres animos. quis rursus in hac spe regni non maximos labores perferat, & ingentia pericula subeat? nos uerò pro
Esa. 12. immenso illo ac sempiterno regno quid patimur? quid laboramus? Sed uideamus, quid uir sanctus post tam accuratam gratiarum
Rom. 7. actionem petat. non postulat facultates, opes, honores, non suam non filiorum incolumitatem, sed quid? ut animæ sanctitas & conscientiæ puritas conseruetur, & finis nobis detur, non nostris meritis, sed diuina benignitate dignus. postremo rogat ut recordetur Deus non amicorum tantum nostrorum, sed inimicorum etiam propterea, quòd omnes simus homines, ad Dei imaginem omnes facti, omnesque unum genus sortiti, & ab uno pro fecti. Quoniam uerò de gratiarum actione uerba facimus, necessarium mihi uidetur, contrarium illi uitium detestari, eorum
Tit. 3. uidelicet, qui pro gratiarum actione murmurant aduersus De-
Heb. 12. um: hoc autem est ingrati serui indicium, & qui Domini benignitatem non sentiat. grauissimum est hoc uitium, & proximè ad blasphemiam accedens, alioqui quomodo qui in deserto pœnas dederunt, tam acriter fuissent castigati? qui enim murmurat, ingratus est Deo, qui ingratus est Deo, blasphemus etiam est. Quo tempore continuæ erant tentationes, continua
1. Co. 15. pericula, quotidianæ mortes. [*quotidie* (inquit) *morior.*] nulla

erat

erat requies, nulla erat respiratio, iubebátur tamen fideles omnia *Phi.* 2.
sine murmurationibus agere, nunc cum profunda pax est, summa tranquillitas, nomen Christi ubique est gloriosum, non castigatio ac pœna, ut olim, proposita est Christum confitentibus, sed *Mat.* 12.
summa gloria & in hac & in futura uita, in tanto ocio ac tranquil- *Mar.* 10.
litate murmuramus? quã ob causam obsecro murmuras? quòd pauper es? si regnum quæris, cogita hanc faciliorem esse ad regnum uiam, deinde contemplare eos, qui longè grauiora sunt passi. intuere Iob, cui omnia fuere sublata. num quòd ægrotas? *Iob* 1.
quid si tam multorum tibi rectè factorum conscius, ut beatus ille, ægrotares? rursus intuere illum, qui multo tempore scatens uermibus, atque in stercore sedens saniem testa radebat. idque cum *Iob* 2.
nullius sibi sceleris esset conscius, ob quod tam acerbas pœnas daret. sed mortuus est tibi filius? quid si omnes simul amisisses, ut ipsi Iob accidit, & sæua morte? nostis enim ingentem esse parentibus consolationem assidere ægroto, componere os mortuo, claudere oculos, genas demulcere, suprema audire uerba. at horum nullo iustus ille dignus habitus est, sed omnes pariter ruente *Iob* 1.
domo sunt collisi. at hoc exiguum est præ eo quod dicam. quid si tibi imperaretur, ut filium ipse iugulares, ipse immolares, inspiceresque, dum ignibus combureretur, quemadmodum admirando illi patriarchæ fuit imperatum? qualis esses, si altare tibi esset *Gen.* 22.
ædificandum, superimponenda ligna, uinciendus filius? Rursus probris ac contumelijs te quispiam afficit? quid si hoc ab amicis, qui tui consolandi gratia uenissent, hoc patereris? nunc enim nos multa peccauimus, ex quibus si probris afficimur, meritò ea patimur. at tunc uir ille iustus ac pius ab omni uitio liber, tam mul- *Iob* 11.
tas reprehensiones ab amicis audiuit. quid si præterea haberes uxorem, quę calamitatem augeret, atque obijceret tibi innocentiã? [*adhuc* (inquit) *perstas in simplicitate tua, benedic Deo & morere*.] *Iob* 2.
tam multa simul uir sanctus in animo, in corpore, in uxore. in liberis, in amicis, in facultatibus uno tempore est passus, & [*in ijs* *Iob* 1.
omnibus non peccauit (inquit) *Iob labijs suis, nec stultum quid locutus est contra Dominum*.] quem huic similem morbum mihi uales demonstrare, in quo somnus etiam, qui alijs dolorem sedare solet, erat illi grauis? terres me (inquit) per somnia, & per uisiones horrore concutis. nox & dies æquè erant molesti. iccirco aiebat.

si dor-

ibidem. [*si dormiero, dicam, quando consurgam? & rursum expectabo uesperam, & replebor doloribus usque ad crepusculum.*] nec murmurabat. neque hoc solum, sed ob tam ingentes pœnas multorum erat opinio, quòd magnorum scelerum esset reus, ob quæ hæc pateretur. quare & amici ipsi dicebant, non satis dignas peccatis tuis

Iob.33.

Iob.30. pœnas das. iccirco & ipse dicebat. [*derident me iuuenes, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei.*] hoc quibus non est deterius mortibus? & tamen tanta tempestate undique concussus, attollentibus se undique undis atque procellis, cingentibus cœlum nimbis, immotus ipse perstabat, & tãquam in summa tranquillitate sedens nihil murmurauit, idque ante tempus gratiæ, ante quàm quicquam de resurrectione esset dictum, antequam de Geenna atque æternis pœnis. nos uerò qui prophetas, apostolos, Euangelistas audiuimus, & multa eorum, qui generosè decertauerunt, exempla habemus, & tam apertos de resurrectione & futuris bonis sermones didicimus, ad leuissima quæque tristamur. nemo enim nostrum est, qui dicere possit, tanta sibi ipsi accidisse. si enim quis facultates amisit, non tamen filios tot atque filias. quòd si amisit, fortasse ob peccata. at ille repente in medijs sacrificijs, in medio erga Deum cultu. quòd si & facultates & filios amisit, non adiecta sunt ulcera & sanies. quòd si & hoc, non saltem habuit, qui in illum inueherentur, & probris afficerent, quod maximè omnium mordere nos consueuit, & plus quàm ipse calamitates. si enim habentes consolatores, & qui bona spe nos esse iubeant, tristamur tamen, cogita quid esset, si opprobrantes haberemus. etenim si illud, [*expectaui, qui simul tristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni,*] graue est, & uix ferendum, inuenire pro consolatoribus calumniatores, quantò grauius est malum? Si hęc identidem animo uersaremus, & cogitatione pertractaremus, nihil nos rerum præsentium perturbaret, conijcientes oculos in athletam illum & adamantinam animam, in infractam & æneam mentem. nam uelut æneum aut lapideum corpus esset circundatus, omnia generosè toleranterque ferebat. Hæc nos cogitantes omnia sine murmuratione faciamus, cogitationumque disceptationibus, præsertim cum nihil ex hac murmuratione accedat lucri. icirco uir quidam sapiens aiebat. [*auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.*]

Psal.68.

Sap.1.

cauete

cauete ergo à murmuratione; quę nihil prodest, & à detractione parcite linguæ. nam murmurationi est detractio coniuncta, & est quædam detractio murmuratio ipsa. quare non iniuria diximus murmurationem esse blasphemiam. an non blasphemus est, qui Diuino honori detrahit? at hoc is facit, qui aduersus Deum murmurat, quasi qui iniustè aliquid egerit. cum ergo tam ingens malum sit murmuratio, ab ea abstineamus, & in omnibus, quemadmodum Paulus admonet, gratias agamus, ut acceptis iam be- *1.Thes.5.*
neficijs grati, maiora adhuc assequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMA.

De sacramento Eucharistiæ.

GRATIARUM actio, de qua nudiustertius habita à nobis oratio est, appellatur à Græcis Eucharistia, uerum nostris Eucharistiæ nomen pro sacramento altaris (quemadmodum ecclesia appellat, à cuius dicendi consuetudine abhorrere non debemus) in quo sacratissimum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguis consecratur, accipi consueuit, quod nullam aliã ob causam Eucharistiam uocatum existimo, quàm quòd illius incomprehensæ bonitatis beneficij memoriam renouat, pro quo perpetuas humanum genus Deo agere gratias debet. huius itaque nominis cogitatio inuitat, ut deinceps de Eucharistia uerba faciam, prӕsertim cum iam in foribus sint paschales dies, quibus totus Christianus orbis huius mysterij fit particeps. qua in re illud in primis Christianæ pietati conuenit contemplari, quanta cum & benignitate & sapientia tantum nobis Seruator Christus, à nobis ascensurus ad patrem, thesaurum reliquerit, & quod ad beni-

Heb. 9. benignitatem quidem attinet, non satis illi fuit offerre sese sacrificium patri pro salute generis nostri, nisi præterea corpus ipsum immolatum & effusum sanguinem in his mysterijs quotidie pertractandū reliquisset, quo quid benignius aut humanius, quodq; maiorem infinitę erga nos charitatis præberet significationem, queat excogitari? sapientiæ uerò non minoris est argumentum. etenim cum anima constemus & corpore, non agit anima sine corporis instrumento, quare externa ipsa atque corporea non parum afferunt utilitatis ad iuuandas animæ actiones. his enim ueluti gradibus utitur ad sublimiora capessenda, dum parui sumus,
1.Co.13. & [*uidemus* (ut ait Paulus) *per speculum in ænigmate*.] ob hanc causam ab ipso progenitorum nostrorum tempore corporea sacrificia oblata Deo fuerunt, quanquam ijs Deus minimè delectaretur.
Psal.49. [*non accipiam* (inquit) *de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos*.] uerum per externa hæc sacrificia afficiebatur animus, ut Deo fieret propinquior. quanquam in illis præterea signabantur ea mysteria, quæ per Christum fuerant absoluenda. in ipsius autem Christi aduentu cum oporteret finem figuris imponere, quando rerum ueritas iam apparuerat. alioqui si figurę, quę ueritatem duntaxat futuram signabant, seruarentur, uideretur nondum ueritas aduentasse, cum inquam in Christi aduentu hæc fieri oporteret, neque tamen sine corporeis adminiculis esse possemus, non potuit aliud ullum sacrificij genus institui, quàm eiusdem semel oblati sacrificij iterata commemoratio. icirco di-
1.Co.11. xit, [*hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*.] &
ibidem. rursus. [*hoc facite in mei commemorationem*.] idque sub specie panis ac uini, quod corpus eius ac sanguinem sub eisdem panis, & uini speciebus contentum significaret, ut per corporea hęc signa tanquam instrumenta ad spiritualium mysteriorum intelligentiam ascenderemus. in quibus non inutile tamen erit, etiam nunc interdum intueri, quam mirè hæc ueritas in lege, quæ per Mosen data est, fuerit adumbrata, pręsertim in illo agno, qui cum tot mysticis cerimonijs iussus fuit immolari, omnia enim ad amussim in Christum quadrare intelliguntur. quę cum longum nimis esset singillatim explicare, nonnulla exempli gratia commemora-
Leui.1. bimus. iubetur agnus accipi masculus, unus anni, sine macula, quæ omnia perfectionem quandam atque integritatem secum afferunt.

ferunt. conceditur ut in eundem modum pro agno hædus capiatur. appositè sanè. cum enim esset Christus tanquam agnus sine macula, quemadmodum & ab Esaia & ab Ioanne Baptista fuit appellatus, quia tamen pater posuerat super eum nostras omnium iniquitates, & tanquam peccator fuit immolatus, icirco licuit etiã pro agno hędum sacrificare. quam uerò ob causam, uel quo tempore? cum liberandi essent Israëlitæ ab Aegyptiorum seruitute, ut sanguis immolati agni in superliminaribus domorum positus cædem prohiberet, quam angelus Domini in primogenitos exercebat. quę omnia absque ulla nostra interpretatione à uobis intelligi facile possunt, in Christum conuenire, cuius fuso pro nobis sanguine à Diaboli tyrannide atque æterna ultione fuimus liberati. Sic æneus serpens, in quem intuentes à serpentibus percussi sanabantur, hanc in crucem acti Christi salutem designauit. quod nisi ipse declarauisset, non facile intellectum fuisset à nobis. dixit enim cum Nicodemo loquens. [*sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam.*] hęc & alia multa pręmissa sunt, ut ad ueritatem accipiendam essemus aptiores. Quod uero propius accedit ad huius cœlestis panis signandum mysterium, fuit manna, quod in deserto Israëlitis datum è cœlo fuit, de quo ipse Dominus dixit, [*non Moses dedit uobis panem, sed pater meus cœlestis dat uobis panem è cœlo uerum.*] Mirum uero quòd apud Hebræos auctores uetustiores obseruatum reperio. nam illa Iacob patriarchæ uerba, ubi dixit, [*ligans ad uineam pullum suum, & ad uitem fili mi asinam suam, lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ pallium suum. rubicundiores sunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores,*] hęc inquã uerba quidam Hebræus ante Seruatoris aduentũ retulit ad mysterium corporis & sanguinis Christi, [sed rem describi ait obtectis uerbis cum ut uenustior esset oratio, tum ut sententia occultaretur.] ex quo colligere possumus quàm multa delitescant arcana in scripturis sacris, quæ nos latent, soloq; Dei spiritu reuelante sciri possunt. in eundem sensum & illud psalmi, [*erit firmamentum,*] uel, sicut Hebræa ueritas habet, [*pugillus frumenti in terra in summis montium,*] interpretati sunt, ut quidam per paraphrasim dixerit, [erit placenta panis in capite montium ecclesiæ.] per quos montes sacerdotes designantur, quorum

Esa. 53. *Ioan. 1.* *Nu. 21.* *Ioan. 3.* *Exo. 16.* *Ioan. 6.* *Gen. 49.* *Psal. 71.*

ministerio hæc mysteria conficiuntur. illud uerò apertius multò
Gen. 14. est, cum Melchisedec sacerdos Dei altissimi occurrens Abrahæ à
Heb. 7. uictoria redeunti, protulit panem & uinum. Verum in hoc mysterio superanda est sensuum humilitas, & rationis etiam eius, quę
1. Cor. 2. humanis duntaxat cogitationibus fidat. nam animalis est, & [*animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.*] oportet ergo [*spiritualibus* (ut ait Paulus) *spiritualia*] comparare, & ex alijs Diuinis factis, quæ rerum naturam superant, & quarum plenæ sacræ literæ sunt, fidem nostram etiam in hac parte solidare. nam quod de sensibus dixi, meminisse hic debemus, quod patriarchæ Isaac usu uenit, cum eius filius Iacob fraudem molitus in fratrem fuit, ut benedictionem illi præriperet. nam deceptus in sensibus omnibus
Gen. 27. fuit, præterquam in auditu. [*uox* (inquit) *uox Iacob est.*] aspectu uerò, quia caligauerant oculi, & odoratu fragrantię uestium, quibus putabat hunc esse primogenitum Esau, gustu item ciborũ, quos è uenatione confectos credidit, & tactu manuum, quę pilosę similitudinem alterius expresserant, impositum ei fuit. sic in hac parte, uisus, odoratus, gustatus, tactus aliud omnino sentiunt, sed auditu duntaxat est utendum, & audienda uerba Christi, ijsque
Mat. 26. habenda fides. ipse enim dixit. [*hoc est corpus meum, &, hic est sanguis meus.*] cætera nube teguntur. & nescio an angelis ipsis,
Psal. 32. purgatissimisque illis mentibus peruia sint. [*Ipse est, qui dixit, & facta sunt omnia.*] & ex nihilo facta. [*uerbo* (inquit) *Domini cœli firmati sunt.*] & rursus. [*omnia per ipsum facta sunt.*]
ibidem.
Ioan. 1.
quo uerò pacto id fieri potuerit, tu ne quęsieris. quòd si quærere
Eccl. 8. est animus, audi quid dicat Salomon. [*intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem.*] & nequis de ijs rebus illum loqui arbitraretur, quæ longius remotæ à sensibus sunt,
ibidem. adiecit, [*eorum quæ fiunt sub sole.*] quòd si eorum, quæ subiecta sensibus sunt, negat ullam inueniri posse rationem. hæc quæ natura omni omnino superiora sunt, quis inuestigabit? Sed contemplemur interea tantam & Dei erga nos dignationem, & generi nostro pręstitam dignitatem. per hæc mysteria terra cœlum facta est. quid enim in cœlo est, quod illud magis honestet, quàm ipse Christus? at is per hoc sacramentum in terra est, nobiscumque uersatur. quocirca quanta esse uirtute pręditos oporteret sacerdotes, quibus credita hæc mysteria sunt, qui tametsi in terra degunt, cœlestium

lestium tamen negociorum sunt administri. quare oporteret eū, qui sacerdotio fungatur, tanquam in ipso cœlo positum inter cœlestes illas uirtutes, ita esse purgatum. Veneranda quidem erant & ea, quæ in lege Mosis celebrabantur, quę tamen si conferātur cum istis, illud reperiemus, quod dixit Paulus de lege. [*quod glorificatum fuit, non habuit gloriam in hac parte ob eminentem gloriam.*] cū enim cernis Dominum immolatum, ac sacerdotem astantem sacrificio, atque precantem, omnesque uenerando illo rubefactos sanguine, uideris ne tibi iam cum hominibus esse, atque in terra degere, ac non potius in cœlum esse translatus, & omni abiecta carnali cogitatione, nudo animo ac purgata mēte ęa, quę in cœlo sunt, circunspicere? O miraculum, ô supremam Dei benignitatem, is, qui ad dexteram patris sedet, illa hora hominum manibus detinetur, & se præbet uolentibus circumplecti. stat sacerdos non ignem in terram deferens, sed spiritum ipsum sanctum, & multum orat, non ut ignea aliqua lampas, ut olim sub Elia, demissa, proposita sacrificia consumat, uerum ut gratia sancti spiritus adueniens, per hoc sacrificium omnium animos inflammet, & ignito argento efficiat splendidiores. qualem hunc esse oportet, qui pro tota ciuitate atque adeo pro toto orbe omnium terrarū futurus sit intercessor, ut Deus omnium peccatis sit propitius? ego sanè & Mosis & Eliæ fiduciam ad tantū officij munus idoneam esse non uideo. etenim tanquam cui creditus sit orbis terræ curandus, sitque ipse omniū pater, ita accedit ad Deum, postulans extingui bella, solui turbationes, pacem dari, & anni fœcunditatem, malorumque impendentium & priuatim & publicè celerrimam liberationem. ubi uerò admirandum illud sacrificium peragit, quod neque angelis, neque archangelis concessum fuit, quo eum statuemus loco? quanta ab eo animi puritas, quanta pietas requiretur? cogita enim quales ministras illas manus esse oporteat, qualem linguam, quę uerba illa sit prolatura, quàm purgatam & sanctam animam, quę tantum spiritum sit acceptura. tunc & angeli sacerdoti astant, & cœlestium uirtutum ordines acclamant, omnisque circa altare locus impletur, in eius honorem, qui ibi positus est. & hoc quidem ex rerum maiestate, quæ ibi fiunt, credendum per se est, sed fuerunt, quibus hoc fuit demonstratum, uideruntque eo tempore angelorum repente multitudinem, qui uestibus amicti essent splendidis-

2.Cor.3.

3.Re.18.

Exo. 32.

4.Reg.1.

ſimis, & altare ambirent, demiſſo in terram aſpectu ueluti ſiquis milites cerneret coram rege ſtantes. nunc uerò, heu miſerandam noſtri ſeculi conditionem, nunc inquam dici de ſacerdotibus po-
Eſa.24. teſt, quod ait propheta, [*ſicut populus, ſic & ſacerdos*;] idque ueſtra potiſsimum culpa, qui, cùm filios ueſtros admitti in clerum uultis, non de ſacerdotio, ſed de eccleſiaſticis fructibus cogitatis. cum uerò in templum conuenitis, illud non orationis ſed negociationis locum efficitis, perinde quaſi non de templo ſed de nundinis ſit cogitandum, atque adeo de uenatione potius interdum. nam canes tanquam uenatum ituri uobiſcum ducitis. O` nullam iam in Chriſtianorum pectoribus pietatem. O` nos pro pijs impijſſimos factos. canes in templum intromittuntur ea ipſa hora, qua corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti conficitur. uix apud me ſum, cum hæc cogito, ſtupeoque uos tam eſſe ſtupidos, ut, cum hoc aliquoties ex hoc loco conqueſtus fuerim, tam craſſum errorem nondum intelligatis. In Hebræorum templum ne hominibus quidem patebat ingreſſus, niſi ſelectis quibuſdam ſummiſque ſacerdotibus, quanquam ſummum quod ibi fuerat, adolebatur thus, & animantis ratione carentis ſanguis aſpergebatur. at ubi non ſanguis taurorum aut uitulorum, ſed ſanguis Chriſti conficitur & eius corpus, non ſolum homines nugis & rebus interdum deterioribus dant operam, uerum etiam canes admittuntur, qui etiam altare ipſum tangant, & plerunque ij canes ipſorum ſunt ſacerdotum. nam inter uiſitandum ſuperiore anno uidi catellum ita lateri ſacerdotis rem Diuinam facientis inhærentem, ut nullis neque minis neque uerberibus arceri poſſet, quem cum rem fœdam indignatus, iuſsiſſem interfici, ſignificatum mihi poſtea fuit, catellũ fuiſſe ipſius ſacerdotis. & miramur, tam neglectis atque adeo peſſundatis cœleſtibus hiſce myſterijs, nos repetitis flagellis à Deo cædi? ego uerò potius miror, nos ab radice prorſus non auelli, cum longè deteriori ſimus conditione, quàm eæ gentes, quæ ab hac religione ſunt alieniſsimæ. nam eæ cum in ſua templa ingrediuntur, ſummum fit ſilentium, & nullus ibi eſt alij cuipiam rei quàm precationi locus. hic uerò de erigenda in Deum mente uix ulla cuiquam eſt cogitatio. quare expergiſcamur tandem aliquando ciues mei, & tam inſignes abuſus auferamus. Et quoniam ſequens hebdomada eſt ea, quæ ob dignitatem maior appellatur, &

feria

feria ipsa quinta, in qua Seruator Christus sacratissimam hanc cœnam instituit, maxima uestri pars horum mysteriorum futura est particeps, intelligite negocij magnitudinem. primumque considerate, omnes nō diuites solum, sed minimum quenque, ad hanc mensam summi regis admitti, quod maximam habebit uim ad quorundam arrogantiam minuendam, qui ob facultates & opes anteferre se alijs, & plus nescio quid esse sibi persuadere consueuerunt. deinde deliberate, eandem uitæ morumque compositionem esse post participata mysteria conseruandam, quam participaturi uobiscum affertis. quod nisi fiat, metuendum est, quod ad salutem accipitis, id in iudicium condemnationemque conuertatur. & hoc periculum cerno minimè obseruari, quod ut posthac caueatur, docendi estis apertius. Dicite enim mihi uos mulieres, quam ob causam, cum ad accipiendum corpus Christi accessuræ estis, eo die fuco genas non pingitis? pompas illas uestium & ornamentorum negligitis? nimirum quia scitis illa Christo non placere. igitur hoc animo acceditis, ut postea quàm participes tantorum mysteriorum fueritis, rursus quę Deo displicent repetatis? neque intelligitis, uos inimico in Christum animo ad corpus Christi accipiendum accedere? quid autem est illudere Christo, si hoc nō est? adoratis Christum, atque adeo in corporis uestri domicilium recipitis ea mente, ut post paulò eum offendatis. hoc & Pilati milites fecerunt, qui cum dixissent, [*aue rex Iudæorum*,] idque flexo genu, mox [*dabant ei alapas*,] & [*expuebant in eum*,] & [*accepta arundine percutiebant eum*.] Iudam etiam imitamini, qui osculatus fuit Dominum, cum interea dux eorum esset, qui apprehenderunt eum. cernitis quàm ingens periculum uos circunstet, neque tamen hactenus illud animaduerteritis? quare moneo uos, ut quæcunque animum easdem repetendi uanitates habent, non accedant ad hæc mysteria. certissimum enim illis animæ interitum prędico. idem ipsum & uiris denuntio, ne ea utantur uia, per quam hactenus sunt ingressi, ut peractis paschalibus festis ad eadem uitia atque peccata reuertantur. manifestissimū enim hoc indicium est animi, quem minimè superioris malè actæ uitæ pœnituerit, neque tota mente decreuerit discedere à peccatis. quod qui facit, quis illum dubitet indignè ad tanta participanda mysteria proficisci? [*probet seipsum homo* (ait Paulus) *& sic de pane illo edat*,

Ioan. 19. *Mat.* 27. *ibidem.* *Luc.* 22. 1.*Co.* 11

dat, & de calice bibat.] alioquin accidet ei, quod in corporeo stomacho euenire solet, ut cibi per se optimi & saluberrimi in noxios
Mat.22. humores conuertantur. ignoras hanc esse cœnam illam, ad quam cum nuptiali ueste est accedendum? at nuptialis uestis non ea appellatur, quæ tantummodo cœnum abluerit, sed quæ præterea pretiosa ac solennis sit. uestem ergo nuptialem tunc affers, cum post peccatorum cœnum ac sordes ablatas, multa rectè facta adhibueris. tu uerò non solum sine ullo uirtutum incremento, sed nondum bene abraso cœno audes accedere? Quid uerò de ijs dicam, qui semel tantum, uidelicet in paschate, communicant, & toto anno in quotidianis uitijs atque peccatis uersati, quin & paucos post dies ad eadem reuersuri, ut fecerunt hactenus, putant quadraginta hosce dies satis esse ad se bene penitus perpurgandos? quid? qui ne hos quidem, sed facta tantum quoquo modo exhomologesi (quæ utinam non sit pars maxima) inserunt se cœlestibus hisce mysterijs? sed fingamus quadraginta hos dies dari purificationi, satisne hos esse putas ad tantam totius anni rubiginem eradendam? toto anno inimicitias cum Deo exerces, & quadraginta dies tribuens purgationi, speras te Deum habiturum propitium? iocaris amice in re tam seria. non satis sunt æternæ Geennæ ultiones ad delendas eorum, qui in illam damnati sunt, culpas, & quadraginta tibi dies sufficere putas ad sanctitatem cōparandam? Optimus erat olim in ueteri ecclesia mos, ut quo tempore populus ad participanda hæc mysteria admittebatur, diaconus clamaret, [sancta sanctis,] nimirum sanctos duntaxat accersens. & iure sanè. si enim in Olympijs certaminibus non quiuis athleta ad illa admittebatur, sed stabat præco ingenti uoce clamans, & singillatim unumquenque proponens palàm aiebat. [quis huic crimen obijcit, num seruus sit, num fur, num malis præditus moribus?] si hoc inquam in illis certaminibus agebatur, ubi non animæ uel morum, sed corporei roboris studium erat, nónne multò magis hic est faciendum, ubi totum circa animum uersatur? stabat ergo ecclesiæ præco, non unumquenque manu notans, sed omnes admonens, ut sui iudex unusquisque esset, conscientiam suam accuratè discuteret. non enim dicebat, quis hunc accusat? sed, siquis ipse sibi est conscius, & cum diceret, [sancta sanctis,] idem erat ac si diceret, qui sanctus nō est, minimè accedat. neque simpliciter aiebat, qui

à pec-

à peccatis purus est, sed qui sanctus est. sanctum uerò non sola à peccatis liberatio efficit, sed spiritus sancti pręsentia, & multorum rectè factorum copia. non satis (inquit) est, abrasum esse cœnum, sed oportet præterea, ut candidus ac pulcher sis. si enim rex Babylonis electurus ex Hebræorum captiuis, qui regiæ mensæ astarent, uoluit esse ex semine regio, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & egregia specie, quantò magis ad cœlestis regis mensam non ut ministros, sed ut conuiuas admittendos oportet regijs esse moribus, & interioris hominis specie cultuque formosissimos? quòd si non talis, sed ueluti laceris ac sordidis uestibus indutus accedere audes, caue ne audias, [*amice quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem?*] & [*ligatis manibus ac pedibus coniiciaris in tenebras exteriores.*] Neque uerò hæc dicens, deterrere quenquam à sanctę mensæ participatione uolo, sed admonere duntaxat & docere, quo pacto cum fructu accedat. qui fructus quàm ingens sanctè ac purè accedentibus sit expectandus, quis eloqui est idoneus? nam siquis à rege quopiam ad regiam mensam amicè & comiter accersatur, ingentia is ab eo expectare beneficia potest, quantò maiora sperare debet à rege regum & Domino dominantium Christo, à quo tam benignè ad sui ipsius corporis & sanguinis mensam est inuitatus? Hęc itaque cogitantes, accuratius in posterum ac maiori cum sanctitate atque animi puritate ad tanta mysteria accedamus. ad quod opus adiuuare nos dignetur idem rex & Dominus noster Iesus Christus, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

Dan. 1.
Mat. 22.
ibidem.

ORATIO

ORATIO VIGESIMAPRIMA.

De Resurrectione.

CHRISTVS surrexit à mortuis.] uolo enim primam, postquam festa paschalia ingressi sumus, salutandi uestri uocem, & prima uerba ea esse, quibus per totos hosce paschales dies in orietali ecclesia Christiani uti solent. ubi enim quis hoc tempore alteri fit obuius, pro salutatione dicit, χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, hoc est, [Chistus surrexit à mortuis.] is uerò, qui salutatus est, respondet. ἀληθῶς ἀνέστη ὁ κύριος. hoc est, [uerè surrexit Dominus.] quem morem pietatis plenum optarim ego sanè & à uobis usurpari, ut his cœlestibus cogitationibus assuescatis. nam sicut uerba ex animi affectibus proficiscuntur, sic ex uerborum usu affici animi consueuerunt. [Christus ergo surrexit à mortuis,] & spem nobis excitandorum ad immortalem uitam nostrorum corporum ingentem dedit. ob hanc enim causam Paulus illum primitias dormientium appellauit, ut post primitias plena futura messis expectetur. [*Christus* (inquit) *surrexit à mortuis, primitiæ dormientium fuit. postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. sicut enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur. primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius.*] quemadmodum enim sol, dum luminis & caloris in se principium habet, efficit, ut quæcunque eiusdem luminis ac caloris partem amant, non nisi suo munere consequantur, sic spes omnis resurrectionis nostræ ad fontem ipsum & caput Christum Dominum referenda est, qui etiam rectè primitiæ dormientium appellatur, quem ante alios resurgere æquum fuit, sicut primitiæ ante factam messem offeruntur. quanta uerò Christianæ philosophiæ felicitas est, scire nos ad immortalem uitam excitandos, quod præstantissimi illi, qui rerum scientiam profitebantur,

1.Co.15 — *ibidem.*

bantur, tantum abest, ut sibi persuadere possent, ut rem etiam ridiculam arbitrarentur. at Paulus ne mirum quidem id esse ait. nam regem Agrippam alloquens dixit. [*quid incredibile iudicatur apud nos, si Deus mortuos suscitat?*] ad Corinthios uerò scribens, rem tantã solis à natura acceptis exemplis ac similitudinibus probat, ut eos, qui id non aduertunt, etiam stultos appellet, quasi qui rem ita patentem non intelligant. [*insipiens* (inquit) *tu quod seminas, non uiuificatur, nisi prius moriatur.*] ubi obseruandum, quàm nostræ philosophię ratio diuersa à cæteris sit, & quàm nostra purior atque expeditior. [Christus surrexit à mortuis] (delectat enim me ista repetitio) & quis nostrum cum illo resurrexit? hoc enim refert plurimi. nam si spirituali nunc resurrectione non resurgamus, erimus gloriosę illius cum Christo resurrectionis expertes. [*consepulti enim* (aiebat Paulus) *sumus cum Christo per baptismum in mortem.*] quare? [*ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.*] Cernis nouitatem uitæ imitationem esse suscitati à mortuis Christi? ex qua nimirum imitatione expectanda est beata corporum resurrectio. [*si enim simul cum eo patimur* (hoc autem est uitæ nouitas) *simul & regnabimus.*] Sed quibus indicijs agnoscimus, (dicet aliquis) nos cum Christo resurrexisse? hoc idem Paulus docet, [*si consurrexistis* (inquiens) *cum Christo, superna quærite, ubi est Christus ad dexteram Dei sedens, superna curate, non quæ super terram.*] quòd si terrenis adhuc adhærescere uos cernitis, proculdubio cum Christo non surrexistis. Et profectò damnum ingens facimus, cum pro caducis hisce rebus, fruendæ tantæ philosophiæ iactura fit, & homines inuentis frugibus glande uescuntur. quanta enim esset iucunditas, tam pulchris cogitationibus explere animum, quarum figuræ tantæ adhuc sunt admirationi? contemplare enim Ionam, quàm fuerit res admiranda, illum in mare proiectum, & tribus continuis diebus in uentre marinę belluę illæsum perdurasse, ac demum ad terram fuisse reiectum? at hoc figura fuit huius resurrectionis. nam ipse Dominus dixit. [*sicut fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*] Intuere item aristæum illum Samsonem, qui ingressus in hostium urbem, cum ab ijs obseruaretur, positis in porta urbis custodibus, media nocte

Marginalia: *Act.26.* — *2.Co.15* — *Rom.6.* — *Col.3.* — *Iona.2.* — *Mat.12.* — *Iud.16.*

AA appre-

apprehensas ambas portę fores cum postibus & sera, impositasque humeris suis portauit ad uerticem montis, egregiè Christum signans, qui confractis ac sublatis portis mortis, triumphum de hoste Diabolo retulit admirandum. hæc & alia, quæ ut recenseamus temporis ratio non patitur, cum & scitu & cogitatu digna sint, & umbræ tamen erant, quanto cum studio deberemus in

Act.8. hac rerum ueritate ac maiestate immorari? ueniat in mentem eunuchus ille reginæ Aethiopum, qui quamuis ignarus esset nostrorum mysteriorum, ita studiosè tamen legebat Esaiam prophetam. nos uerò, quibus arcana illa patefacta sunt, tam supini degimus. quid non conari deberemus, ut mens inferioribus hisce curis libera, tanquam abiectis impedimentis hęc Diuina mysteria intueretur? ob hanc causam dicebat Paulus.

1.Cor.5. [*expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, etenim pascha nostrum immolatus est Christus, itaque festum celebremus.*] uult omnem Christiani hominis uitam tanquam festum diem esse, & ueluti quotidianum pascha.

ibidem. & quoniam Paulus dixit, [*pascha nostrum esse Christum,*] significat, ea, quæ in Iudæorum paschate fiebant, figuram eorum esse, quæ in nostro essent facienda. iccirco operæpretium erit, aliqua (nam omnia persequi nimis esset longum) perscrutari, quæ in agni paschalis ceremonijs fieri pręcipiebantur. nam inueniemus

Exo.12. non pauca, quæ imitemur. Inter cætera ergo mandatur, ut, si minor numerus sit, quàm ut sufficere posfit ad uescēdum agnū, assumatur uicinus iuxta numerū animarum, quæ sufficere possint ad esum agni. hoc uos præstabitis, si dabitis operam, ut, quod uos uestra intelligentia in his mysterijs assequi idonei non estis, id proximi cuiusque auxilio, & mutuis colloquijs ac meditationibus assequi conemini. iubentur azymis, hoc est, minimè fermentatis ue

1.Cor.5. sci panibus, quod aperiens Paulus dixit. [*non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis.*] nam [impuro (ait quidam) purum tangere nefas est.] adduntur lactucæ agrestes, siue, ut Hebræa habent, amaritudines, per quas intelligebantur omnes amaræ & subacerbę hęrbæ, quarum gustu Iudæi recolebant amaram seruitutem, à qua Deus eos liberauerat. hoc multò, à nobis magis præstandum est, & cogitandum quanta hæc fuerit liberatio, cum non una Hebræa gens à corporea ac temporaria, sed totum nostrum genus à spirituali atque æterna captiuitate

uitate ac morte fuit liberatum. quam liberationem iam in foribus intuens Zacharias pater præcurſoris aiebat. [*ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.*] Deinde admonentur, ne comedant crudum quid ex agno. neque coctum aqua. crudis ueſci carnibus proprium eſt animalium ratione carentium. oportet ergo, ut qui Chriſtianum paſcha celebrare uolunt, meminerint ſe animantia eſſe ratione prædita, à qua regantur, non ab appetitionibus atque affectionibus, quæ cum beſtijs ſunt communes. neque coctum aqua, inquit. aqua res fluxa eſt, & huic comparantur diuitiæ. iccirco aiebat propheta, [*diuitiæ ſi fluant, nolite cor apponere.*] [*ne erigas* (ait Salomon) *oculos ad opes, quas tenere non poteris, quia faciunt ſibi pennas quaſi aquilæ, & uolabunt in cælum.*] quid enim diuitijs inconſtantius? non tam uagi ſunt campeſtres Scythæ, [quorum plauſtra] (ait quidam poëta) uagas rite trahunt domos,] quàm diuitiæ, quæ identidem mutant Dominos. quas enim nunc habetis domos & agros, quot ante uos habuerũt poſſeſſores? & quot uobis decedentibus ſunt habituri? erat apud Græcos uulgare prouerbium, ut cum agrum cernerent aliquem, dicere ſolerent, ἀγρὲ πόσων ἦς, καὶ πόσων ἔσῃ. hoc eſt, [ò ager quàm multorum fuiſti, & quàm multorum futurus es?] abijcienda eſt itaque pecuniarum & opum cupiditas Dominicum paſcha celebraturis. [*qui uolunt diteſcere* (ait Paulus) *incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas ſtultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum.*] at paſcha celebratur, ut ab interitu uindicemur. Videamus etiam quo habitu corporis eſſe oporteret. [*renes* (inquit) *ueſtros accingetis, & calceamenta ueſtra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.*] renes ſeruire ferũt generationi, per quod carnis laſciuia intelligitur, quemadmodum & in Euangelica parabola cum reſponſum eſt, [*uxorem duxi, & ideo non poſſum uenire.*] docemur ergo per renum accinctionem, ut carnis appetitiones cohibeamus, ne pareatur eius concupiſcentijs. [*debitores enim ſumus* (ait Paulus) *non carni, ut ſecundum carnem uiuamus, ſi enim ſecundum carnem uixeritis, moriemini, ſi uerò ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.*] quod uerò ait, calceamenta habenda eſſe in pedibus, illud eſſe uidetur, quod apoſtolus quaſi interpretans ait, [*calceati pedes, in præparationem Euangelij*

Marginal references: *Luc. 1.* — *Pſal. 61.* — *Pro. 23.* — *1. Tim. 6.* — *Exo. 12.* — *Luc. 14.* — *Rom. 8.* — *Ephe. 6.*

pacis,] uel etiam ut tanquam hospites nos agnoscamus, paratiq; semper ad proficiscendum simus. sed cur, cum Moses cernere uoluit miraculum rubi, qui arderet & non consumeretur, dictum ei
Exo.3. fuit, [*solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est?*] duo in calceamento sunt consideranda, non solum quòd ad munimen pedum sit, uerum etiam quòd ex ipso ingressu aliquid semper sordium colligat. ex hac posteriori causa uidetur dictum Mosi, ut exueret calceaméta, quare significabatur, mundum esse oportere omni ex parte eum, qui ad cœlestes uisiones & Diuina mysteria intuenda esset admittendus. hic uerò defensionis gratia (nam inter scorpiones ambulandum est) iubentur haberi calceamenta, siue etiam (ut diximus) ob præparationem ad iter,
Exo.12. cuius causa etiam dictũ est, [*tenentes baculos in manibus,*] quemadmodum & Dominus cum prohiberet discipulis profecturis ad prædicandum, ne quicquam secum ferrent, permisit uirgam. additum etiam est, ut comederent festinanter. nimirum ut auidè ac tanquam famelici ad hæc mysteria accedamus. nam esurientium mos est comedere festinanter. quam uerò ob causam hęc mandan
Exo.12. tur? [est enim phase (inquit) hoc est, transitus Domini.] in Hebræo est פֶּסַח, quod Gręci uerterunt pascha. Latinus interpres hoc loco uertit phase. & quod ad literam quidem pertinet, illud est,
ibidem. quod eodem loco sequitur. [transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti.] & paulo post;
ibidem. [erit sanguis uobis in signum in ædibus in quibus eritis, & uidebo sanguinem & transibo uos, nec erit in uobis plaga disperdens.] sin ueritatem, cuius hæc umbra fuerunt, quæras. pulchrè interpretatus fuit Euangeli-
Ioan.13. sta cum dixit, [*ante diem festum paschæ, sciens Iesus quòd uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem.*] allusit enim ad pascha, docuitque cuius rei figura fuerit pascha Iudæis datum. postremo
Exo.12. additur, [habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus uestris cultu sempiterno.] ob hanc causam
1.Cor.5. dixit Paulus; [*pascha nostrum immolatus est Christus, itaque festum celebremus.*] neque enim hoc dixit, quòd tunc pascha esset, uerũ ut iugis sit semperque recens apud Christianos harum rerum memoria, perinde quasi continuum pascha essent celebraturi. Diximus quàm potuimus breuissimè, quę potissimum circa immolationem paschalis agni signata, à nobis in hac rerum ueritate sint

obſeruanda. ſed non minus inſpiciendum eſt, quod poſt celebratum paſcha illis accidit. nam poſt interſecta omnia primogenita; cum territi Aegyptij urgerent Iſraëlitas, ut diſcederent, quin & ipſe Pharao accerſitis Moſe & Aaron dixiſſet, [ſurgite egredimini à populo meo uos & filij Iſrael,] nihilo tamen minus mutatum eſt cor Pharaonis, & iuncto curru coactoque non paruo exercitu, rurſus eos in ſeruitutem agere conabatur. ita nunc Diabolus, quem figurabat Pharao, contra uos aget, & ſi enim capitalia peccata, ueluti Diaboli primogenita per exhomologeſim extincta à uobis ſint, non deeſt tamen recens exercitus, quo uos totis uiribus expugnare conabitur. danda igitur opera eſt, ut hic exercitus obruatur tanquam marinis fluctibus ſic nouitate uitę, faciendumque quod admonet beatus Petrus. [*quaſi modo geniti infantes* (inquit) *rationale lac, quod dolum neſcit, appetite, ut in eo creſcatis.*] uult ergo per hæc uerba, ut efficiamur noua creatura, quod quàm ualde ſit neceſſarium, in hac eadem Iſraëlitarum hiſtoria ſic cognoſcite. poſtea enim, quàm ſiccis pedibus mare tranſierunt, poſt Pharaonem eiuſque exercitum ęquoreis undis ſuffocatum, è tam ingenti tamen Iſraëlitarum exercitu nemo præter duos in terram promiſſam, ita uehementer optatam, ingreſſus eſt: quo facto quid ſignificatur aliud, quàm eos etiam, qui noua creatura ſunt facti, minimè debere ſecuros degere. quòd ſi hos uigilare oportet, quantopere illis trepidandum eſt (quæ utinam non ſit pars maxima) qui ob conſuetudinē potius quàm intimis affectibus reuerti ad cor uiſi ſunt? cupio uos meminiſſe, quod ego uos in quadrageſima admonui, quòd uidelicet eo tempore dormiret Diabolus, dum ſperaret ſe poſt paſcha uos iterum in poteſtate habiturum. quare nunc expergefactus eſt, & omnibus utitur machinis, ut in priorem ac deteriorem etiam redigat ſeruitutem. non erat (ſi fateri ueritatem uultis) tam acer per eos dies, quibus per pœnitentiam reuerti ad Deū quærebatis, ad uos ab illa cogitatione auocandos, quàm nunc eſt ad exſtimulandum, ut ad priora facta reuertamini. non eratis tūc mulieres (certò ſcio) tam acriter uexatæ ad pingendam faciem, atque ad ueſtium pompas exquirendas, quàm nunc in dies magis eritis, ob eam nimirum cauſam, quam dixi, quòd tunc data opera uerſutiſsimus dormiebat, ut ſuo atque aptiori tempore expergiſceretur. at hoc ipſum tempus eſt à paſchate uſque ad quadrageſimam,

Exo. 12. — 1. Pet. 2. — Exo. 14.

simam, toto uidelicet anno, idque annis singulis, quod nihil est aliud, quàm tota uita à Diabolo detineri captiuos. O tenebras, ô stupiditatem. tantum errorem non intelligere, neque unquam ab eo auocari. quare nunc quàm maximè adhibenda custodia est, ne eodem reuoluamini, & circuitum identidem agatis miserandum, dicaturque & de uobis, [*in circuitu impij ambulant.*] obseruate singuli uosmet ipsos primum, deinde eos, quorum prauis moribus uitiosa fieri ciuitas solet. nam si aliquot annos uestra ciuitas in sæuissimi alicuius tyranni fuisset potestate, tandemque summo labore pulsus urbe tyrannus, reditum moliretur, quid non caueretis, ne rursus sub illius seruitutem ageremini? quòd si quos è ciuibus cum illo sentire intelligeretis, supremo illos crudelissimoque supplicio afficeretis. an hoc non multò est studiosius faciendum in fugienda Diaboli tyrannide, cuius feritati Phalarides comparati, oues mitissimæ iudicarentur? non uos alliciat ad peccandum damnosa illa spes (nam peccare in spe blasphemia est in spiritum sanctum) consequendæ ueniæ, sed in hac parte id agendum est, quod in corporum morbis solemus. ubi enim quis è periculoso aliquo morbo est recreatus, non facile in morbum libens incidit hac spe, fore scilicet, ut conualescat. quin potius superioris periculi memor, ea uitat, ex quibus coniectat se prius in morbum incidisse. quod eò studiosius est faciendum in tuenda animæ salute, quantò illius salus corporis saluti est magis anteponenda. at contra nunc fit. nam corporis incolumitatem summo studio & recipere, & receptam tueri curamus, illam uerò animæ ita negligimus, ut magna hominum pars sponte se offerat objiciatque periculis, nulla illius salutis habita ratione. Multum uerò proderit ad uos in officio retinendos, horum mysteriorum, quæ commemorauimus, assidua meditatio. sicut enim peccatorum, in quæ tam sæpe incíditis, causa ferè est, habere animum semper humi defixum, sic contra, mentem attollere ad cœlestes Diuinasque cogitationes, maximum est ad cauenda peccata perfugium. neque aliam ob causam Diabolus occupatos uos in terrenis negocijs detinere quærit, nisi ut uacandi Deo ocium desit. quod in Pharaone signatum fuit. qui, ubi Israëlitæ postularunt, ut ire permitterentur ad sacrificandum Deo, iussit, ut maiori operum onere grauarentur. [*abundant* (inquit) *ocio, & iccirco uociferantur dicentes, eamus & sacrifi-*

Psal. 11. (margin, beside "dum, dicaturque")

Exo. 5. (margin, beside "[abundant")

sacrificemus Deo nostro. opprimantur operibus, & nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius, sed ipsi uadant & colligant stipulas, & mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam.] sic nimirum Diabolus, nisi circunspectè agatis, ubi primum uiderit, uelle uos aliquantò plus solito uacare Deo, grauioribus obruere curis conabitur. quare uim ipsi uobis & superioribus studijs uestris adhibete, & tantis mysterijs incipite assuescere, atque in primis cogitate, quid hisce diebus sit factum, & quem ad finem crux feratur. actus fuit in crucem Dominus Iesus Dei filius, teterrimum ac crudelissimum mortis genus, probris uarijs affectus & contumelijs: [*omnes* (inquit) *uidentes me, deriserunt me, locuti sunt labijs & mouerunt caput, dicentes, sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.*] uisus fuit, ut prædixit Esaias, [*nouissimus uirorum & percussus à Deo.*] quid ergo? propter hoc extulit illum Deus in ingentem celsitudinem, donauitque [*illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus.*] audistis gloriosum atque admirandum finem crucis? ad hanc ergo ferendam animemur, si enim moriamur cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo. quod utinam assequi contingat, iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor, potestas, & imperium, & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen.

Psal. 21. *Esa. 53.* *Phil. 2.* *Rom. 6.*

ORATIO

ORATIO VIGESIMASECVNDA.

De Ascensione Domini.

ADMIRANDVM ego uobis hodie ac prætereа felicissimum nuntium sum allaturus, quod quanti faciendum à uobis sit, licet hoc exemplo intelligere. si enim à Paulo tertio pont. max. sub cuius ditione atque imperio estis, hic hodie nouum diploma recitarem, quo immunitas uobis à uectigalibus uel perpetua uel ad aliquot annos donaretur, iudicaretis me dignum, qui ob tam felix allatum nuntium ingenti aliquo munere donarer. si uerò præterea adderem, hanc urbem factam ab eodem Paulo totius Vmbrię prouinciæ reginam, existimaretis inueniri non posse dona tanto nuntio digna. resonaret ęther clamoribus, publicum epulum, publici ludi instituerentur, priuata fierent solennia conuiuia, in tanti muneratoris honorem ingenteis pecunias insumeretis, quotidiani sermones per multos mēses de re nulla essent alia, quàm de futura posthac huius urbis felicitate. at nuntium quod ego uobis affero tam ingens est, ut hoc, quod pro exemplo posui, nihil à puerorum ludo distare uideri posit, aut, si malitis, scenę ac fabulę simile, quę dum agitur, oblectat quidem non nihil, sed post exiguum horarum spatium, nihil ex ea relinquitur, nisi interdum locus scenæ. quod dum cōtemplaretur sapientissimus

Eccle. 1. ille Salomon aiebat. [*generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat*.] ut uidelicet terra sit loco scenæ, in qua fabula agatur, quæ uerò in ea fiunt, nihilò plus firmitatis habeant, quàm in fabula actus. uerum hoc quod dicturus sum, sempiternam atque immortalem felicitatem est habiturum. sed quod tandem illud est? hodie Iesus Christus filius Dei naturam hanc nostram super omnes cœlos, ultra beatorum spirituum & Diuinarum illarum mentium dignitatem ad Dei patris dexteram collocauit.

cauit. quòd nam hoc nuntio maius aut auditum unquam fuit, aut potuit excogitari? & tamen tam ingens beneficium, ò rem & dictu & auditu turpissimam, sed dicenda est omnino utilitatis ue stre gratia, tam ingens inquam & tam minimè expectatum beneficium ita negligitur, ut quantum mihi uideor data opera quæsiuisse, maxima Christianorum pars sit, qui quid ascensionis nomen significet, prorsus ignorent. uerum quicunque spiritu Dei aguntur, & in hos thesauros rerum ingressi sunt, ij soli intelligere sunt idonei Christianæ philosophię bona, quæ cum sæpe aliâs, tum in primis ad Ephesios scribens Paulus exprimere conatus est, & precabatur Deum, ut fidelibus essent petuia. sic enim dixit. [*Ego cum audissem eam, quæ in uobis est, fidem in Domino Iesu, & charitatem in omnes sanctos, non desino grátias agere pro uobis, mentionem uestri faciens in precibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem sui illuminatos oculos mentis, ut sciatis, quæ sit spes, ad quam ille uos uocauit, & quàm opulenta gloria hæreditatis illius in sanctis, & quæ sit excellens magnitudo potentiæ illius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, ac potestatem, & uirtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, nõ solum in hoc seculo uerum etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ.*] Libuit enim integrum recitare locum, ut prę oculis haberetis tantarum rerum maiestatem, quas uix mihi uidentur ipsi angeli satis admirari posse. multum nobis abundè fuisset audire, nos aliquando in angelorum consortium esse admittendos. at naturam ipsam nostram in Christo collocandam, atque adeo iam esse collocatam ad dexteram Dei, hoc uerò omni admiratione est maius. nam quòd nos in ipso Christo hanc assecuti simus dignitatem, ostendit idem Paulus in ea ipsa epistola, cum ait. [*Deus, qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos una cum Christo. simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus.*] cernis nos iam per Christum resurrexisse, & cõsidere cum illo in cœlestibus? ubi & apud quos, cum à Christiana philosophia recesseris, magnifica ista reperies?

Ephe. 2.

ibidem.

aut quam in hac uita quamuis supremam felicitatem, si cum his conferas, non rem potius ridendam, quàm plurimi faciendam iudicabis? quę dum cogito, atque interea à nostris conspicio non attendi, summo mœrore conficior, illudque repetere cogor, quod sępe alias memini me dixisse, prętare scilicet, ut uestri liberi in syluis educarentur, quàm quo eos pacto educatis. nam, si postea, quàm adoleuissent, admitterentur ad hęc mysteria, raperentur continuò in eorum admirationem, eisque afficerentur. nunc uerò dum identidem filiorum animis inculcatis diuitias, honores, fastum, & ijs uos toto pectore affixos conspiciunt, hęc quidem intimis sensibus percipiunt, Christiana uerò mysteria ad aurium duntaxat superficiem admittuntur. quę si ad animi interiora reciperentur, nihil dubitandum est, futurum fuisse, ut priora nascentis ecclesię redirent tempora, quibus facultates omnes ad apostolorum pedes proijciebant, & res humanas omnes, ac uitam etiam ipsam pro nihilo putabant. assecuti enim fuerant mente atque animo hanc rerum magnitudinem ac maiestatem. [nunc autem (ut rectè olim quidam externus dixit) simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuò prauitate & in summa opinionū peruersitate uersamur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse uideamur.] Hęc itaque tam ingentia bona hodie collata nostro generi fuerunt, & non uel trecenti mei posthabita terrenorum omnium memoria per totos hosce dies in ijs suas cogitationes exercebũt, neque munus aliquod egregium prępatabũt, quod Christo & Christi fratribus offerant? quòd si pręterea cogites, quo tempore hoc fuerit factum, cum scilicet hactenus inimici fuissemus, & acres cum Deo simultates exercuissemus, nónne hęc adiectio extasim uobis parere idonea est? sed uideamus adhuc, quid sol noster Paulus in horum mysteriorum recordatione fideles admoneat. [si consurrexistis (inquit) cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. superna curate, non quæ sunt super terram.] ait eos, qui cum Christo surrexerunt, hoc est, qui in nouitate uitę (ut alibi declarauimus) ambulare decreuerunt, quę est quędam resurrectionis Dominicę imitatio, debere superna quęrere. & causam mox addit, quamobrem hoc sit faciendum. [ubi Christus (inquit) est, ad dexteram Dei sedens.] quid tum? dicet aliquis. Christus caput nostrum est, quid autem magis expetendum est reliquo corpori, quàm ut capiti suo

Iudi. 7.

Coloss. 3.

iunga

iungatur? Christus frater noster est. quis autem uestrum acceptâ fama, quòd frater in regnum sit euectus, non continuò excitetur, & uidendi regis fratris inflammetur desiderio, ut nihil ei longius uideatur, quàm ut illum inuisat, illoque fruatur? uideret hunc exiguas quas haberet facultates pro nihilo putare, & eas abijcere. quin reperti sunt, qui ad longè inferius nuntium gestientes lætitia, ædes ac palatia coniectis ignibus consumpserint, & ingentem facultatum iacturam fecerint, quam tamen non agnoscerent iacturam, ob multò maiorem bonorum expectatam copiam. hoc multò profectò magis præstaremus, cum audimus Christum fratrem nostrum ad dexteram Dei sedere, si quid Christiani pectoris in nobis esset: sic enim mecum quæso castigate. ad terreni regni nomen tam uehementer homines permouentur, ut pro eo assequendo non recusent mortis periculis sese obijcere, & rerum iacturam maximam facere, quamuis sciant, se breui eo honore potituros, neque tuti sint, quàm diutius posteri sui illud sint habituri, ut aliquot horarum fabulæ uideatur quàm simillimum. regnum uerò, quod Christus frater noster non sibi solum, sed nobis omnibus comparauit. ipse enim dicturus est. [*uenite benedicti patris mei, possidete regnum.*] & Paulus. [*hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*] hoc inquam regnum primum ea magnitudine est, ut totius terræ regnum, si cum illo conferatur, exiguo puncto sit simile, deinde nullum finem est habiturum, sed beata æternitate perpetuandum. cur ergo tam frigidè atque adeo tam nihil rem tantam curamus, nisi quòd istud uix ad corporis aures admittimus, tantum abest, ut in animum penetrare patiamur? sequitur [superna curate, non quæ super terram.] quid enim iam nobis cum terra negocij esse debet, qui facti sumus [*ciues sanctorum & domestici Dei?*] Non pudet tantam dignitatem ad res tam abiectas demittere? nec timemus, ne ob ingratitudinem ista à nobis auferantur? cautum olim apud Romanos fuit, ut quicunque ciuitate Romana fuisset donatus, si postea alterius ciuitatis esse ciuis uellet, Romanam amitteret ciuitatem, quòd uidelicet urbi Romæ fecisse iniuriam uideretur. qui uerò proposita cœlesti ciuitate terram adhuc amplexantur, digni profectò sunt, qui illa ità neglecta atque contempta priuentur. Videte uerò causam cur hęc uelit Paulus. [mortui enim (inquit) estis, & uita uestra abscondita est cum

Mat. 25.
Rom. 8.
Col. 3.
Ephe. 2.
Col. 3.

Christo in Deo.] audis qualem nos arripere philosophiam iubeat
ibidem. Paulus? [mortui estis,] inquit, uult nihilo nos magis affectos esse terrenis hisce rebus, quàm sint mortui. qui mortuus est, nō quærit diuitias, honores non ambit ac dignitates, non curat pretiosis uestibus ornari, non magnificas ædes exstruit, non quærit satellitium, iniuria affectus nil commouetur. si ergo mortui sumus, eadem præstanda à nobis sunt. quam ergo habebimus excusationē, cum ante tribunal Christi obijcientur nobis ij luxus, eæ pompæ, quæ Christianos mores peruertunt, & ob quæ Christi fratres inopia conficiuntur? dicemus uoluisse nos (ad quod unum aut certè præcipuum refugere solent homines) pro nostra conditione honestè uiuere? sed respondebitur, non audistis, uos, ubi hanc philosophiam professi fuistis, iam tunc esse mortuos? at mortuis non ista curantur. hęc una uox omnes, quas nūc uobis frustra prętexitis, & quibus uehemēter nitimini, causas euertere idonea erit.
ibidem. [Mortui (inquit) estis,] tantúm ne? immo [& uita uestra abscondita est cum Christo in Deo.] quòd mortuos (inquit) uos esse oportet,
Ioan. 10. non ideo fit, ut uita priuemini, uenit enim Seruator Christus, ut uitam habeatis, & abundantius habeatis, sed ut pro ea uita, quæ umbratilis est, & mors potius, testibus etiam ethnicis philosophis, appellanda quàm uita, alteram habeatis ueram atque perpetuam,
Col. 3. quæ nunc quidem iam extat, sed nondum apparet, [abscondita est enim cum Christo in Deo,] & illis æternis sedibus, suo tempore reuelanda. illa ergo est uita uestra, non hæc, quam putatis. quo enim pacto hæc uestra est, cuius nę momentum quidem in potestate habetis? an domum quampiam uestram iudicaretis, quæ ea conditione data uobis esset possidenda, ut omnibus horis auferri à uobis posset? non opinor. eadem est huius uitæ conditio, in qua tāquam in diuersorio sumus, post paulò profecturi. Hæc cogitatio ad omnia uos rectè facta inuitare poterit, atque animare. quis enim eorum, qui tam anxiè opes quærunt, hanc parandarū opum rabiem non deponat, si cogitet, hanc uitam ad se minimè pertinere?
ibidem. quis honores ambiat, ubi meminit à Paulo dictum, nos mortuos esse? quis lasciuiam carnis non coërceat, ut uita illa, quę cum Christo abscondita est, non priuetur? quis non profusè liberalis sit, cum sciat, se tam ingenti retributione munerandum? afficeris à quopiam inimico iniurijs ac contumelijs? recordare te esse mor

tuum

tuum, & sedabitur omnis turbatio. an monstro non est quàm simillimum, cernere mortuum lacessitum ab inimico, respondere? si uos mulieres mortuas esse uos, quemadmodum hodie à Paulo edoctæ fuistis, certissimè uobis persuaderetis, nunquam profectò facies pingere, atque in tot ornamenta tam multas pecunias insumere pateremini. si qua enim à uobis moritura iuberet, ut post mortem eædem uanitates corpori circumponerentur, & cum ea essent in sepulchro, quo tempore corpus scateret uermibus, nónne eam insanissimam iudicaretis? at eadem propemodum uos laboratis insania, quæ audientes ex Paulo, uos esse mortuas, nihilo tamen minus ita mortuæ insanitis. Hæc eadem cogitatio efficeret, ut liberos uestros optimè educaretis, cum enim fixum hoc animo esset, Christianum hominem esse mortuum, ad eam profectò uitam illos formaretis, quam audistis absconditam esse cum Christo in Deo. scopum hunc unum illis proponeretis, doceretisque eos omnino diuersa ab ijs, quibus nunc eos imbuitis, ostenderetisque nihil magis obsistere, quò minus hæc optanda uita comparetur, quàm opum honorumque appetitiones, atque huius uitæ solicitudines ac curæ. Sed quando hæc tandem beata ac nostra uita expectanda est? [cum apparuerit (inquit) Christus uita uestra, tunc & uos apparebitis cum illo in gloria.] nam uenturum illum præter id, quod ipse pollicitus est, angeli etiam hodie admonuerunt. sic enim ex Actis lectum est. [*cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt, uiri Galilæi quid admiramini aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum ascendentem in cælum.*] [cum ergo apparuerit Christus uita nostra, tunc & nos apparebimus cum illo in gloria.] Miseros nos, qui tantum rerum umbram sequimur. nihil enim ab hominibus magis expetitur, quàm uita, & solam uitæ umbram sectantur, neque scire student, ubi uera sit uita. audis ergo Christum esse uitam nostram, sicut & ipse dixit, [*Ego sum uia, ueritas, & uita.*] hæc uita cum apparuerit, [tunc & nos apparebimus cum illo in gloria.] qua gloria? audi apostolum. [*Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humile nostrum, ut conforme sit corpori eius glorioso.*] & Dominus ipse, [*fulgebunt* (inquit) *iusti sicut sol in regno patris eorum.*] miraris si ob tantorum bonorum spem aiebat Paulus de

ibidem. *Act.* 1. *Col.* 3. *Ioan.* 4. *Col.* 3. *Phil.* 3. Mat. 13.

ijs

Phil. 3. ijs ipsis rebus loquens, [*conuersatio nostra in cœlis est?*] promittitur nostro corpori species ut solis, atque adeo eadem gloriæ figura, quam gloriosum Christi corpus habet, & possumus adhuc his somnijs adhærescere? quæ Geenna satis erit ad tam ingratum genus castigandum? ne quæso, ne tam stertamus diu, sed animos nostros ad hæc felicia promissa aliquando erigamus. Et quando decimo ab hinc die, solennis pentecostes dies agendus à nobis est, in

Act. 2. quo copiosa spiritus sancti uirtus in fidelium cordibus effusa est, ut tanti doni contingat & nos participes fieri, meminerimus quid

Luc. 24. ascensurus Dominus apostolis dixerit. [*uos* (inquit) *sedete in ciuitate Ierusalem, donec induamini uirtute ex alto.*] sedendum, hoc est, agendum est ocium ab externarum rerum cura, ut apti simus cœlestibus hisce donis accipiendis. hoc fecerunt apostoli in hoc horum dierum interuallo, qui ubi uiderunt eum ferri in cœlum,

ibidem. adorato eo [*regressi sunt Ierosolymam cum gaudio magno, & erant*

Act. 1. *semper in templo, laudantes & benedicentes Deum.*] & in Actis apostolorum. [*hi omnes* (inquit) *perseuerabant unanimiter in deprecatione & obsecratione cum mulieribus & Maria matre Iesu, & cum fratribus illius.*] hos & nos imitati quotidianis precationibus operam demus, & Christo Domino inuocato dicamus cũ ecclesia.

[O rex gloriæ Domine uirtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos spiritum ueritatis.] cum quo & eodem patre uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMATERTIA,
habita in ſenatu Fulginenſi.

CERNEBAM aliquot iam menſes oportere me in hoc ſenatu, uenerandoque conſeſſu uerba facere multas ob cauſas, ſed quando eiuſmodi negocium eſſe frequens nó debet, expectabã, dum grauior aliqua urgeret neceſsitas, qua exiſtente omnia uno tempore poſſem commemorare, quę cum mihi nunc uiſa ſit accidiſſe, iudicaui hodiernum diem huic concioni eſſe opportunum. in qua omnia, quæ mihi dictu uidentur neceſſaria, ueſtræ utilitatis ac totius ciuitatis gratia, quàm potero breuiſsimè explicabo. Vt autem primum illud aggrediar, cuius gratia accelerandum iudicaui meum in ſenatum aduentum, meminiſtis, me publicis in templo concionibus adhortatum uos fuiſſe, ut ſedulo daretis operam, quò ſtructura illa templi, quam cupulam appellatis, maturè abſolueretur, quando aliquot iam nummorum aureorum millia inſumpta in eius fabricam ſunt, & quod reſtat impendendum exiguum eſt præ eo, quod iam eſt impenſum. at uerò cum cernerem negocium frigidè tractari, admonui aliquoties præfectos operis, admonui magiſtratum, ne ceſſarent, ſed nihil uidebam profici. quin audiebam præterea quotidie aliquid imminui de ea pecuniæ ſumma, quæ de publicis uectigalibus ipſi fabricæ fuerat aſsignata. hæc ego cernens & admonitus etiam ab architecto, fore, ut, ſi plus æquo prorogetur res, tota fabrica corruat, curaui tanto periculo atque imminenti damno occurrere pro uirili mea. uideo enim, ſi res tanta, (quod prohibeat benigniſsimus Deus,) tantuſque labor perdatur, non ſolum damnum ingens futurum, ſed maximam præterea ignominiam uobis totique ciuitati eſſe inurendã. quid enim Paulus tertius pont. max. qui tantam pecuniæ ſummam in hoc opus inſumendam largitus eſt, quid Blaſius Palladius, qui interceſſor eius habendæ fuit, ſunt dicturi?

quem

quem posthac iuuandi uestri animum illis relinquetis? metus etiam est, nequa & mihi negligentiæ culpa impingatur, quæ res acriores etiam alloquendi uestri adhibuit stimulos, quanquam nullam ego mihi uideor partem, cum hanc impleuero, quæ præ manibus est, officij mei prætermisisse. quod adeo sic cognoscite. Cum uidissem huius fabricæ opus eò fuisse perductum, ut quod reliquum est, explere ciuitas posset, hortatus fui ciues in publica concione, ut strenuè, quod deesset, absoluere curarent, nos interea daturos operam, ut ex ea pecunia, quam coactam ex ijs, quæ ad pias causas relicta essent, haberemus, sedes episcopi & canonicorum, cæterorumque sacerdotum fierent, pudendum enim nimis esse, locum, ubi res Diuina quotidie agitur, ita omni ornamento nudum cernere in tam illustri ciuitate, cum oppidulum uix ullum reperiatur, quod eam templi partem non habeat ornatiorem. hoc plenum & pietatis & rationis consilium intellexi uobis displicuisse propterea, quod expectaretis, ut eam pecuniæ summam uobis assignarem in hanc fabricam impendendam. ego, qui cupio cum
1.Cor.9. Paulo omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciam, nequa fieret turbatio, sedare hunc uestrum appetitum uolui, & mutato consilio omnem obtuli pecuniam, & nihilo tamen minus uidebam uos negligere prouinciam, quod cum mirarer, deprehendi hoc ex multa quorundam uestrum ignorantia proficisci. audio enim dictum superioribus diebus in hoc senatu fuisse, negocium hoc non ad ciues sed ad clerum pertinere, perinde quasi totum hoc nō uestra sed illorum intersit, qui error opinionis nisi à uestris mentibus auellatur, mala, quæ dudum commemoraui, secutura omnino sunt. quare dum hac de re loquor, quæso, ut, quemadmodum facitis, me attentè audiatis. nam intelligetis rem longè diuerso modo se habere atque à uobis creditur. Clerus & sacerdotalis omnis ordo non sui sed populi gratia est institutus. sublato enim populo, nullus sacerdotum usus est necessarius, qui suis in ministerijs omnibus populo inseruiunt in ijs, quæ ad Deum pertinent. templum uerò locus est, in quo sacerdotes Diuina uobis sacramenta administrant. quòd si sacerdotes ipsi, uestri causa ministri Dei sunt, nimirum locus etiam ipse, in quo seruiunt, propter uos constructus est. nónne cernitis atque experimini, quantum ad componendum interiorem hominem iuuet structura ipsa atque ornatus

natus

natus templi, cum in illud uos recipitis, ut aliquantum à mundi tumultibus uos uindicetis? si ergo templum uobis uestrisque usibus factum est, quænam est uecordia iudicare structuram templi ad clerum pertinere? sed esto, concedatur (scimus enim quid leges canonicę hac de re disputent) hoc cleri esse munus, ostendam tamen, uos esse impedimento, quo minus clerus hoc præstet. Respondete enim mihi, quibus ex pecunijs uultis clerum templum ędificare? nimirum ex fructibus ecclesiasticis. at hos fructus quis possidet? an non præter uictum & cultum sacerdotum, uos ecclesiasticas omnes facultates alendis filijs, locandis filiabus, pascenda familia, amplificandis domibus deuoratis? exspoliatis Christum, & uultis præterea ut ipse se uestiat? quibus rebus? aëre & hoc spirabili elemento? cernitis in quot se laqueos cęca mens & à Deo aliena induat? & quàm multa in hunc modum peccatis, quæ ne peccata quidem esse intelligitis? Quod uerò de ecclesiasticarum facultatum dilapidatione dixi, ferendum hoc esset, si malum longius non progrederetur, sed quod magis me solicitum reddit, illud est, quòd eiusmodi homines nō intelligunt se ob hæc facta esse in Geennam præcipitandos. nullam enim inter ecclesiasticos fructus, & paternam hæreditatem differentiam faciunt, nisi quòd animosius Christi facultates consumunt, & nihil se tamen peccare agnoscunt. atque illis accidit, quod in corporibus usu uenit, in quibus membrum, quod dolorem non sentit, mortuum est, & morbus qui non sentitur, curari non potest. Hæc & huius generis alia inique facta offundunt animo tenebras, ut cum aliquid deliberandum est, nihil synceri queat iudicari. ob hanc causam cum huc conuenitis, non eum præfigitis uobis scopum, qui esse deberet, publicè uidelicet utilitatis consideratio, neque uenit in mentem, senatum hanc unam ob causam factum, sed princeps uestra (probos semper excipio, quibus hunc consessum non omnino priuatū existimo) cogitatio est, quo pacto res quę tractanda est, priuatis inseruire commodis possit, & nunquid pecuniæ ex publicæ rei administratione corradere possitis, & ex hoc auaritiæ uitio sequitur aliud non minus perniciosum ciuitati, dissidia uidelicet, odia, æmulationes, dum quisque alterius consilia, quæ suis appetitionibus contraria sentiat, irrita facere studet, quo fit, ut

quicquid decernitur, rarissimè in reipublicę commodum desinat, & locus hic, qui domicilium pacis esse debuerat, templum potius Martis appellari iure posit. Non pudet nos ab ethnicis superari, qui, præsertim apud Romanos, in administranda republica dabant operã, ut [priuatus census esset breuis, commune magnum,] qui, cum maximos thesauros ex subactis prouincijs in ærarium intulissent, nihil in domum suam patiebantur inferri. quin ne filiorum quidem uitæ parcebant, ubi reipublicæ salus agebatur: & hæc ij præstabant, qui sine Deo erant. nos uerò, quibus ab infantia Christiana ueritas est proposita, nullo Dei timore sumus præditi. Non huius generis homines, qui populo præessent,
Exo. 18. iussus fuit Moses eligere. [*sed elige (inquit) uiros timentes Deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiam.*] omnia scilicet
Eccl. 1. contraria ijs, quæ à uobis fiunt. [*timor Dei (* ait uir ille sapiens) *expellit peccatum.*] non hæc fierent, si esset timor Dei ante ocu-
Psal. 15. los uestros, & proponeretis (ut ait propheta) Deum ante conspectum uestrum. dum autem dominatur uobis auaritia, nullus
1. Tim. 6. malorum atque errorũ finis expectandus est. [*radix enim omnium malorum est auaritia.*] Veritas uerò tunc in uobis erit, si non personarum, sed rei, qua de agitur, ratio habeatur, si, cum cernitis ciuem quempiam malè rempublicam administrasse, cogatis illum suæ administrationis rationem reddere, neque parcatis propterea, quòd uel coniunctus sanguine sit, uel amicus, uel nę ob hanc causam damno uos aliquo afficiamini. hęc enim impediunt, ne rerum ueritatem assequamur, & sanè si ob modestiam ciuibus uestris parceretis, ne hoc quidem esset rectum, sed magis ferendum tamen, uerum cum uideam unumquenque uestrum, ubi unius assis. atque adeo unius teruncij iactura imminet, neminem agnoscere, non amicum, non fratrem, in ingentibus uerò reipublicæ damnis omnes ita somniculosos, nónne manifestum deprauatæ mentis, & nullius in uestram ciuitatem charitatis præbetis argumentum? non cogitatis exactissimam harum rerum ante tribunal Christi rationem à uobis esse reddendam, & damna omnia, quæ uestra incuria, uestris odijs ac simultatibus ciuitas patitur, uobis eo die esse objicienda? Hæ causæ, quas enumeraui, efficiunt etiam, ut nihil penè eorum, quæ admoniti

niti sæpius à me fuistis, præstare curetis, quamuis uosmet ipsi fateamini, esse ad ciuitatis salutem quàm maximè necessaria. ut autem cætera sileam in præsenti, lex illa de statuendo certo dotibus modo & uestibus etiam, cui totus senatus est assensus, uestra quorundam negligentia nondum est promulgata, & uereor, nisi mea utar auctoritate, quam non libens depromo, nunquam esse promulgandam. & tamen hic dotum & uestium abusus atque intemperantia opes uestras omnes consumit, ut mirari interdum soleam, quo pacto fiat, ut, cum nihil uobis cordi aliud sit, quàm pecuniæ, quas uestræ animarum saluti ac Deo anteponitis, eas tamen tanto quæsitas labore ac studio, mox abijciatis ac perditissimè insumatis. quòd si non solum quæ ad pietatem ac Dei cultum pertinent, negligitis, uerum etiam opum & facultatum, quibus tam insanè affecti estis, retinendarum, ne sic infeliciter pereant, nullam accipitis cogitationem, quid his hominibus facias, qui nulli sint usui, atque adeo qui maximo sint damno? non cernitis creditam esse uobis ciuitatis salutem, & in utramuis partem res cadat, totum uestræ uel negligentiæ uel incuriæ acceptum esse referendum? Ne uerò expectetis, dum uel ego uel quisquam è clero eadem uobis repetat, officijque uestri uos commonefaciat. profiteor, me nihil posthac de hac re esse dicturum. quin & his canonicis, qui hic mecum sunt, præcipio, ne uerbum amplius addant, ut certius intelligatis, hoc negocium uestra potius quàm illorum interesse. Sentio me aliquanto uehementiorem fuisse fortasse quàm fuerat necesse, uerum & rei magnitudo, & quòd uestra humanitate confido, in causa fuit, cur ita me gesserim. sed quando ex uultu & oculis uestris uideor mihi intelligere, uos omnia hæc in bonam partem, ut profectò debetis, accepisse; libet postremo aliud addere, quod nihilo minus dictu necessarium, quàm superiora omnia, etiam ipsa templi fabrica, uosmet iudicabitis, si me attente, quemadmodum hactenus fecistis, audietis. Nihil dubito, uos, qui id, quod dicturus sum, iam cœpistis experiri, mecum existimaturos, episcopi ac pastoris præsentiam non minus utilitatis afferre ciuitati, quàm templi exstructionem. illius item absentiam plus afferre detrimenti, quàm si templum manibus hominum exstructum rueret. neque ad

hanc sententiam astruendam pluribus argumentis esse opus uideo. satis est ab ouibus sumere exemplum, quæ, dum pastoris adest uigilantia, & intra caulas & extra eas tutæ sunt, cum uerò pastor abest, ubique malè habent. si ergo pro templi parte ædificanda tam sui diligens, multò esse diligentior debeo ad peruestigandum, quo pacto, ubi ego à uobis demigraro, episcopum perpetuò sitis uobiscum habituri. nam ad me retinendum nulla uti arte est necessarium. Et sanè quidem fieri potest, ut is, qui mihi in episcopatu est successurus, multò maiore, quàm ego sim, & in Deum pietate, & in uos charitate præditus sit futurus, quod si acciderit, nihil his monitis opus erit. sed quia plerunque fit, ut qui recens hoc officij munus aggreditur, rerum nouitate deterritus, resiliat, recusetque officio fungi suo, moneo ut hæc multò ante animo & cogitatione repræsentetis, & ubi primum uestram ingressus fuerit urbem episcopus, tanquam parentem filij curetis, diligentissimeque peruestigetis, num quibus egeat. etenim principia eiusmodi, difficultates indigentiasque maximas secum afferunt. quod me sanè docuit experientia. & uererer hæc dicens, ne quis uestrum existimaret, me ista dicere, ut in me hoc fieret, nisi iam has difficultates Dei benignitate superauissem, & satis tranquilla in statione sederem. quare cum tutus ab hac suspicione sim, liberius ea quæ restant, utilitatis uestræ gratia persequar. cum ergo illius necessitatibus pro uirili uestra subueneritis, cogitate præterea quibus immunitatibus superiores episcopi fuerint honestati, & eisdem, alijsque, si opus fuerit, illum honestetis. cauete uerò, ne eos mores aduersus illum exerceatis, quibus in me fuistis usi. quod uelim admonendi gratia, non exprobrandi causa à me dici existimetis. nam si aduersus inimicum aliquem decertandum uobis fuisset, alia non fuissetis usi uia. cui rei declarandæ, ne omnia commemorans, quibus parum grati in me fuistis, ipse uobiscum rubore suffundar, uno duntaxat exemplo contentus ero. Primis ipsis diebus cum episcopus in hanc urbem ueni, conquesti sunt apud me quidam ex ijs, qui tuendorum ab iniuria agrorum episcopatus curam habent, quòd immunitates, quas hactenus episcopus habuit, uiolarentur, hoc ego iussi referri ad senatum, produci diplomata,

lega-

legatorum apostolicorum auctoritatem interseri, & tamen obstinato semper in me animo fuistis. & ego sanè decreui (quod tamen secuturo episcopo nolim damno sit) omnem iniuriam æquo animo ferre, neque uelle à uobis hanc nec aliam quamuis immunitatem, non ob indignationem (neque enim hoc licet) sed ut gloriari cum Paulo possim, me sine uestro ullo munere prædicasse uobis Euangelium Christi. Polliceor autem uobis, me nulla unquam cuiusquam uel iniuria uel ingratitudine à perpetua in uos charitate esse discessurum, & quod hactenus præstiti, in posterum etiam multò cumulatius iuuante Deo esse præstaturum. sed uidebar mihi non exigui peccati reus esse, nisi admonerem, ut ea caueretis, quæ non animaduersa maximam uestræ ciuitati afferre calamitatem possent. quæ omnia, ut tanquam ab uestri amantissimo uestro pastore profecta, non dubito uos, quemadmodum semper fecistis, in optimam partem esse accepturos.

ORATIO VIGESIMAQVARTA.

De differentia diuinæ legis atque humanæ, & quid inter vetus nouumq́ teſtamentum interſit.

CVM ſemper quidem ac toto anno paſtori neceſſaria ſit diligens paſcendi cura, tum in his ſanctæ quadrageſimæ diebus, idque duplici cauſa. primum ut, cum maxima pars hominum, uitioſo tamen more, exiſtimet hoc unum tempus eſſe audiendo uerbo Dei aſsignatum, ij, qui reliquo anno non accedunt, habeant ſelectiores aliquos cibos, quibus ſalubriter dantur. neque enim propterea ſunt reijciendi, quòd indignos ſe hoc munere præſtiterint, dum reliquo toto anno ſpiritualia hæc alimenta contempſere, ſed materno affectu ſuſcipiendi, quoties reſipiſcere, atque ad cor reuerti uelle uiſi fuerint. deinde cum ij etiam, qui nunquam intermittunt hoc audiendi uerbi Dei officium, hoc tamen tempore maius adhibere ſtudium ſoleant ad interiorem hominem inſtaurandum, accuratius paſtori ſtudendum eſt, ut ſui uoti compotes fiant. quod cum ſuperiore anno præſtare conatus fuerim, tum hoc etiam eodem ſtudio præſtare conabor. Memini autem in animo mihi fuiſſe ſuperiore quadrageſima, decem legis præcepta, quibus noſtra omnis uiuendi ratio continetur, uobis explicare, ſed temporis anguſtiæ prohibuerunt, cum in alijs quibuſdã, quæ mihi tum uidebantur dictu neceſſaria, immorandum tota quadrageſima fuerit. quare nunc opportunum tempus nactus mihi uideor, quo id præſtem. & quamuis non ignorem præſtantiſsimam hanc materiam eruditiſsimè tractandam eſſe, meum tamen morem ſequar, ut ea tantum dicam, quæ dictu potius neceſſaria, quàm eruditè dicta uideri poſsint. Principio legis dandæ neceſ-

necessitas fuit hominũ lapsus in peccatum. [*Lex enim* (ait Paulus) *iusto non est posita, sed iniustis & non obedientibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & profanis, patricidis & matricidis*,] cæterisque, qui ibi commemorantur. quòd si permansisset homo rectus, quemadmodum conditus à Deo fuerat, non opus erat lege, quæ propter transgresfsionem, ut alibi legimus, posita fuit. nam ante peccatum homo per lumen quoddam menti humanæ inditum, certam de Deo notitiam habebat, nempe Deum esse creatorem, & gubernatorem omnis creaturæ, iustum & bonum, qui hominem ad effigiem & similitudinem suam condidisset, ut eum agnosceret, coleret, atque amaret. uerum temporis progressu illud accidit, quod psaltes ait: [*homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*,] atque adeo infra bestias & animalia ratione carentia sese demisit. nam is, cui omnia subiecta fuerant, dictumque, [*crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piscibus maris, & uolatilibus cæli, & bestijs terræ*,] is inquam ea, quæ in seruitutem sibi tradita fuerant (heu nefas) Deos sibi fecit, eaque adorauit. [*& mutauerunt* (inquit) *gloriam suam in similitudinem uituli comedentis fœnum*.] & rursus: [*mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerum etiam uolatilium & quadrupedum & reptilium*.] ob eam causam [*tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum in immunditiam, ut ignominia afficerent corpora sua inter se mutuo, qui commutauerunt ueritatem eius mendacio, & uenerati sunt, coluerunt que ea, quæ condita sunt, supra eum qui condidit*.] & hæc Dei ignoratio infinitum peccatorum exercitum inuexit. nam, ut paulo post sequitur, [*quemadmodum non probauerunt, ut Deum agnoscerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quæ non conueniebat, repleti omni iniustitia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, susurrones, obtrectatores, Dei osores, contumeliosi, elati, gloriosi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, pactorum minimè tenaces, alieni à charitatis affectu, nescij fœderis, immisericordes*.] Cernis omnia mala orbem terrarum inuasisse propterea, quod agnitionem Dei non habuerunt? quid autem in tantis sceleribus, tantoque summi Dei contemptu expectandum

Marginal notes: 1.Tim.1. — Psal.48. — Gen.1. — Ps. 105. — Rom.1. — ibidem. — ibidem.

standum erat generi nostro, nisi ut radicitus euelleretur? & tamen Diuina bonitas, quę semper malitiam superare consueuit, ne sic quidem nos deseruit, sed remedium excogitauit, quod suo tempore adhiberetur. elegitque uirum ingenti pietate, à quo præ-

Gen. 12. stantissimum opus exordiretur, Abraham uidelicet, tanquam radicem pij cuiusdam generis, quòd à reliquarum gentium fæce secerneretur, unde totius demum generis hominum salus proficisceretur. Verum cum & isti in Aegypto peregrinarentur longiori annorum spatio, nempe supra ducentos annos, uehementer ab illa uera Dei agnitione deflexerant ob diuturnam cum idololatris consuetudinem. cuius rei euidens indicium est, primum quòd

Ps. 105. obiectum eis fuit à propheta, quòd simulacris immolassent, dein-

Exo. 30. de quòd cum iussisset Deus Mosi, ut iret ad filios Israël, eosque ipsius Dei nomine alloqueretur, uidetur ueritus fuisse Moses, eos parum intellecturos, nisi nomen suum ediceret, cum reliqui Dij, qui colerentur ab hominibus, singuli suum nomen haberent. atque ita nihil excelsius de uero Deo quàm de reliquis Dijs imaginabantur. quam animi abiectionem, humilesque de Deo cogitationes multò etiam magis declararunt in deserto, cum post tam

Exo. 12. euidentia demonstrata miracula, post interfectos Aegyptiorum

Exo. 14. primogenitos, post traiectum siccis pedibus mare, post obrutos marinis fluctibus ante oculos eorum hostes, post conspectam prius Diuinā uirtutem in tot prodigijs in terra Aegypti usis, nihilo tamen minus conflarunt uitulum, cui salutem suam acceptam re-

Exo. 32. ferrent, dixeruntque. [*ij sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti.*]. Quare, cum etiam tam selectum genus ita miserè defecisset, uellet tamen Deus, ut quod Abrahæ fuerat pollicitus, staret, fore scilicet, ut in eius semine benedicerentur omnes gentes, seruare omnino Abrahæ genus uoluit, sed adhibita lege, qua coercerentur, & quæ tanquam pœdagogus pueros adhuc regeret, donec ueniret illud semen, quod in plenam ætatem esset omnes prouecturum. Quærat hic fortasse aliquis, cur tam necessaria fuit

Rom. 2. ista lex, cum Paulus dicat, [*cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*,] qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. ij ergo

uidentur

uidentur alia lege non indiguisse, cum legem innatam & à natura insitam haberent, à qua quid esset agendum docerentur. sed respondetur, & ex hoc Dei benignitatem commendari, qui animis nostris semina quædam uirtutum ingenerauerit, lumenque in ipsa natura inspirauerit, quo intelligere posint homines, quid rectum quídue iniquũ sit. qui ergo lumen hoc sequi uoluissent, de ijs loquitur apostolus, sed pauci admodum erant, & illi etiam ipsi, qui cæteris intelligentia ita antecellere uidebantur, ut legum latores essent ciuitatibus, in pudendisimos errores delabebantur. quid censemus reliquæ multitudini accidisse? nempe quod scriptum est. [*non est iustus ne unus quidem, non est, qui intelligat, nō est qui exquirat Deum. omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,*] cæteraque quę eo loco ad indicandam miserrimam prolapsi generis conditionem describuntur. Lex itaque omnino fuit necessaria quę daretur, à qua humanæ leges, quæcunque rectę ac sanctæ essent, omnes profectæ sunt, sed hoc pręcipuè à Diuina lege differunt, quòd humanæ leges, cum interiori homini dominari nequeant, externam tantum iustitiam, Diuina uerò internam in primis requirit, hoc est, mentem & uoluntatem legi Dei consentientem, qua Deum uerè atque ex animo timeamus, & ex toto corde, omni fiducia in eum coniecta, diligamus, proximum uerò nostrum perinde ac nosmet ipsos syncero dilectionis affectu complectamur. proinde damnat hæc lex omnem concupiscentiam malam omnesque uitiosos affectus, qui perfectæ erga Deum obedientiæ repugnant. At humanæ leges, quęcunque à Diuinarum legum fontibus deriuantur, ac ciuile uel canonicum ius appellantur, optarent quidem ad interiorem hominis iustitiam penetrare, eumque in mente etiam atque in animo rectum facere, sed quoniam circa externa tantum facta uersantur, cum intueri cor nequeant, quod soli Deo reseruatur, de quo scriptum est, [*scrutans corda & renes Deus*,] de factis duntaxat externis tractant, honorem deferentes externis rectè factis, si etiam interdum ab animo parum recto sint profecta, & pœnam irrogantes malefactis, pro externi facti uel quantitate uel modo, non habita ratione animi magis minúsue uitiosi, quem intueri non possunt. Hæc autem ciuilis lex, quamuis exteriorem tantum iustitiam com-

Rom. 3.

Psal. 7.

DD ple-

plectatur, non eam, qua iustus quis coram Deo fit, à Deo tamen probatur, estque maximæ generi hominum utilitati. quis enim non uideat, quanto terris ornamento sit, & quantum ualeat ordo ille rerum publicarum, in cuiusdam pacis terrenæ uinculum
1.Pet.2. coërcens etiam peccatores, ut sit in uindictam malefactorum, lau-
Rom.13. dem uerò bonorum. quamobrem Paulus ait, oportere omnem animam potestatibus sublimioribus esse subiectam, quia non sit potestas nisi à Deo, & quæ potestates sunt, à Deo sint. ideo adi-
ibidem. cit, [*qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*] & rursum. [*Dei minister est ei, qui benefacit in bonum, ei uerò qui malè facit, uindex in iram.*] quare necessario huic legi obediendum, non solum propter iram, hoc est, metu ultionis, sed etiam propter conscientiam, qua benefactori quisque suo gratus esse debet. nam iccirco, quia nobis inseruiunt principes, tributa soluimus. ob ean-
1.Tim.2. dem causam iubet alibi Paulus, ut cum precationes fiunt, oretur & pro magistratibus, & ijs, qui in sublimiore statu sunt constituti, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. hic est enim legis humanæ finis, à quo si aberrauerit, quod facit, cum aliquid contra Deum aut Dei mandatum iubet, tunc audienda non est, sed acriter illi obsistendum, dicendumque
Act.5. cum apostolis, [*oportet magis obedire Deo quàm hominibus.*] Hæc autem de humanis legibus dicta non inutiliter sunt, ut, cum agnouerimus, quæ utriusque sit differentia, intelligamus, quantum utrique sit deferendum, & quantò absolutius lex Dei seruãda sit. nam humanæ legis pœnam uitas, si non deprehenderis, quamuis uel scelus appetieris, uel etiam facto consummaueris. at Diuinæ legis ultionem non effugies, eamque æternam. quod in legibus humanis non accidit, quæ postquam occiderint corpus, non habent ultra quod faciant, tametsi metu pœnæ, à peccato abstinueris, si peccandi appetitus in animo resideat. Et hoc sanè loco succurrendum esset humanis legibus, quatenus illis hoc deest, à iudicibus & iurisconsultis, & ijs, qui alienas causas tuendas suscipiũt, admonendique qui in iudicio superant propterea, quòd felicius rem tractauerint, hoc non esse satis, sed interiorem iudicem testemque intuendum, num, quod externæ leges illis permittunt, cum ingredi ad interiora nequeant, cum interiori conscientia concordet. His autem de humana lege dictis ad Diuinam reuertamur.

mur. Data fuit primo hęc lex, ut coërceret homines quadam disciplina, & pœnarum metu à flagitijs deterreret, quod parentes solent in filios minus obsequentes, iccirco cũ fulguribus atque tonitruis signisque, quę timorem incuterent, fuit data. cum enim lex naturæ ita esset obscurata, ut etiam manifesta scelera, perinde ac si scelera non essent, dissimularentur, fiebat, ut stupra, incæstus, adulteria, rapinæ, cædes, & his similia facinora non tantum impunè admitterentur, uerum etiam laudem sese inde referre scelerati putarent. [*qui gloriantur* (inquit) *cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*] hunc Diuinę legis usum humana lex est imitata, & eatenus Dei donum est, ex lege Diuina suam originem trahens. Deinde lex Diuina lata est, ut ostenderet peccatum, accusaret, terreretque conscientiam. hoc lex humana non habet, quæ tantum externa prospicit. quem Diuinę legis finem Paulus frequenter indicat, ut cum dicit. [*per legem agnitio peccati,*] &, [*peccatum non cognoui, nisi per legem. nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.*] ubi non dixit, concupiscentiam non fuisse peccatum ante legem, sed id latuisse. ideo adiecit. [*sine lege peccatum mortuum erat,*] hoc est, apud homines non imputabatur. quod tam uerum est, ut reperiantur ex Hebræis auctoribus, qui interpretarentur illud ex decalogo, [*non concupisces rem proximi tui,*] de ea concupiscentia, quæ se foras aliquo pacto prodat, non de ea, quæ omnino in animo lateat. neque uerò multis argumentis opus est, ad ostendendum legem naturæ propemodum fuisse abolitam & peccatum sæpe fuisse ignoratum, cum in hac Euangelica luce deprehendantur plurimi, qui dum nimis terrenis curis affixi atque obruti sunt, frequentissimè non intelligunt quę peccant. Postremò lex data est, ut iustificatis per fidem regula sit bene uiuendi, in qua cernant opera, quę Deo placent, ac imitentur, ut faciant quę requirit Deus. [*Declaratio* (inquit) *sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat paruulis.*] & [*lucerna pedibus meis, uerbum tuum, & lumen semitis meis.*] nam quamuis iustificati ab onere legis liberi sint, qui iam per legem nõ terrentur, tamen ab obedientia legis liberi non sunt, immò gratia iustificationis in ipsis iam agit atque operatur, ut legem uoluntariè impleant, non constituti posthac sub legis imperio, sed sponte sua facientes quod lex præscribit. alioqui dicere illud oporteret,

Exo. 19.

Pro. 2.

Rom. 3.

Rom. 7.

ibidem.

Exo. 20.

Psal. 118.

ibidem.

Rom.6. [*peccabimus, quia non sumus sub lege?*] Quamuis autem hęc generatim de lege à Deo per Mosen Israëlitis data, dicta à nobis sint, sciendum tamen est, non omnem ad nos pertinere. nam ea pars, quę iudicia tractat, forensis quodam modo est, ad gubernationem illius populi instituta, ut ea, quę docet de ritibus coniugiorum, de hæreditatibus, de seruis, de pœnis delictorum, quibus leges imperatorię apud nos successerunt, quibus Mosaicę, quemadmodum alijs locis fuit à nobis declaratum, sunt persimiles. quę uerò pars ad cerimonias pertinet, multò minus à nobis est seruanda, nam figurę erant eorum, quę demum per Christum impleta sunt, quæ si seruare uellemus, uideremur credere nondum Christum uenisse, si umbram amplecteremur, cuius ueritas à Christo fuit declarata. ob hanc causam ut intelligeremus legem hanc cerimonialem
Luc. 16. fuisse per aduentum Christi obsoletam, Christus ipse testatur, [*lex* (inquiens) *& prophetæ usque ad Ioannem.*] nam post Ioannem
Ioan.1. consummatis omnibus, quæ lex figurabat, & sublatis typis, [*gratia & ueritas per Iesum Christum facta est,*] at sola lex, quę uitam
Matt.5. ac mores spectat, cum interpretatio sit legis naturę, non est abrogata, sed manet, quam Christus dixit se non ut solueret, sed ut impleret, uenisse. quem locum quia in ijs, quę in sermonem Domini in monte habitum scripsimus, fusius declarauimus, breui nunc interpretatione erimus contenti. Venit Dominus, ut impleret legem, non solum dum ea pręstaret, quę præsignata multò ante de illo in lege & prophetis fuerant, atque ideo in Euangelijs
Ioan.19. sæpe legimus scriptum, [*factum est hoc, ut impleretur scriptura,*] uerum etiam ut suam ei parti, quæ ad uitam ac mores pertinebat, adderet perfectionem, idque duplici modo. primum dum malum ab radice euellere studuit, icirco cum Euangelicam ferret legem,
Matt.5. dicebat, [*audistis, quod dictum fuerit antiquis.*] & cum legis loca
Exo.20. recitasset, addebat. [*ego autem dico uobis,*] nam lex (ut pro
Matt.5. exemplo aliqua afferam) homicidium iudicabat, Christus uerò
Exo.20. iram etiam, ueluti radicem homicidij eodem, quo in lege homici-
Matt.5. dium, loco statuit. lex adulterium prohibet, Christus aspectum
Exo.20. etiam concupiscentia uitiatum. Deinde perfecit legem Christus,
Matt.5. dum eam non in tabulis lapideis dat, quemadmodum ait Paulus.
2.Cor.3. [*uos estis epistola Christi, ministrata per nos, scripta non atramento sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.*]

de qua legis perfectione, quæ etiam Euangelica lex, & nouum testamentum appellatur, euidentiſsimè multò ante ab Ieremia fuit prophetatum. ſic enim ait. [*Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & consummabo ſuper domum Iſrael teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, quia ipſi non perſeuerauerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos dicit Dominus. quia hoc teſtamentum eſt, quod ordinabo domui Iſrael, poſt illos dies dicit Dominus, dabo leges meas in cor illorum, & in mente illorum ſcribam eas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. & non docebit unuſquiſque ciuem ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum. quia omnes cognoſcent me à minore uſque ad maiorem eorum. quia propitius ero iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabor ultra.*] nouum ergo teſtamentum hic uocandum dicit, quia dandæ erant leges in corda eorum, nimirùm ſpiritus innouans mentes, quo demum idonei atque habiles efficeremur ad perficiendā legem. uetus enim teſtamentum datum fuit in lapideis tabulis, non in corde hominum, quia tanquam inuitis ac repugnantibus data fuit lex. at nouum nemo niſi libens ſuſcipit. [*qui crediderit* (inquit) *& baptizatus fuerit, ſaluus erit. corde enim creditur ad iuſtitiam.*] at credere uolentium tantum eſt. quę uoluntas cum accedit, continuo fit quod ait Paulus. [*quod impoſſibile erat legi per carnem.*] hoc eſt, cum obſiſtente carnali concupiſcentia lex non impleretur, & eatenus eſſet in nobis imbecillis & infirma, [*miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.*] atque hæc propria eſt legis atque Euangelij differentia. non enim nouum teſtamentum à ueteri propriè diſtinguitur ex eo, quòd uetus legem Moſis ac prophetas, nouum uerò Euangelia & apoſtolicas literas complectatur. nam in literis ueteris teſtamenti non tantum lex ſed & Euangelium reperitur in promiſsionibus, de uenturo Chriſto, & futura in Chriſto gratia factis. uiciſſimque lex non tantum in legalibus, ſed & Euangelicis ſcriptis reperitur. ſed hęc propria utriuſque differentia eſt, quòd patribus ante Chriſti aduentum (exceptis paucis ijs, qui ſpiritu illuſtrati in promiſsiones aſpiciebant) datus eſt ſpiritus timoris, nobis autem per reuelationem Euan-

Ier. 31. Mar. 16. Rom. 10. Rom. 8. ibidem.

Euangelij & per Christum iam exhibitum ac pro nobis passum spi
Rom.8. ritus amoris. & hanc differentiam intuens Paulus aiebat. [*non accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, abba pater*.] Sed cum multa iam dicta sint, & plura aliquantò, quàm temporis ratio patiatur, finis dicendi faciendus est. interea quæ dicta hodie à nobis sunt, tanquam animalia munda uersate animo & cogitatione, ac ueluti ruminate, ut ad ea percipienda quæ dicenda restant, sitis aptiores. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMAQVINTA.

De discrimine, & conuenientia legis naturæ, & Euangelii.

CVM præter illa, quæ superiori oratione generatim de legis appellatione tractauimus, quædam adhuc supersint in eundem modum dicenda, cerno id, Deo nos regente, secuturum, quod initio euenturum non cogitaueramus, quòd uidelicet, quemadmodum, cum accepturus esset Israëliticus po-
Exo.19. pulus legem, dictum fuit Mosi. [*uade ad populum, & sanctifica,*] hoc est, præpara (is enim apud Hebræos loquendi usus est, qua-
Esa.13. re inuenies in prophetis sanctificatos Dei appellari eos exercitus,
Exo.19. quos Deus præparauisset ad suum populum castigandum) [*illos hodie & cras, lauentque uestimenta sua, & sint parati in diem tertium*.] sic conciones hæ duæ hesterna atque hodierna erit quædam ueri Israëlis, qui nos sumus, qui in Christum credimus, præparatio, ut tertia oratione attentius Diuinæ legis uerba audiamus. persequamur ergo quæ reliqua sunt, &, sicut quàm potuimus breuissimè declarauimus differentiam Diuinæ legis atque

quę humanæ, rursusque quid inter uetus nouumque testamentum intersit, ita nunc eadem cum breuitate uideamus quod sit legis naturæ, Euangelijque discrimen, aut etiam quo conueniant. uersatus enim sum interdum inter erudissimos uiros, & qui pietatem etiam profiterentur, neque tamen intelligerent, quàm ingens fuerit Euangelicę lucis additamentum. Et hoc quidem conuenit legi naturæ cum Euangelio, quòd ambo in corde scripta dicuntur, sed interim Euangelium longe aliud est, quàm lex naturæ, aut legis naturæ explicatio. lex enim naturæ est illa notitia naturalis, quę animis nostris indita & concreata est, gentibus etiam & sapientibus huius seculi non incognita. sed Euangelium non est notitia naturaliter nobis indita, nec huius mundi, aut principum huius mundi sapientia, sed mysterium absconditum à seculis, reuelatum autem & euulgatum per Christum, sicut scriptũ est. [*Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis*.] per Euangelium enim annuntiatur & exponitur *Ioan.1.* nobis bona Dei uoluntas, qua illi uisum est, nos perditos per filium suum redimere, gratis per fidem iustificare, ac simul spiritum sanctum cordibus nostris infundere. qui & certò persuadeat nos esse filios Dei, & in nobis Dei uoluntatem, hoc est, fructus spiritus operetur. Ostendit quidem ratio, cui lex naturæ indita est, quædam, quæ sunt uoluntati Dei consentanea, quod ex ijs licet intelligere, qui ducem naturam secuti multa scripsere, quæ ad rectos mores pertinent. sed non ostendit, quomodo peccatis nostris ignoscat Deus. an nobis propitius, & quemadmodum erga nos affectus sit. quin potius propendet semper ad parum fidendum Dei benignitati. quod pulchrè beatus Iob in persona hominis, qui suæ naturæ, suisque cogitationibus relictus sit, effinxit, cum dixit. [*cum inuocantem exaudierit me, non credo quòd audierit uocem meam*.] tam infirma (inquit) atque adeo mala est caro hu- *Iob.9.* mana, ut etiam propositis promissionibus Dei nolit credere. Et cum omnes naturæ corruptionem sentiamus, atque experiamur etiam, nos à perfectione boni, quod uel ipsa ratio, nedum spiritus Dei suggerit, longe abesse, constat hanc legem nullas omnino uires præbere boni perficiendi, quod poëta ille non tacuit, qui dixit,

uideo meliora proboque,
Deteriora sequor.

Euan-

Euangelij uerò gratia corda nostra de remissione peccatorum per Christū, deque summa Dei erga nos charitate, benignitate, clemē-
Esa.49. tia certos reddit, cum docemur Deū in nobis amandis omnes ma-
Mat.10 trū affectus superare, & capillos etiam omnes capitis nostri esse numeratos, quod nullis unquā parentibus, qui liberorum amore insanuerint, ne in mentem quidem uenit. præterea emundat ac innouat, ut iam non deteriora sed meliora sponte ac uolentes sequamur. & licet quandam adhuc imperfectionem in nobis sentiamus, qua fit, ut nemo in hac uita legi Dei perfectè satisfaciat, hinc tamen nos, perinde quasi icc irco Deo inuisi simus, non oportere turbari, docet, dum ostendit, quo pacto ijs, qui in Christo manēt, imputetur iustitia, quam à Christo, cui per fidem insiti sumus, mutuamus, ut maledictum legis euadamus, quæ omnia lex naturę, ut multò inferior Euangelio, non docet. quamobrem Paulus
Rom.1. Euangelium uirtutem seu potentiam Dei appellat ad salutem omni credenti. quòd scilicet per Euangelij gratiam cordibus nostris insitam, salutem ac certissimam ęternæ uitæ spem consequamur. In summa, qui nondum intelligit quanta sit legis naturæ & Euangelij differentia, uideat, quid post declaratum mundo Euangelium sit consecutum, & ante illud quænam esset orbis terræ facies. induerant homines belluinam naturam, pro Dijs habebant talpas & uespertiliones, atque adeo porrum & cæpe. in omnia scelera se ingurgitauerant, iura omnia Diuina & humana confuderant. pu-
Luc.1. det dicere, quæ in ipsius naturæ ignominiam patrabantur. at ubi uisitauit nos oriens ex alto, continuo ex belluis non homines sed angeli euaserunt, & qui ante infra terram quodam modo mergebantur, mox cœli habitatores facti sunt, ut dicere cum Paulo pos-
Phili.3. sent, [*consuetudo nostra in cœlis est*.] cerneres non uiros solum sed mulieres etiam omnibus carnis uoluptatibus spretis, coniugia etiam ipsa, quę tamen Diuina lege fulciuntur, recusare, ut liberius uacare huic philosophiæ possent. deserta loca & omni cultu uacantia, hominibus replebantur, qui ob unam hanc causam urbes deuitabant, ne cæterorum hominum consuetudo illis officeret, quò minus cœlestibus hisce meditationibus dies noctesque fruerentur. sæuiebant in eos reges terræ ac principes, & ij non facultates solum sed mortalem etiam hanc uitam pro nihilo putabant. nunquam pręterea tam efficax fuit mutua hominum inter

se cha-

se charitas, ut primis nascentis huius lucis temporibus facultates credentium in Christum omnes communes essent, nulla habita priuatorum commodorum ratione. cernis quanta fuerit hæc rerum mutatio, ut rectè mutatio dexteræ excelsi queat appellari? Duo ergo præcipua attulit Euangelium, quæ lex naturę nunquam pręstitit, annunciationem gratiæ remissionemque peccatorum, & uiuam charitatem, quæ indiuidua est ueræ fidei comes, ac mandatorum Dei effectrix. quam qui nondum in se experiuntur, ij se Euangelicos esse desinant gloriari. nam, quemadmodum dixit Paulus de Iudæis, [*non omnes qui sunt ex Israel, ij sunt Israel, neque, quia semen sunt Abrahæ, omnes filij.*] sic non omnes qui Christum se profiteri dicunt, ad Christi regnum pertinent. nam ipse dixit, [*non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est.*] His breuiter de lege prælibatis, propius accedamus ad eam legis partem, quam Hebræi decem uerba legis, nos decalogum appellamus, quę pars & si olim peculiariter populo Israëlitico data fuit, [*propter transgressionem uitandam, donec ueniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.*] hoc est, Mosis, qui erat inter Deum & populum ueluti quidam medius & sequester, iam tamen ad omnes gentes ex æquo pertinere credenda est, quòd explicatio quædam sit legis naturæ, uitio primorum parentum in hominum mentibus obscuratæ. & quamuis post Christi aduentum, leges iudiciales ac cerimoniales partim abolitę sint, partim immutatæ atque ad Euangelicam pietatem accommodatæ, ab hoc tamen decalogo, qui moralem legem compendio complectitur, non aliter liberat Euangelium, nisi quòd aucta in nobis charitate, ea sponte ac libentes facimus, quę Iudæorum populus faciebat metu pœnæ, ut eatenus qui spiritu ambulamus, à legis imperio & terrore per Christum liberati simus, quatenus scilicet lex nolentem cogit, non quatenus facienda est. alioqui Diabolica non Christiana libertas est, qua mœchari, furari, ac peierare licet. ideo dicebat beatus Petrus, [*quasi liberi, non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem.*] non enim ob id uenit Christus in mundum, ut nobis à se redemptis permitteret impune peccare, sed ne omnino peccaremus. quod à nobis ob eos dictum est, qui eam, quam Euangelicā appellant libertatem, in occasionem carnis hac ætate traxerunt:

Act. 4.

Rom. 9.

Matt. 7.

Gal. 3.

1. Pet. 2.

EE etenim,

etenim, si ab illo populo, cui terrenę tantum promissiones factę esse uidebantur, requirebatur, ut Deum toto corde, tota anima, tota mente, omnibus uiribus amarent, quod sine exactissima uitæ ratione præstari non potest, quid non ab ijs est exhibendum, quibus æternæ illæ in cœlo sedes promittuntur, quibusq; Euangelica lex proponitur, quę nihil est aliud, quàm illius uitæ, quæ in cœlo agitur, quædam repręsentatio? quare multò melior est eorum sententia, qui censent in ueteri etiam lege, illud, quod de non concupiscēdo pręcipitur, non in eum sensum accipiendum, ut cauere tantum deberemus, ne affectus noster in conatum erumpat, sed ut planè ab omni malo affectu intrinsecus temperemus, quàm eorum, qui sic intelligunt, ut concupiscentia eo loco, non tam qualemcunque uxoris aut rei alienę cupiditatem, quàm conatum maleficij significare uideatur. nec dubitandum est, legem propterea spiritualem à Paulo appellari, quòd spirituales motus requirat, & Christus sic ubique legem interpretatur, & pharisæos uerba quidem legis sectantes, propter internos tamen affectus malos, irritum fecisse mandatum Dei pronuntiat, ac sepulcra dealbata appellat, admonetque discipulos, fore, ut nisi eorum iustitia superaret iustitiam scribarū & pharisæorum, non intrarent in regnum cœlorum. Interea operæ pretium est, nostræ philosophię felicitatem agnoscere. nam Diuino profectò beneficio factum uidemus in doctrina Christiana, ut, quicquid ad animę salutem pertinet, in id compendium sit reductum, quod intelligi ab omnibus possit. exempli gratia. quicquid in Diuinis uoluminibus ad fidem spectans latius funditur, in apostolorum symbolum contractum est. item quicquid à Deo rectè peti potest, aut unquam à pijs hominibus petitum est, uidemus in oratione, quam Dominus nos docuit, compendio comprehensum esse. sic & in hac parte, quicquid ad uitam honestè agendam atque ad mores pertinet, in decalogum non humana sed Diuina quadam sapientia contractum est, qua uia nulla profectò aptior potuit excogitari. Idem ipsum iurisconsulti ac uiri pręstantissimi conati sunt imitari, naturale uidelicet iudicium secuti, & quicquid à iure imperatur summatim comprehendentes tria iuris præcepta fecerunt, quę sunt, [honestè uiuere, alterum non lædere. ius suum unicuique tribuere.] quę rursus in plurimos titulos distribuunt, in quibus de ijs, quæ Deo, quę parentibus, quæ liberis, quę patrię debemus

Deu.6. Mat.19. Rom.7. Mat.23. Matt.5. Luc.11.

mus, item de propulsandis iniurijs, de uitæ honestate, ueluti de coniugiorum iure ac ritibus, de rerum ac dominiorum proprietate ac distinctione, de cōtractibus, de successionibus, de iudicijs publicis ac priuatis præcipiunt. sed ita ut de externa quadam ac ciuili iustitia homines instruant, de corrigendis animi affectibus nihil soliciti, quòd ueræ religionis, hoc est, iuris Deo debiti, unde omne reliquum ius fluit, ignari & expertes fuerint. uerum decalogus à summo legislatore Deo traditus, quicquid est iuris naturalis ac moralis, aptissimo & pulcherrimo ordine compendio quodam tradit, idque longè perfectius, quàm ulla ciuilis lex, quòd non tantum de externa iustitia præcipiat, sed multò magis de interna, quæ in animi synceritate munditiaq; consistit, quæ sola coram Deo ualet, solaq; rectè iustitia nuncupatur. Oportuit ergo decalogum ob id ab ipso Deo tradi, ut uerè sciremus quænam opera Deo placerent. gentes enim uarios cultus commentæ sunt, uaria item operum genera sibi finxerunt, in quibus sibi placebant. sed [*ignorantes Dei iustitiam & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei subiecti non*] fuerunt, Rom. 10.
euanescentes in cogitationibus suis, & uolentes sapientes uideri, Rom. 1.
stulti facti sunt. nam ut omittamus eos, qui ante agnitam Euangelicam lucem, olim de uitæ ratione tractantes, in absurdissimos errores inciderunt, nostro æuo in nouo illo orbe terrarum, qui nuper repertus est, inuenti sunt populi, qui pro summa pietate habebāt, magnum hominum numerum iugulare, & eorum cor à reliquo corpore auulsum Deo offerre. Israëlitæ uerò multò cæteris populis fuere feliciores, qui per decalogum edocti fuerunt de cultu & operibus, quæ scirent Deo placere, ut uel hinc copiosam haberent gloriandi materiam. iccirco aiebat psaltes. [*qui annuntiat uerbum* Psal. 147.
suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel. non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis.] & Paulus testatur, Iudæis Rom. 3.
hoc nomine gloriari licuisse, quòd credita fuerint illis eloquia Dei. quæ gloriandi materia postea Iudæis carnalibus adempta, in nos spirituales Abrahæ filios, qui legis spiritualis spirituales sectatores sumus, translata est. ex hoc autem capimus hunc certè non exiguũ fructum, ut non sit necesse nos esse solicitos, quibus nam operibus Deo placere possimus. nam decalogus ipse ea præscribit, quæ certò scimus Deo placere, nimirum ob ea præcepta, laudata, celebrata, & ingenti benedictionis mercede facientibus ea, cumulata,

atque ita in promptu posita, ut nemini sint inaccessa, ut dici illud
Deu. 30. possit, quod in Deuteronomio scriptum est. [*Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere, quis nostrum ualet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris & dicas, quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est?*] quod quanti sit, siquis intelligere uult, fingat nunc demum annuntiari, uitam esse quandam beatissimam, eamque immortalem, & licere cuiuis homini illam adipisci, modo pręcepta quædam seruet, quę tamen pręcepta nefas sit in uulgus foras dare, sed esse homines qui ab hac urbe distarent centies millies centena millia passuum, qui hæc pręcepta traderent, quę etiam pręcepta seruatu essent facilia, seruata uerò uitam illam continuò parerent felicissimam. hoc audito nuntio, mox illius uitæ adipiscendę studio omnes flagrarent, quærerentque, siqua machina cōficiendi tanti itineris excogitari posset. nunc uerò tantam felicitatem domi habemus, neque agnoscimus, atque hęc ignoratio efficit, ut tanto benefactori ingrati simus. quare incipiamus bona no-
Exo. 19. stra agnoscere, præparemurque, sicut Israëlitico populo præceptū fuit, in tertium diem, ut mundi & loti interiorem hominem, occurramus alacres Deo, & illius uerbis audiendis. sed amoto tamen seruili illo animo, quo populus ille audita Domini uoce dixit Mosi.
Exo. 20. [*loquere tu nobis & audiemus, non loquatur Dominus, ne forte mo-*
1. Reg. 3. *riamur.*] sed dicamus potius cum Samuele. [*loquere Domine,*
Psal. 84. *quia audit seruus tuus.*] & psaltes. [*audiam qui loquatur in me*
Rom. 8. *Dominus Deus.*] non enim accepimus spiritum seruitutis, sed adoptionis per aduentum filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMASEXTA.

Aggreditur interpretationem Decalogi.

PETENDVM nobis in his Diuinarum rerum enarrationibus assiduè à Deo est, quod precabatur propheta, [*reuela* (inquiens) *oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*] *Ps.* 118.
nunquam enim nisi Diuino lumine illustrati, penetrare in hos rerum thesauros poterimus, & maxima eorum pars quibusdã quasi uelaminibus obtecta delitescet. quod pulchrè signatum in Mose fuit eo ipso tempore, quo lex ista dabatur. cum enim ob claritatem vultus non possent filij Israël intẽdere oculos in eum, oportebat, ut faciem uelaret, quoties adire illos oportebat, quo significabatur, infirmiores, & eos, qui sensus corporis sequuntur, non esse spirituali huic luci percipiendæ idoneos. qua in re illud etiam cogitandum est, quod ait Paulus. [*si ministratio mortis* (hoc est lex, quam idcirco ministram mortis appellat, quia auctum est, magisque graue factum peccatum occasione legis) *in literis, deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israel in faciem Mosis, propter gloriam uultus eius quæ euacuatur, quo modo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*] si inquam lex, ex qua nihil aliud lucri homines fecerunt, quàm ut augeretur peccatum, tanta cum maiestate data est, út eius ministri Mosis facies ita radiaret, ut nõ possent filij Israël intendere oculos in eum, quantò maioris est gloriæ ministerium nouæ legis, quod uitã affert, eamque sempiternam? nam nec glorificatum est, quod claruit, in hac parte, propter excellentem gloriam. si enim quod abolетur, in gloria est, multò magis quod manet, in gloria est. illud enim uetus testamentum, quod tanta cum gloria fuit datum, non habet gloriam, si cum hoc conferatur. tam excellens est huius gloria. nam si id quod euacuatur & aboletur, & finem habet, fuit cum gloria, quantò magis hoc quod manet, ac perpetuum est, debet esse ple-

Marginal notes: *Exo.* 20. — 2. *Co.* 3.

num

num gloriæ? quæ cum ita ſint, quàm purgatam agere uitam deberemus nos, ut liceret eſſe aptos intelligendis illis myſteriis, quæ tanta ſunt, ut illis comparatá totá Moſis gloria, deſinat eſſe gloria? ſed interea contemplemur hæc, & petamus tantum oculis noſtris uirium dari, ut uel claritatem lucis, quæ in uultu Moſis apparebat,
1.Col.10 liceat intueri. & quoniam [*omnia* (ut ait Paulus) *contingebant illis in figura*,] non eſt prętermittendum, tam apposité ueritatem his figuris reſpondiſſe, ut eodem die, hoc eſt quinquageſimo poſt immolatum paſcha die, & uetus lex per Moſen, & noua per ſpiritus ſancti aduentum data ſit. ob hanc cauſam & Hebræi & noſtri, pentecoſten, quod ſonat quinquageſimam, ſolennem habēt. accidit autem utrobique ſimile aliquid, ſed quod fuit diſsimile, ob eam cauſam fuit, ut agnoſceretur inter utranque differentia. utraque hoc ſimile habuit, quòd utrobique loci ſublimitas & ignis affuit, nam utraque lex in monte data eſt, prior in monte Sina, poſterior in monte Sion. in hoc ignis erat linguarum figuram pręferens, in illo ignis quidem ſed terrificus, item ſumus, incendium, fulgura ac tonitrua uiſebantur, quibus indicabatur legis onus & grauitas. quæ cum ſua uirtute abſque adiutrice gratia nō iuſtificaret, terreret ſaltem animos & conſcientias, incitaretque ad quærendum à Deo implendę legis auxilium. In monte Sion domus & conclaue erat, ubi apoſtoli quieti atque unanimes precabantur & expectabant cœleſte donū, de quo dixerat Dominus.
Luc. 24. [*ego mittam promiſſum patris mei in uos.*] & rurſum, [*uos autem* ibidem. *ſedete in ciuitate Ieruſalem, donec induamini uirtute ex alto.*] In monte Sina, cum nulla eſſet uoluntaria ac libens populi expectatio Diuinæ legis, omnia erant terrifica, ut intelligeretur, uim legis in ter-
Rom. 4. rendo conſiſtere. [*Lex enim* (ait Paulus) *iram operatur*,] at in
Act. 2. Sion ſpiritus quidem uehemens, ſed qui alacritatem afferret, non terrorem, qui non exureret corpora, ſed menti lumen præberet, torpentémque uoluntatem accenderet, ut iam non terrore, ueluti coacta, legi collum ſubmittat, ſed amore incitata ac dilatata, in uia mandatorum Dei expedita currat, & quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora ſe ſemper det. ob hanc cauſam Euangelica lex in diſcipulorum cordibus data eſt, illa in lapideis tabulis, ut lapidea ſuſcipientium legem illam corda argueret. His ergo externis ſignis, legis & Euangelij diſcrimen deliniatū adumbratumque fuit. quod nos

nos cogitantes, qui non sub lege sed sub gratia sumus, neque spi- *Rom.6.*
ritum seruitutis sed filiorum accepimus, multò alacriores quàm il *Rom.8.*
li, Dei loquentis uerba audiamus. quanquam & illi quendã præ
buerunt apparatum. ferunt enim Hebræi, cum Moses educeret
populum in occursum Dei, ut illum ueluti sponsam Domino co-
pularet, hunc illos ordinem habuisse. primum locum tenebant *Num.2.*
primogeniti, qui tunc ante Leuiticum sacerdotium fuerant loco
sacerdotum. post hos stabant principes tribuum. deinde senio-
res & præfecti, & post illos cæteri uiri ex Israël, deinde paruuli,
deinde mulieres, ultimo loco proselyti. sed apparatus noster in-
terior sit, quemadmodum de sponsa ait psaltes. [*omnis gloria fi-* *Psal.44.*
liæ regis intrinsecus est.] præsertim uerò à carnis illecebris est ab-
stinendum ijs, qui Deum utiliter sint audituri. nam tunc etiam
præceptum fuit, ut per eos tres dies, ne uxoribus quidem suis,
quamuis re licita, appropinquarent. sed audiamus tandem quid
præcipiat Deus. [Locutus est (inquit) Deus cunctos sermones hos. ego *Exo.20.*
sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.
non habebis Deos alienos coram me. non facies tibi sculptile, neque omnem
similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum, nec eo-
rum, quæ sunt in aquis sub terra. non adorabis ea neque coles. ego sum Do-
minus Deus tuus, Deus æmulator uisitans iniquitatem patrum in filios in ter-
tiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericor-
diam in millia ijs, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes
nomen Domini Dei tui frustra. memento, ut diem sabbati sanctifices. sex die
bus operaberis, & facies omnia opera tua. septimo autem die sabbatum Domi
ni Dei tui est. non facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua. seruus
tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas; sex e-
nim diebus fecit Deus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, & re-
quieuit die septimo. idcirco benedixit Dominus diei sabbati & sanctificauit
eum. honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram, quã
Dominus Deus tuus dabit tibi. non occides. non mœchaberis. non furtum
facies. non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. non concu
pisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non an-
cillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.] Hactenus
uerba Dei, quibus nostra omnis uiuendi ratio comprehensa est.
quæ per hos quadragesimæ sanctæ dies conabimur uobis inter-
pretari. & sanè uereor ne illud accidat, quod olim sub Iosia usu *4.Re.22*
uenit. cum enim sub impio rege Manasse sublata fuisset lex, & oc-
cisi prophetæ, & sublati uiri omnes boni, uir probus quidam re-
posuerat exemplar legis Diuinæ in quodam loco templi tuto,

quod

quod sub Iosia nutu Dei fuit repertum. quod uolumen cum lectum fuisset coram rege, & audisset rex uerba libri legis Domini, scidit uestimenta sua, quòd scilicet cerneret non ea seruari, quæ in eo libro præcepta à Deo fuissent. simillimè in tractandis hisce Dei præceptis multa reperiemus, quæ homines ob neglectum studium audiendi, quæ Deus præcipit, supina quadam incogitantia sunt transgressi. ut quicunque redire ad cor uoluerint, euidentia pœnitentiæ & luctus signa, saltem metu pœnarum, quę eos manent, edere cogantur. Accipiamus ergo ipsum horum uerborum procemium. [ego sum (inquit) Dominus Deus tuus.] ante omnia præcepta pręcipientis auctoritas proponitur, quod ad seruandum quod præcipitur, ualet plurimum. quis enim, nisi omnino mentis inops, cogitans eum, qui hæc pręcepta dat, esse illum, qui omnium auctor sit, cuius tanta est maiestas, ut [*omnes gentes* (quemadmodum ait Esaias) *quasi non sint, sic sint coram eo, & minus quàm nihilum & inane reputentur.*] qui, cum omnia creauerit, & quęcunque aspectibus humanis subiecta, & quæcunque supra aspectum hominum sunt, eadem in nihilum uno momento redigere potest, qui in sempiternos ignes minatur conijciendos eos esse, qui has leges fuerint transgressi. quis inquã hæc cogitans, non continuo toto corpore perhorrescat, atque ad imos usque, quod dicitur, ungueis contremiscat? & multò etiam minorum rerum, quę Deus efficit, cogitatio, satis esse posset ad terrendos homines, quod Deus ipse per prophetam Ieremiam declarat, cum ait. [*me ergo non timebitis, & à facie mea non pauebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur & non poterunt, & intumescent fluctus eius & non transibunt illud? populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans.*] Cernis, ut arguat Deus hominum impudentiam & quasi miretur, se ab eis non timeri uel una hac cogitatione, quòd solam arenam, rem tam imbecillam opposuerit uastis & immensis illis marinis fluctibus, & eius terminos non audeant transilire? multò uerò magis animare atque inflammare deberet ad eius seruanda pręcepta illius benignitas, & incomprehensa erga genus nostrum beneficentia. quare apud eundem prophetam, & eodem loco sequitur. [*& non dixerunt in corde suo, metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam*

Esa. 40. *Ier. 5.* *ibidem.*

poraneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis cu stodientem nobis.] quis enim ei obedire non amet, a quo certo sciat proficisci quicquid habetur ab hominibus boni? [Egó sum,] inquit, & sanè uox ista, [SVM], nulli magis quàm Deo conuenit, & ob hanc causam nomen illud tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum, quod Hebræi pronuntiare non audent, sed loco eius dicunt Adonai, ab hoc uerbo profectum uidetur. icirco & cum Moses diceret, [*si dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis*]? respondit dominus. [*ego sum qui sum. sic dices filijs Israel, qui est, misit me ad uos.*] esse autem soli Deo conuenit, qui est illa essentia, quæ nec præterijt, nec præteribit, hoc est, semper est, qui nunquam cœpit, nec unquam desiturus est, sed transcendit omnem temporis rationem, & qui solus dicere potest, [SVM.] est enim ipse omnis essentiæ & uitæ fons & plenitudo, a quo omnia quæ sunt, habent esse quod sunt. atque ex hoc loco mihi uidentur externi philosophi accepisse, unde de Deo res huiuscemodi philosopharentur. uide enim, quid is, qui maximus inter eos existimatur, in hanc sententiam dixerit. [Erat (inquit) & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ assignamus, dicimus enim de illa, est, erat, & erit, sed illi reuera solum esse competit, fuisse uerò & forè deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. motus quidam duo illi sunt, æterna autem substantia cum eadem semper & immobilis perseueret, neque senior seipsa fit unquam neque iunior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subiiciuntur.] hæc ille. quę etiam consideratio fiduciam ingentem ingenerare animis nostris debet, totius spei nostræ in eo collocandæ, quem scimus deficere nunquam posse, & eius uultu regi omnia, & per eum reges regnare & principes dominari, nec quenquam tanta esse præditum potestate, qui uel minimum quicquam in nos possit. nisi nolente ac permittente Deo. quamobrem Dominus Christus cum dixisset Pilatus, [*nescis quòd habeo potestatem & dimittendi tui & crucifigendi?*] continuò respondit, [*non haberes ullam in me potestatem, nisi datum tibi de supernis esset.*] hoc multum ualet ad sedandas animi perturbationes, etiam cum iniuria nos affici intelligimus. dum cogitamus, hæc non sine Dei numine euenire, atque icirco iustè, si Deum auctorem spectes, semper pati, quod beato illi Iob maximo fuit

Exo. 3. *Pro. 8.* *Ioan. 19.* *ibidem.*

adiumento. quamuis enim Satan damna illa ingentia ei attulisset, dixit tamen, Deum qui dederat, abstulisse, cum certò sciret, hoc sine Deo fieri non potuisse. [*si ergo iusta Deo placere scimus* (ait uir quidam magnus) *pati autem nulla, nisi, quæ Deo placuerint, possumus, iusta sunt cuncta quæ patimur, & ualde iniustum est, si de iusta passione murmuramus.*] hoc intrepidum hominem in mediis mortibus reddit. audi enim quid generosus ille bellator Dauid cogitaret, quoties cum hoste, quod frequenter accidebat, esset congrediendum. [*Dominus* (inquit) *illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, a quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.*] Quid ille patriarcha Abraham, cum iuberetur, ut offerret unigenitum illum & dilectum Isaac, in quo promissiones acceperat, ad quem dictum fuerat, [*in Isaac uocabitur tibi semen,*] cur inquam ita constans fuit? cum illud (inquit) secum perpendisset, Deum etiam a mortuis excitare eum posse. nihil est magis homini terrificum morte, & hæc recordatio Diuinę potestatis & curæ, omnem mortis superat metum, ut dixerit Iob. [*etiam si me occiderit, sperabo in eum.*] re enim uera [*turris fortissima* (ait Salomon) *nomen domini. ad illam curret iustus & exaltabitur.*] contra uerò nihil tam efficit, ut homines parum sibi constent, quàm ubi neglecto hoc fortissimo præsidio, ad infirma auxilia se recipiunt. de quibus eodem loco idem Salomon ait. [*substantia diuitis urbs roboris eius, & quasi murus ualidus in imaginatione eius.* & Dauid. *qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.*] nam qui humanis quibuscunque auxiliis fidunt, [*baculo* (quemadmodum pulchrè dicit Esaias) *innititur arundineo,*] qui tantum abest, ut iuuet, ut etiam fractus manum perforet innitentis. [Ego sum (inquit) Dominus deus tuus.] in hunc intuitus noster figendus est, quod sancti Dei omnes omnibus in rebus tam secundis quàm aduersis faciebant, & ob hanc rem pro humanarum uirium imbecillitate uarijs illum appellationibus studebant honestare pro piorum affectuum uarietate. ut cum eum uocabant dominum uirtutum, dominum exercituum, omnipotentem, conditorem cœli & terræ, regem gloriæ, regem regum, & Dominum dominantium, cuius maiestate pleni sint cœli & terra. similiter robur,

Iob.1. Psal.26. Gen.21. Iob.13. Pro.18. ibidem. Psal.24. Esa.36.

bur, petram, rupem, scutum, cornu salutis, turrem fortitudinis, propugnatorem, ereptorem, exaltationem, breuiter ad maioris fiduciæ declarationem, Deum suum, gloriam & laudem Psal. 3.
suam. Hic ergo Dominus Deus noster est, & non alius, cui Ps. 108.
tutò nos possimus committere. hic primas parteis in nobis teneat. hæc enim præcipua atque una uia est, qua cordis puritas & acquiratur, & seruetur, quod cum fuerimus assecuti, erimus omnibus molestiis superiores. quia, ut ait Salomon.
[*non contristabit iustum quicquid ei acciderit.*] erimusque tan- Pro. 12.
quam facula in pharo, quod nihil est aliud quàm beatæ illius atque æternæ uitæ repræsentatio, ad quam utinam omnes perueniamus, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO VIGESIMASEPTIMA.

Prosequitur interpretationem Decalogi, obiterque tractat de inuocatione sanctorum.

PVLCHRA mihi uidentur esse à nobis iacta fundamenta huius ædificij, quod iuuante Deo exstruere cogitamus, quibus si innitemur, nullus metus est, ne Euangelicum illud nobis obiiciatur de eo, qui [*cœpit ædificare, & non potuit consummare.*] fe- Luc. 14.
cimus item quod nauigaturi solent, ut cynosuram, & clarissimos septentriones semper intueantur, quibus cursum omnem suum regunt. sic nos cum intellexerimus quis ille sit, qui nobis ista præcipiat, omne adhibebimus studium ad ea seruanda. nam is est, qui creauit omnia, cui omnia uelint nolint, seruire est necesse, in cuius manu mors est & uita, salus & interitus, qui præterea

(quod magis ad eum amandum exstimulare nos debet) summa bonitas est, & omnis boni fons, omnium bonorum largitor, uita, lux, robur, firmamentum, mitis, largus, exorabilis, [*qui*
Ps. 102. *propitiatur* (ut ait propheta) *omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras. qui redimit de interitu uitam nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus, qui replet bonis de-*
Aba. 3. *siderium nostrum, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur.*] neque minus studiosè, atque adeo multo studiosius curat, quàm quiuis amantissimi filiorum parentes. Audiamus ergo atten-
Exo. 20. tissimè quæ sequuntur. cum enim dixisset [Ego sum Dominus Deus tuus,] adiecit, qui eduxi te de terra Aegypti & de domo seruitutis.] Beneficia quidem omnia sua natura permouere animos apta sunt, in primis uero ea, quæ recens accepimus, & priuata magis quàm communia, iccirco primum a beneficiis agnosci se uult. demittit enim se ad nostram imbecillitatem, & alioqui ob eam unam causam amandus esset, quia dignus est, qui ab omnibus ametur. id enim uirtutis proprium est, ut etiam inimicos ad se amandum alliciat, præsertim ubi elucet bonitas. uerum, ut dixi, demittit se ad mores & consuetudinem nostram, qui amare nescimus nisi eos, a quibus afficimur beneficiis. neque uel communia uel antiqua recolit beneficia, quòd scilicet is sit, qui hominem exacuerit, feceritque illum omnium dominatorem, piscium, quadrupedum, uolucrum, omniaque pedibus eius subiecerit. qui præterea ex omni genere elegerit Abraham, a quo sint profecti, ut selectum ex omnibus gentibus genus esset, quo nomine multum sanè Deo deberent. sed his prætermissis ea commemorat, quæ recens fuerant experti, & præterea quod manifestissimè Diuina manus exercuisset, ut dicere possent, [*manus Dei*
Deu. 32. *excelsa, & non homo fecit hæc omnia.*] ob hanc causam frequentissimè in prophetis & psalmis, fit huius facti commemoratio.
Psa. 135 cum enim hortantur, ut Deo agant gratias, hoc repetunt. [*qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, qui eduxit Israel de medio eorum, in manu potenti, & brachio excelso, qui diuisit mare rubrum in diuisiones, & eduxit Israel per medium eius, & excussit Pharaonem & uirtutem eius in mari rubro.*] Obserua uero, ut sapienter eos instruxit ac muniuit, ne in fide in Deum uerum uacillarent. cum enim iussit, ut Moses alloqueretur populum, &

oſtendere uoluit ac docere, ſe non eſſe illis Diis ſimilem, qui Dii non eſſent, primum dixit. [*Hæc dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad uos*,] ut intelligerent, eum, qui uerè eſt, ſolum eſſe uerum Deum. adiecitque, ſe eſſe Deum [*Abrahaam & Iſaac & Iacob*] patrum eorum, ut ſcirent eundem & unum eſſe, qui & patres eorum elegiſſet, & recentia hęc beneficia præſtitiſſet. hoc ubi edocti fuerunt, iam præcepta dat, quæ ſeruanda illis ſint, & in primis quæ ad Dei cultum pertinent: nam is noſtrorum omnium rectè factorum ſcopus eſt, quo ſublato, quicquid fit, boni appellatione dignum non eſt. ait ergo. [Non habebis Deos alienos coram me. non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quę eſt in terra deorſum. nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea neque coles.] Non erit inutile oſtendere, unde ſimulacrorum ac falſorum Deorum cultus, res uidelicet tam nefanda, originem acceperit, ut diſcamus ab omni ſpecie mali (ut docet apoſtolus) abſtinere. nam quæ initio exigua uidentur, progreſſu temporis ingentia accipiunt incrementa. quemadmodum cernimus flumina maxima è paruis fontibus exoriri, dum paulatim collectis aquis multiplicantur. legimus autem hoc in libro, qui inſcribitur Sapientia. nec pigebit uerba ipſa recitare. [*Initium fornicationis* (fornicationem enim, ſiue ſcortationem apud prophetas inuenies pro cultu ſimulacrorum. recedit.n. tunc anima a uero Deo, & tanquam meretrix alieno adhæret) *eſt exquiſitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio uitæ eſt. neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. inanis enim hominum gloria intrauit in orbem terrarum, et ideo breuis illorum finis eſt inuentus. acerbo.n. luctu pater citò ſibi rapti filij fecit imaginem, et illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, et conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra et ſacrificia. deinde interueniente tempore, inualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. et hos quos in præſentia homines honorare non poterant, quia longe eſſent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare uolebant, fecerunt, ut illi, qui aberat, tanquam præſenti adularentur ſua ſolicitudine. Prouexit autem ad maiorem culturam et hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia.*] & paulo poſt. [*Et hæc fuit uitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deſeruientes homines incommutabile nomen lapidibus et li*

gnis

Exo. 3.

1. Thes. 5

Sap. 14.

gnis imposuerunt.] hęc ibi. adduntur pręterea ingentia mala, quę inde profecta sunt. concluditurque infandorum idolorum culturam omnis mali causam esse & initium & finem. Audistis unde tanta pestis acceperit originem. crescente uero identidem superstitione, præter imaginem corruptibilium hominum, ad-
Rom.1. ditæ & illæ sunt, [*uolucrum & quadrupedum & serpentium*.] quarum rerum historiam si persequi ratio temporis pateretur, admiraremini profectò quo pacto fieri potuerit, ut humanus animus in tantam insaniam descenderet. [Non habebis (inquit) Deos alienos coram me.] hoc est, cum intelligas, me esse uerum Deum, scito etiam me unum inuocandum & adorandum. nam illa negatio, non habendos esse Deos alienos, affirmatio est huius, quòd scilicet solus Deus uerus sit adorandus. [*uidete* (in-
Deu.32. quit alibi) *quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*.] illud etiam, [coram me.] prohibet illorum errorem, qui quamuis Deum uerum colerent, coniungebant tamen illi & cultum simulacrorum. Vocat autem Deos alienos eos, qui quamuis
1.Cor.8. non sint, Dii tamen appellantur. [*nam etsi sunt* (ait Paulus) *qui dicantur Dij siue in coelo siue in terra, quemadmodum sunt Dij multi et domini multi, nobis tamen unus est Deus*.] ubi obseruandum, hanc Dei appellationem, alterius scilicet quàm ueri Dei, in usu
Gen.6. esse scripturæ sacræ, ut iudices ac primates Dii appellentur. illud enim quod legimus, [*uidentes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ*,] intelligitur de filiis potentum. est enim familiare linguæ Hebreæ, ut id quod magnificum est, diuinum uocet, sicut,
Ps.35. [*montes Dei, cedros Dei*.] sic illud. [*Deus stetit in synagoga Deo-*
Psal.79. *rum*,] hoc est, iudicum, quos reprehendens ait. [*usquequo iu-*
Psal.81. *dicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis?*] & paulo post.
ibidem. [*ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. uos autem sicut homines*
ibidem. *moriemini, & sicut unus de principibus cadetis*.] sic dictum fuit
Exo.7. Mosi. [*constitui te Deum Pharaonis*.] Deus ergo, qua est bonitate, patitur, atque adeo uult, ut interdum homines diuina appellatione honestentur, sed non uult haberi Deos coram se, hoc est, cum ueri ac summi Dei sit cogitatio, propriaque appellatio, uult ut unus agnoscatur Deus, cui soli quę Dei propria sunt tribuimus, cui soli nos fidere, in quem sperare, quem denique super omnia amare oportet. ut omnem affectum, ac omnes tam ani-

mi quàm corporis uires ad amandum, honorandum, colendum illum, atque ad ei obtemperandum conuertamus. atque hoc est primum illud ac magnum mandatum in lege, quod cum perfectam obedientiam erga Deum requirat, ut omnes carnales affectus ac motus ei repugnantes damnet, tum magnum est, ut quandiu sumus in hac carne peccati, nemo dicere posśit, se hoc præceptum perfectè adimpleuisse, implendum tamen in cœlesti patria, ad quam ob hanc unam uel certè præcipuam causam optare debemus proficisci, ut quod hic non possumus, ibi liceat adimplere. His intellectis iam inspicere incipiemus, quàm sæpe in hoc præceptum peccent homines, qui ne peccatum quidem agnoscunt, & quamuis corporea simulacra non colant, in spiritualem tamen idololatriam, quam hæc prima huius præcepti pars prohibet, incidant imprudentes. quoties enim uel amamus quid uel formidamus, uel cuiuis creaturæ fidimus supra Deum, toties in hoc præceptum peccamus, ut ii, de quibus scriptum est, [*qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.*] huius generis erat princeps ille Tyri apud Ezechielem, cui dominus ait. [*Elatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra* Dei *sedi in corde maris, cum sis homo & non* Deus.] in horum numero sunt, qui plus horreis suis & arcæ fidunt, quàm Deo. cuius rei euidens illud argumentum est, quod, cum dicat dominus, non debere fideles esse solicitos, quid edant aut bibant, aut quo uestiantur, quęrant tantum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia esse adijcienda, nihil tamen minus cogitant, quàm iustitiam regni, quę in primis in eo uersatur, ut in proximum quenque simus benefici, & hæc est illa spiritualis idololatria, quam manifeste Paulus hoc nomine appellat, cum pluribus locis dicit, auaritiam esse simulacrorum cultum, quam cum sæpe in ciuibus meis reprehendam, eam tamen dolens cerno in illis quàm maxime dominari. in hoc pręceptum item peccant, qui principum fauorem amori Dei anteponunt, quam uereor turbam esse maximam. aduersus quos scriptum est. [*maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.*] &, [*nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.*] & profecto miserrima res est, inhęrere ei auxilio, quod singulis momentis auferri posśit, illud-

Psal. 48. *Exo.* 28. *Luc.* 12. *Col.* 3. *Ier.* 17. *Psa.* 145

illudque Diuino fauori anteponere, quòd manifestè facere arguuntur, cum Deum offendere principum gratia non uerentur, quibus illud conuenit, quod Deus per prophetam eiusmodi hominibus obiicit. [*duo mala (*inquit*) fecit populus meus. me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non ualent aquas.*] Peccant item in hoc præceptum, qui sibi in sua sapientia, & prudentia placent, de quibus scriptum est. [*Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*] item qui fortitudine & uiribus corporis confisi, obliuiscuntur id munus Deo acceptum referre. nec minus qui toti se uoluptatibus dedunt, & [*tanquam iumenta*, sicut scriptum est, *putrescunt in stercore suo.*] de quibus Paulus ait, [*quorum Deus uenter est, & gloria in confusione eorum.*] breuiter omne lætale peccatum ad hanc spiritualem idololatriam pertinet, dum spreto Deo, quem unum finem nobis statuere debemus, aliud quippiam, quod satis appetitionibus nostris faciat, ipsius Dei amori anteponitur. nam qui in gratiam uxoris Deum offendit, Deum abnegauit, & uxorem pro Deo coluit. qui in gratiam regis ac principum spoliat pupillos ac uiduas, aut aliud quippiam patrat scelus, principem pro Deo ueneratur. ii enim propriè sunt, de quibus ait Paulus. [*qui fatentur se nosse Deum, factis autem negant.*] quæ uerba manifestè declarant, eiusmodi homines inter eos esse numerandos, qui abnegato Deo cultui simulacrorum se dedunt, at uero deteriores plerunque sunt idololatris. nam qui immolant simulacris, in illo cultu plurimum sibimet tantum ipsis nocent, at quicunque uel auaritię student, quam diximus a Paulo simulacrorum cultum appellari, uel principibus adulantes, in eorum gratiam non uerentur proximum quenque afficere iniuria, ii non solis sibi damnum afferunt, sed multo magis toti hominum generi sunt detrimento. Verum quia superius diximus, solum Deum esse inuocandum, ne uideamur subscribere quibusdam huius ętatis uiris, qui nouandis rebus studuerunt, & præterea ut synceram pietatem teneatis, nequis uestrum uel ad dexteram uel ad sinistram inclinet, aliqua de sanctorum inuocatione dicenda sunt. Hoc sine controuersia tenendum est, sanctorum memoriam summa cum reuerentia esse seruandam. primum quòd diuina in eis relucet maiestas ex admirandis factis, quæ Deus per

Ier. 2.

Esa. 29.

1. Cor. 1.

Ioe. 1.

Phil. 3.

Tit. 1.

Col. 3.

eos egit, ut merito cum propheta dicere posſimus. [*mihi autem nimis bonorati ſunt amici tui Deus.*] deinde ut fidem eorum, per quam tam admiranda geſſerunt, quemadmodum in epiſtola ad Hebręos declaratur, ſuſpicientes, imitari eos conemur. nam eiuſmodi exempla uim habent ingentem ad permouendos homines ad optima quæque ac præclariſsima, quod uero ad eorum inuocationem pertinet, illud eſt obſeruandum. ſi inuocatio pro eo accipiatur, quod eſt aliquem, tanquam ſuæ ſalutis pręcipuum auctorem appellare, & pro ope atque auxilio ſua uirtute impertiendo interpellare, ſancti hoc pacto non ſunt inuocandi, ne, quod ſolius Dei eſt, ſanctis tribuamus, qui ſanè hoc inuocandi genus nequaquam agnoſcunt, ueluti noſtri conſerui, unum eundemque Deum nobiſcum adorantes, illius bonitati, quicquid eſt auxilii, ſalutis, felicitatis, ueluti ſummo auctori nobiſcum tribuentes, quod & angeli faciunt, quemadmodum habes in Apocalypſi. cum enim Ioannes cecidiſſet ad pedes angeli, ut eum adoraret, dixit. [*uide ne feceris, conſeruus tuus ſum. Deum adora.*] ſic in Actis apoſtolorum Petrus cernens Cornelium ad pedes ſuos procidentem & adorantem, erexit eum dicens. [*ſurge, & ego ipſe homo ſum.*] idem cum Iudæos ſtupentes cerneret ob ſanatum claudum. [*uiri* (inquit) *Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra uirtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?*] ſic Paulus & Barnabas Liſtrios eis immolare feſtinantes, grauiſsimè increpauerunt, conſciſsis etiam tunicis exilientes in turbas & clamantes. [*uiri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles uobis homines.*] quis non miretur Chriſtianæ philoſophiæ maieſtatem, quæ diuinos etiam honores aſpernetur, quos ut externi quidam philoſophi aſſequerentur, propriæ uitæ iacturam facere non recuſabant? Solus itaque Deus hac ratione eſt inuocandus tanquam auctor omnis ſalutis noſtrę, qui ſolus ſua uirtute & non alius nos ſeruat ac protegit. Verum ſi inuocandi uerbum latiori ſignificatione accipiamus, pro eo quod eſt ſimpliciter interpellare, ſeu miniſterium alicuius aut officium expetere, quid prohibet hoc pacto inuocare ſanctos ut amicos Dei, & multi apud eos meriti, qui Deum pro nobis regent, qui ſua nobis uirtute ſuccurrat? quod fecerunt apoſtoli pro Cananęa, cum dixerunt, [*dimitte eam, quia clamat poſt nos.*] hac ratio-

Pſ. 138.

Heb. 11.

Apo. 19

Act. 10.

Act. 3.

Act. 14.

Mat. 15.

ne rogatur medicus tanquam minister Dei, ut succurrat laboranti, nec cuiquam datur uitio, nisi uellet salutem, atque incolumitatem medico tanquam auctori, & non Deo acceptam referre, aut plus quàm æquum est, fiduciam in medicos coniicere, quo nomine Asa rex fuit reprehensus, cum ægrotaret dolore pedum uehementissimo. reprehensus inquam est, non quòd medicum accersiuisset, sed quòd in arte medicorum magis confisus esset, ac Dominum non quęsiuisset, quod erat ante omnia faciendum. idem in sanctorum inuocatione faciendum est, ut eos quidem, ut amicos Dei, quorum preces ipsi Deo gratas scimus, inuocemus interpellatores, [ut qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus (quemadmodum orat ecclesia) eorum apud Deum precibus adiuuemur.] solam uero salutis spem in Deo salutis auctore collocemus. interimque a multis superstitionibus, quæ hominum imprudentia irrepserunt, abstineamus, quarum interdum fecimus mentionem, & facturi etiam sumus, cum ratio temporis patietur. nunc enim claudenda oratio est. Iudicauimus autem non oportuisse, hanc materiam de sanctorum inuocatione fusius tractare, & tum scripturæ sacræ auctoritate, tum uniuersali totius ecclesiæ usu, ac theologorum uetustissimorum scriptis, eorum errorem refutare, qui sanctorum inuocationi detrahere conati hac ætate sunt. cum Dei benignitate uideam hanc ciuitatem ab eiusmodi pestibus liberam. quod a uestro episcopo ac martyre Feliciano iam olim creditur fuisse impetratum, quem etiam, quando de sanctorum inuocatione sermo est, uelim precemur, ut indefessus aduersus & hereses & reliqua uitia atque peccata intercessor pro nobis esse perseueret apud Deum omnipotentem. cui soli est honor gloria & imperium & nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

2. Par. 16.

ORATIO VIGESIMAOCTAVA.

Eiusdem sententiæ, qua confutat nonnullos superstitiosos errores circa fidem, & cultum imaginum, reliquiarumque sanctorum.

NON facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles.] Quemadmodum Euangelica lex in tollendis uitiis animum in primis spectat, atque ab eo ipsas peccatorum radices studet euellere, hoc enim pacto prodire in actum non possunt. at ubi interior homo uitiatus est, semper ex eo pullulant facta uitiosa. [*de corde enim* (ait dominus) *exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia.*] sic cum de simulacrorum cultu tractetur, spiritualem prius idololatriam arguere opus fuit, à qua exterior est profecta. ostendimus enim alibi ex Paulo, homines in tam monstrosam uecordiam adorandorum simulacrorum sese abiecisse ex eo, quòd innumeris se uitiis atque peccatis sordidauerant, quibus excæcati se etiam ipsos, quinam essent, ignorabant. hæc enim est iusta recedentium à Deo pœna, ut qui habere in notitia Deum recusauerunt, ne se quidem ac dignitatem suam possint intelligere. relicta ergo Dei notitia, desierant homines seipsos etiam nosse, quid essent, ac quantum rebus omnibus, quæ sub cœlo sunt, antecellerent. hoc enim ex sola Dei agnitione intelligitur. & ea cœperunt uel metuere, uel colere, quę ut ipsis seruirent, fuerunt à Deo instituta. & cum cernerent illos immensos cęli anfractus, ac lunę atque stellarum per cœlum cursus, qui facti sunt, ut nobis ministrarent, essentque in signa & tempora & menses et annos, Deos esse putauerunt, quod

Mat. 15.

Rom. 1.

apud Græcos apertius uidetur, apud quos Deus dicitur θεὸς, uenireque putatur à uerbo θέω, hoc est, curro, quòd scilicet ex eo cursu diuinitatem illis asſignauiſſent, & ex hac diuinitatis opinione cœperunt ab illis uel ſperare beneficia, uel damna metuere. quare ſupplices illi fiebant, & eos honorabant ſacrificiis. in eundem modum & ex eiſdem affectibus & in terra & ſub aquis miſeri Deos ubique excogitauerunt, & factis eorum ſimulacris ea adorauerunt. neque ulla res tam fœda uel aſpectu uel dictu eſt, quam non ſint auſi diuinitatis appellatione donare, ut etiam Priapos & Phallos & Ityphallos tanquam Deos celebrauerint, nec pepercerint palam eorum imagines pro Diis dedicare. Hunc ergo perditiſsimum errorem in primis prohibere oportuit, cum eo tempore orbem omnium terrarum inuaſiſſet. uerum quando per aduentum Seruatoris Christi paſsim exploſæ hæ tenebræ fuerunt, tentat malus Dæmon occultioribus uiis efficere, ut homines in non abſimilem errorem, neque minus damnoſum relabantur. perſuadet enim imagines quaſdam fieri, quibus ſi cultus neſcio quis exhibeatur, multa homines, quæ cupiant, aſſequantur. Hi manifeſtiſsimi ſunt idololatræ, prætexant ſibi quas uelint cunque cauſas. Proximę accedunt ad hos, qui genethliatis atque aſtrologis fidem accommodant, ſuamque uitam & opera ad cœli ſigna eorumque motus regunt. quos apertiſsimè ſcriptura redarguit. uide enim quid Babyloniis, qui in primis hoc morbo laborabant, atque iccirco poetæ hanc uanitatem Babylonios numeros appellant, dicatur per Eſaiam, [*ſtent* (inquit) *& ſeruent te aſtrologi* (quos Hebræa locutio appellat augures cœli) *qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent uentura tibi. ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſsit eos.*] cernis manifeſtiſsimam aſtrologorum reprehenſionem? & tamen apud multos Chriſtianos in pretio ſunt. uerum quando Dei benignitate cerno hanc ciuitatem ab hac uanitate liberam, non ero in re parum neceſſaria longior, alioqui oſtendere poſſem, non ſolum Diuinarum ſcripturarum, uerum etiam eorum philoſophorum, qui præſtantiſsimi inter alios fuerunt, præſertim Platonicorum auctoritatibus, quàm diuinatrix hæc aſtrologia uana ſit. tantum ſatis ſit admonere, non eſſe negandum, ſuperiora corpora in hæc inferiora

Eſa. 47.

riora uim quandam influere, non solum in res inanimas ac bestias, uerum etiam in corpora humana. at anima rationalis seu spiritus hominis, qui à Deo creatur, & homini infunditur, nullis stellarum influxibus subiacet. quod qui non credit, fidem abnegauit, & baptismum uiolauit. In hoc præceptum etiam peccant qui hariolos sciscitantur, qui somnia atque auguria obseruant, qui maleficos & incantatores, seu pythones, aut Diuinos consulunt, ut noua inquirant, & secreta rimentur, ut futura præsagiant, ut perdita recuperent. hos, qui his diuinatoribus fidunt, Esaias eodem quem citauimus loco, reprehendit, [*Sta* (inquiens) *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, &, si possis fieri fortior.*] *ibidem.* peccant etiam qui ueneficis mulieribus fidem habent, & credunt, ea reuera fieri, quæ ipsæ Diabolicis illusionibus deceptæ iactant. credunt enim se cum Diana horis nocturnis cum innumera multitudine equitare supra quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio conficere. eiusdem criminis rei sunt, credentes maleficas istas sua uirtute seu opera hominibus re uera incommodare posse, cum ne Diabolus quidem, quem *Ephe. 6.* scriptura huius aëris spiritum seu potestatem appellat, ullo damno afficere quempiam possit, nisi permittente Deo. maleficæ igitur non faciunt grandines, neque tonitrua, sed Diabolus, quatenus hoc illi permittit Deus. quod facit, ut fidem suorum exploret. quod pulchrè in Deuteronomio ostenditur, ubi sic dici *Deu. 13.* tur. [*Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium se dicat ui disse, atque prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoramus, & seruiamus eis, non audias uerba prophetæ aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, ut palam faciat, utrum diligatis eum an non in toto corde & in tota anima uestra.*] Porrò nihil posse Diabolum, nisi quod à Deo illi permittitur, liber Iob *Iob. 1.* manifestè ostendit, & illa in Euangelio Dæmonia quæ nisi permittente Domino in porcos ingredi sunt ausa. ex quibus conse- *Matt. 8.* quens est, eos etiam in hoc præceptum peccare, qui licitum ar- *Mar. 5.* bitrantur maleficia maleficijs tollere, atque ad Dæmonum auxilium accurrere. Sed est quoddam genus curandi morbos, quod

inter

inter uisitandum interdum deprehendi à multis seruari, quod licere putant, quia in eo nulla uerba agnoscunt, quæ uitiosa illis esse uideantur: & tamen ea Dæmonum esse commenta non est dubitandum. nam etsi multa uerba bona ibi dicantur, permixta tamen sunt fabulosa quædam mendacia, quibus Diabolus, qui mendacij pater est, delectatur, & fidem exigit, qua permittente Deo eæ fiunt curationes, quas alioqui naturæ ratio non admittit. quin illa uerba nullam sententiam habent, ut manifestè intelligi posit, quo primum tempore instituta ea fuerunt, occultum cum Dæmone pactum intercessisse, & illius opera rem peragi. cum uerò cernunt prohiberi à me nefarium, & à Christiana uia alienum curationis genus, respondent, miserendum esse eorum, qui iis morbis laborant, qui uix aliter quàm hac uia curari possint. neque intelligunt miseri, mortem potius millies esse oppetendam, quàm admittendam ullam curationem, quæ Christi legibus aduersetur. Verum si doceri uultis optimum aduersus omnes morbos omnesque molestias remedium, ea est uiuida fides, quæ non solum desperatos morbos curare idonea est, uerum etiam mortuos reuocare ad uitam: cuius rei scripturæ sacræ locupletissima proferunt testimonia. hac fide & fidei signo, hoc est, cruce armemur: hac uisa exhorrescunt Dæmones & fugiunt, tantum abest, ut uim ad nocendum nobis ullam habeant. hæc fides quia deest, nullam eius uirtutem agnoscimus, quæ olim efficacissima cernebatur. nam uetus ecclesia solenne adhibebat remedium aduersus eiusmodi Diaboli diuexationes. erant enim olim in ecclesia exorcistæ, qui super uexatos à spiritibus, atque agitatos Dæmoniacis illusionibus uel terriculamentis nomen Domini inuocabant, & adiuratum spiritum eijciebant, uel compescebant. nunc uerò instituuntur exorcistæ iis præditi moribus, qui opus habeant ipsi potius, ut Dæmones, quorum operibus pleni sunt, ab eis eiiciantur, quàm ut expellere ab alijs Dæmones possint. nunc pro sacris illis uerbis ac signis introducti sunt superstitiosissimi exorcismi & sacrilegæ adiurationes, quibus uerba peregrina & commentitia, ignoti etiam characteres & figuræ adhibentur ac permiscentur. quin hos characteres & figuras ac ignotas literas stultis hominibus diuendunt, persuadentes illis, quòd dum eiuscemodi characteres secum portauerit, securi à

ri à periculis sint futuri. quos lex Diuina damnat, & ecclesia pronuntiat esse fidei Christianæ ac baptismi præuaricatores, ethnicos, apostatas, & Dei inimicos effectos. Non damnamus tamen cum res aliquæ, ut aqua, herbæ, atque res eiusmodi sacerdotali benedictione sanctificatæ adhibentur curandis uel hominum uel animalium morbis, modo cesset superstitio, hoc est, ne in res illas externas fiducia conijciatur, sed Diuina duntaxat uirtus ac uerbi Dei potentia attendatur, & eius contemplatione ad fidem excitemur. hoc pacto fideles à morbis liberati fuerunt, si uel semicinctia uel sudaria ab apostolis accepissent. non enim eis hærebant cogitatione, sed uirtuti Diuinæ, quæ in illis agebat. hæc enim una attendenda est, hanc aspiciebant unam ueteres patres, cum permittebant uti herbis cum symbolo Diuino aut oratione Dominica. hoc enim est facere, quod Paulus docet. 1. *Ti.* 4.
omnem scilicet creaturam bonam esse, [*& nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione*] perciperetur. sanctificari [*enim per uerbum Dei & orationem.*] Quoniam uerò de cultu & adoratione Dei sermo habetur, non nihil etiam dicendum est de ueneratione reliquiarum, & imaginum Christi ac sanctorum, præsertim cum huius ętatis rerum nouatores hanc partem plus ęquo exagitauerint. docebimus ergo, quatenus hæc uel liceant, uel non liceant, ut tollatur superstitio, & seruetur synceritas religionis. Constat, sanctorum reliquias in ecclesia tam Græca, quàm Latina semper religiosè esse habitas, cuius rei uetustissimos theologos & Græcos & Latinos testes habemus locupletissimos. qui mos in ecclesiam duas potissimum ob causas est introductus. primum quòd eiusmodi reliquiæ fidem in nobis efficacissimè excitant, dum cogitamus, hæc esse ossa, hos pulueres, qui sancti spiritus fuerunt domicilium, & ij similes nostri, obnoxij affectibus, fide in Christum suffulti omnia aduersa superauerunt, & mira fecerunt, quæ uirtute humana longe maiora sunt. quare non esse dubitandum, fore, ut nos eadem possimus, si eundem spiritum fidei habentes, eisdem ingredi uestigijs uoluerimus. sed hac in re non negamus, non parum ab ecclesię pręsulibus esse dormitatum. nam uetus ecclesia in primis fidei incitamenta curabat, cuius uiuidę fidei uirtute adibantur sepulcra martyrum, ibique non solum curabantur ęgroti, sed mortui etiam ad uitam suscitabantur, tot

que-

quebantur Dęmones, obsessi a Dęmonibus liberabantur, & peccatores ad pœnitentiam conuertebantur. sed hic nostro seculo uariè ob parochorum uel socordiam uel auaritiam peccatum est, nam uetus ecclesia pium potius Christianorum affectum in inuictam fidem martyrum, quam in miracula prospectantem comprobabat, atq; interim nulla euulgari miracula passa est, nisi quę supra naturalem rerum euentum fidelibus multum commodasse, ac plurimum habere uirtutis ad firmandam fidem catholicorum certissimis argumentis comperisset. deinde non alias reliquias, quàm quas uerè constaret spiritus sancti templa fuisse, uenerari permisit, quas tamen publicè exponi uetuit. ad quęstum uerò exponi sacrilegium iudicauit. at nostro seculo nihil fere de fide sanctorum populo proponitur, sed multa miraculorum fit mentio, quę interdum finguntur, uel talia sunt, ut de eorum auctore meritò dubitaueris. atque huius erroris causa est lucri cupiditas, ob quam scelerati sacerdotes multa mentiri quotidie deprehenduntur. interdum stultus uulgi error in causa est, qui si uideant, exempli gratia, lanuginem ex parietis humiditate apparere in imagine aliqua, dicunt florem aut rosam innatam, & eam imaginem consecrant posteritati. ut taceam eos, qui arte quadam prodire aquam faciunt ex alicuius imaginis oculis, ut lacrymari uideatur, & ex hoc mentito miraculo lucri plurimum faciant. Longum esset recensere, quę scelesti impostores quotidie fingunt. sic expositę sunt passim reliquię ad quęstum, ex quo multi occasionem acceperunt magis sanctorum ossibus fidendi, quàm Deo uiuo. Corrigendus est ergo hic abusus, ne harum superstitionum introductione religio corrumpatur, ut neque eorum pietas, qui fidei suę iuuandę exercendęque gratia, ad indubitata sanctorum monumenta recurrunt, contemnantur, neque superstitiosus cultus in exponendis ad quęstum reliquiis, uel recensendis incertis ac prodigiosis miraculis deinceps feratur. Altera causa est, cur uisum est, licere sanctorum ossa uenerari, ut eo modo ea tractaremus, quo filius mortui patris uestem honorificè tractat, aut quemadmodum quispiam annulo, quem amicus decedens legauit, oblectatur, quo etiam uix unquam utitur, nisi chari amici imago subeat, nisi & uerborum & factorum meminerit, & annulum ueluti perpetuę amicitię pignus

gnus relictum exosculatus fuerit. quid enim aliud sunt sanctorum cineres & ossa, nisi quędam eorum pignora in terris relicta? docendi ergo sumus, non fidere reliquijs, neque reliquias adorare proprie, sed tantum sanctorum fidem in illis deosculari, illasque uenerari. His breuiter de reliquijs sanctorum dictis, pauca etiam de imaginibus addamus. sunt qui putent ex huius pręcepti uerbis omnem prohiberi prorsus imaginum usum, dum ad uerbum hoc pręceptum exigunt, cum uidentur uetare omnem similitudinem eorum, quę in cœlo, quę in aquis sub terra sunt. & sanè ingens olim fuit in ecclesia de hac re controuersia, & ob hanc causam septima uniuersalis synodus coacta fuit, ut controuersię, quę super hac re fuerant excitatę, sedarentur. uerum si hunc sensum uerborum mordicus tueri uelis, cogeris fateri, etiam ipsum Mosen huius legis promulgatorem idololatram fuisse, atque adeo Deum (quod pię aures abhorrent) idololatriam pręcepisse. Moses enim ex pręcepto Dei duos cherubin aureos in tabernaculo in summis propitiatorij partibus posuit. in uasis quoque templi, quod exstruxit Salomon, erant boum & leonum & cherubin sculptæ imagines, & in parietibus sculpti erant cherubin. in mitra quoque pontificis erat imago lunæ, & in ueste malorum punicorum simulacra. unde consequens est, hoc præcepto non simpliciter interdictum omne genus imaginum, sed nefandum usum, ne scilicet more gentium haberent simulacra, quæ proponerentur adoranda. quod declaratur, cum dicitur. [non adorabis ea neque coles.] & illud, [coram me], hoc est, non habendas imagines Deo æquandas, quibus aliquam tribuamus Diuinitatem. aliud ergo est, imaginem seu picturam sic adorare, quod nequaquam licet, aliud pictura uti tanquam historia ad excitandum affectum ob eorum recordationem, quæ illi gesserunt, quorum sunt imagines. nam quod legentibus scriptura est, hoc idiotis pictura, in qua sanctus ueneratur, uel Deus adoratur, præstat, qui in ea cernunt, quid sequi atque imitari debeant. quin plus interdum efficaciæ habet pictura, quàm literæ, dum quasi ante oculos res fieri uidetur. & præterea plura uno intuitu percipiuntur in pictura, quæ ex scriptura non nisi paulatim discuntur. sic cum imaginem Christi crucifixi cernimus, uehementius commoueri solemus, quàm cum

Exo. 37.

3. Reg. 6.

idem in literis legimus, & plura item in illius figurę contemplatione complectimur animo, eodem atque uno tempore, quàm legendo. Verum & in hac parte abusus plurimi sunt introducti ac superstitiones. primum quòd earum rerum imagines in ecclesiam inuectę sunt, quę in sacris scripturis, aut à probatis autoribus nullum habent testimonium, ut est trium in Diuinis personarum figuratio. deinde picturę & statuę supra modum plurimę magnis sumptibus & impensis in templis certatim collocatę sunt, quasi in hoc magna pietatis pars sita esset, neglectis interim Christi pauperibus, qui sunt uiuę Christi imagines. item quòd imagines ita pingi ac delineari cernimus, ut non ad Christianę honestatis formam, sed ad seculi uanitatis incitamenta effi cta uideantur. denique quòd rudis plebs permissa est imagines colere, quadam in ipsas collocata fiducia, quod ab idololatria non admodum distat. à qua excusari non possunt, qui imaginem aliquam sibi ad adorandum elegerint, idque uel ob pulchritudinem, uel ob uetustatem, credentes hanc aliquid plus habere uirtutis, aut etiam aliquid numinis. interea nullus ferè eisdem imaginibus utitur eo pacto atque ad eum finem, ad quem fuerunt à patribus institutę, ut scilicet eorum contemplatione, quorum sunt imagines, inuitemur ad uirtutem & rectè facta, ad imitandum eorum tolerantiam, longanimitatem, fidem, pietatem, charitatem. sed plerique omnes adeunt eas ob hanc unam causam, ut aliquid commodi, eiusque plurimum temporarij consequantur, ut tota res in mercaturam & negociationem demum uersa sit. Quare corrigendi sunt hi errores, & signum crucis ac cęterę imagines, ueluti pietatis signa conseruandę, eademque non propter se, sed propter ipsa, quę repręsentant, mysteria ueneranda. solus uerò Deus unus ac uerus adorandus, & nihil beneficij, auxilij, ac solaminis aliunde, quàm à Deo exquirendum, quin ad eum solum in omnibus afflictionibus ac molestijs ueluti potentissimum refugium, atque opitulatorem accurrendum. Hęc, quę & superiori oratione de inuocatione sanctorum, & hodiede reliquiarum & imaginum ueneratione diximus, si seruaueritis, regia uia tutò ingrediemini, & neque impij eritis, neque superstitiosi. impij enim sunt, qui euertere omnia conantur sine ullo delectu, quę salutariter a sanctis patribus

fuerunt

fuerunt introducta. superstitiosi uerò, qui contraria uia ingressi, religionem a sua maiestate in aniles opiniones detrahunt, dum supra modum esse religiosi uolunt. nobis ergo media uia est ingrediendum, ut malum, quod utraque extrema afferre solent, euadamus. hoc enim erit neque ad dexteram declinare neque ad sinistram, quod pręstet nobis Dominus noster Iesus Christus, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen. *Deu. 5.*

ORATIO VIGESIMANONA.
Prosequitur interpretationem Decalogi.

EGO ENIM sum Dominus Deus tuus, Deus æmulor, uisitans iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem iis; qui oderunt me & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & seruantibus præcepta mea.] Iam dictum a nobis alibi est, prophetas, cum de Deo, deque eius erga homines uel charitate uel dispensatione loquuntur, oportere humanos ei affectus tribuere, aliter res Diuinæ percipi à nobis nullo modò possent. quando ne angelorum quidem quas Paulus appellat linguas intelligere idonei sumus, eum uidelicet modum, quo illi inter se inuicem innotescunt: sed oportet ut & ipsi sese ad nos demittant. cum ergo uult Deus declarare, quanta nos prosequatur, & quàm uehementi charitate, amatorum induit affectus, quibus acriores uehementioresque reperiri non solent, & se zelotypia quadam laborare profitetur: hoc enim est, quod ait, [Ego sum Deus zelotes,] siue Latina uoce, æmulator.] hic loquendi modus frequens apud prophetas est, ut Deus uiri mulierem amantis personam induat, quemadmodum apud Ieremiam legimus. [*recordatus sum* (inquit) *tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto*, & rursus. [*uulgo dicitur. si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eum ultra? nunquid non polluta & con*

1. Cor. 13. *Ier. 2.* *Ier. 3.*

taminata erit terra illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. attolle oculos tuos in loca excelsa, & uide ubi non prostituta sis. in uijs sedebas, expectans eos, quasi Arabs in solitudine, & polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis. frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere. ergo saltem amodo uoca me, pater meus, dux uirginitatis meæ tu es.] quibus uerbis apertissimè profitetur, se longè maiori nos charitate prosequi, quàm quiuis, qui mulieris alicuius amore insanierit. Apud Osee uerò plus quam poëticè describuntur illę amantium uicissitudines hanc unam ob causam, ut tanto amatori Deo aliquando afficiamur. Libet autem utilitatis uestræ gratia magnam eius loci partem ante oculos uestros ponere. fingit se respuisse eam, & tamen uult, ut admoneatur. & ait. [*obiurgate matrem uestram, obiurgate, quoniam ipsa non uxor mea, & ego non uir eius.*] & mox, quasi ueritus, ne modum excesserit, confestim dat spem illius recipiendæ, & ait.

Ose. 2.

ibidem. [*auferat fornicationes suas à facie sua, & compressiones de medio uberum suorum, ne forte exspoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ.*] hæc autem eò spectant, ut resipiscat, & memor superiorum beneficiorum compescatur, & prauas uias deserat. neque minoris amatoriæ artis sunt, quæ sequuntur. [*quia dixit* (inquit) *uadam post amatores meos, qui dant panem mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. propter hoc ecce ego sepiam uiam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.*] Quem ad finem ista? num ut ab omnibus destituta pereat miserè? non. uide enim quid addat, & dicat. [*uadam & reuertar ad uirum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quàm nunc.*] post obiicit ei collata beneficia, rursumque ad minas conuertitur. [*& hæc nesciuit* (inquiens) *quòd ego dedi ei frumentum, & uinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. iccirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & uinum meum in tempore suo, & auferam lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. & nunc reuelabo spurciciam eius in oculis amatorum eius, & uir non eruet eam de manu mea, & cessare faciam omne gaudium eius.*]

ibidem.

ibidem.

ibidem.

Post

Post has autem & alias, quæ ibi positæ sunt, minas, quasi indulserit animo in amantium iratorum morem, mox ad blanditias se recipit, & ait. [*propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo uinitores eius ex eodem loco, & uallem Achor ad aperiendam spem, & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ.*] & post aliquot eiusdem generis addit. [*sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.*] Nostis quàm arcta esse soleat inter maritum uxoremque coniunctio, ut etiam filiorum erga parentes superet charitatem. ob eam enim causam intuitus Adam mulierem, quam Deus formauerat ei sociam, prophetico spiritu dixit. [*propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam,*] hoc est, una caro, & quasi ex duobus unum effecti. cum ergo uult Deus significare per prophetas suos, quàm ingenti nos charitate prosequatur, sponsi ac sponsæ frequenti utitur similitudine, & tamen tantum amatorem non agnoscimus, atque adeo potius auersamur, neque illius uel allectationibus trahimur, uel minis terremur. qui si cogitaremus illum, cum nos castigat, icirco hoc agere, ut ad illum reuertamur, neque minore laborare zelotypia, cum iratus uidetur, quàm quo tempore uotis omnibus nostris obsequitur (scimus enim hunc esse amantium morem) profectò omnia quæ ab illo proficiscuntur, eodem animo, hoc est, libenti & grato acciperemus, cum utilitatis nostræ gratia agat omnia, & ardentissimo nos semper amore prosequatur. hoc uiuidam ac solidam fidem in nobis constitueret, quæ fides efficit, ut spirituali ei coniugio copulemur. hoc coniugium habendum ante oculos est, & hæc zelotypia, & cogitandum, quid cum uiro zelotypo faciendum castæ mulieri sit, cum illum cernit metuere, nequis illam ad adulterium solicitet, néue ipsa cuiusquam blanditiis decipiatur, adeo ut ægrè ferat aliquem propius coniugi suæ assidere, nec facile permittat uxorem nisi se præsente in publicum progredi, quòd se solum amari ac suspici uelit. illa ubi uirum cernit his suspicionibus laborare, omnia circunspicit, nequid offensionis uiro suo relinquatur. hanc zelotypiam Paulus pro Christo induerat, cum dicebat. [*zelotypus sum erga uos Dei zelo, adiunxi*

ibidem. *ibidem.* *Gen. 2.* *2. Cor. 11.*

enim

enim nos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. sed metuo, ne quemadmodum serpens Euam *decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum.*] Cernis & Paulum, qui Christi negocium agebat, in zelotypi morem metuere, ne fidelium castitas atque integritas animi corrumperetur? Sed uideamus quæ sequuntur. cum enim dixisset, [Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, adiecit, uisitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem iis, qui oderunt me.] Hoc, primo aspectu uidetur ei contrarium, quod idem Deus per Ezechielem dicit, ubi prohibens ne posthac celebraretur pro

Ier.31. uerbium illud in Israël, quo dicebatur, [*patres nostri comede-*

Eze. 18. *runt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt,*] dixit. [*anima quæ peccauerit, ipsa morietur. filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij.*] sed nihil hoc illi contrarium est, cum enim dixisset, [uisitans iniquitatem patrum in filios,] continuò sese interpretatus est, cum ait. [iis, qui oderunt me,] cum scilicet filij sunt paternorum scelerum sectatores. immo uerò si quis obseruet Hebrææ locutionis proprietatem, inueniet hic maximam Dei erga peccatores longanimitatem, qui non prima mox generatione iram exerat, sed expectet tertiam & quartam generationem, dum resipiscant. quos cum cernit in eisdem sceleribus & imitatione parentum perdurare, tum demum eorum iniquitates castigat, ne malum in infinitum progrediatur. hoc loquendi modo utitur & Amos propheta, cum sæpius idem re-

Amo. 1. petens ait. [*super tribus sceleribus & super quatuor non conuertam.*] quod nihil aliud significare uidetur, quàm ut dicat, quia peccatis peccata assiduè accumulant. hoc enim est ter & quater peccare, hoc est, sæpius. hoc ergo pacto uisitat Deus peccata patrum in filios, qui expectati, ut parentum uitia desinant imitari, ab illis discedere renuunt. Sed quando facta à nobis men-

Eze. 18. tio est uerborum, quæ Deus per Ezechielem loquitur, quòd scilicet filius pœnas non sit daturus pro patre, aliquid & de illis est dicendum. respondere enim quiuis uestrum posset hoc pacto. id si uerum est, quomodo totum genus humanum luit

Gen.19. peccatum primi hominis? ut quid innocentes pueri cum So-

2.Reg. domitis perierunt? quare multa millia peste interierunt pro-

24. pter peccatum Dauid? ad hoc respondetur, Deum interdum pœnas

pœnas sumere ut patrem ad emendandum filios, interdum ut uirtutem probet filiorum, interdum ut iustus iudex, ut pœnas sumat ac prorsus deleat. atque de hoc puniendi genere uidetur hoc loco intelligendum. nam cum alioqui innoxios punit cum peccatoribus, ita rependit eis pro hac temporaria pœna, ut pœna affecti minimè dici poßint, atque ita planè alius est erga uasa iræ, alius erga uasa misericordiæ. & sic multæ sunt pœnæ, quæ rectius remedia uocari possunt, quàm pœnæ. & quando boni atque innocentes cum impiis temporariè laborant, non propriè luunt pœnam, sed mala ferendo suam conseruant sanitatem. sicut Abraham cum Chananæis famem pertulit, & *Gen. 12.* uiri boni cum habitatoribus impiis, huius mundi communia ferunt incommoda, ueluti uirtutum exercitamenta, ne efferantur nimio successu rerum. Et quamuis hic de temporaria pœna loqui uideatur, non ineptè tamen statuunt Hebræi, quòd mortem ac uitam simul ad futurum seculum tacitè hic referat. De pueris uerò, qui olim in fœdus Domini per circuncisionem suscipiebantur, & qui hodie per baptismum Domino inaugurantur, dubium non est, quin regnum cœlorum eorum sit. de externorum pueris dubium est, licet non negemus, Deum, quos uelit, seruare. iustus enim ille est, & nihil cuiquam debet, bene actum putemus, si pueri moriuntur aut occiduntur uolente Domino, sicut in Sodomis & diluuio accidit, ne malorum parentum uestigia secuti in grauiorem incidissent pœnam, aut ne piorum filii a gratia excidant. sed moneo uos, ne in eiuscemodi quæstionibus sitis admodum curiosi. parum enim prosunt, ac sæpius nisi maxima cum reuerentia ac pietate & timore Dei tractentur, nocent. satis sit nobis scire, Deum non solum iustißimum esse, uerum etiam optimum, & præterea omnia in sapientia facere, ut nihil opus nobis sit, in facta illius curiosius disquirere. est enim maximè temerarium, hominem rem nihili, atque adeo nihil omnino, si Deo conferatur, audere tantæ maiestatis facta diiudicare. sed quę reliqua sunt, uerba uideamus. [Et faciens misericordiam (inquit) in multa millia diligentibus me, & seruantibus præcepta mea.] Hoc loco uenit mihi in mentem uerborum prophetę, qui ait. [*ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius.*] *Psal. 29.* hoc est, momentanea est eius ira, neque durat, quia non est ei

gratum

gratum sęuitiam exercere, benignè uerò facere eius naturę proprium est, idque ille optat ac uult. quare in beneficentia perdurat libentißimè, id ipsum etiam hoc loco declarat. cum enim ostendisset, se quàm poßit tardißimè pœnas inferre, iam ubi misericordia pręstanda est, nullis eam terminis circunscribit, sed dicit, se facere misericordiam in multa millia iis, qui diligunt illum, & seruant pręcepta illius. quod autem ait, [multa millia] numerus hic pro infinito numero est positus. quemadmodum enim infinita est bonitate, ita & miserationum eius nul-
Ps. 144. lus est finis. nam [*suauis* (inquit) *Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.*] & rursus. [*cum iratus fueris,*
Aba. 3. *misericordiæ recordaberis.*] &, [*uisitabo in uirga iniquitates eorum,*
Psal. 88. *& in uerberibus peccata eorum. misericordiam autem meam non disperdam ab eis.*] Hæc autem tanta Dei nostri charitas ac benignitas erga nos, habenda semper in animo est hac tantum ratione, ut eum ardentius amemus, & eius cura fidamus, non
Rom. 2. ut ea abutamur, ne obiiciatur nobis illud Pauli. [*an diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ, lenitatisque contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? sed iuxta duritiam tuam & cor pœnitere nescium, recondis tibi ipsi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei.*] hoc omnino est cauendum, non solum quia pernicioßißimum nobis, uerum etiam ac multò magis (si quam filiorum indolem præ nobis ferre uolumus) quia fœdißimum est, tanta abuti tam benigni patris bonitate. Hæc itaque cogitantes, qui adhuc seruili animo sunt, neque dum filiorum affe-
Heb. 10. ctum induerunt, saltem pœnarum metu coërceantur. [*horrendum est enim incidere in manus Dei uiuentis.*] sed turpe nimis est, post datum illum unigenitum in mortem pro salute generis nostri, seruilem adhuc in morem spiritu timoris agi, & non potius spiritum adoptionis amplecti, in quo clamemus, abba pater. ne uidelicet ut Dominum metuamus, sed tanquam charißimum patrem, toto corde, tota anima, tota mente, omnibus uiribus amemus, quemadmodum ipse à nobis postulat, quod & ipsum summi amoris indicium est. ualdè enim amari uelle, uehementis amoris præbet significationem. hoc si fecerimus, & uitam hanc tranquilliorem habebimus, & ad illam æternam paratam in cœlis tuti perueniemus. iuuante

uante Domino nostro Iesu Christo; cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA.

De non usurpando nomine Dei in uanum.

NON assumes nomen Dei tui in uanum. nec enim habebit Dominus insontem, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.] Vox index animi est, qui agnosci non potest, nisi sermone se prodat, ac foras det. cum autem uersari inter se homines opus sit, quorum scopus esse debet, ut in conspectu suo Deum semper habeant, unum in factis suis spectent, ad eius honorem ac uoluntatem omnia dirigant, ut qui generis nostri auctor sit, gubernator, conseruator, principium denique ac finis omnium, necesse est, ut quem semper in animo habere debent, de eo etiam frequenter loquantur [*ex abundantia enim cordis* (inquit) *os loquitur.*] Mat.12. quare docendi fuerunt, qui seruandus illis esset modus, cum loquendum de Deo est. itaque pulcherrimo ordine hoc secundum pręceptum superiori subnectitur, ut doceamur, quo pacto de hoc Deo, qui se nobis præbuit agnoscendum, tum apud nosmet ipsos tum apud alios loquendum sit. prohibet ergo, ne nomen Dei assumatur in uanum, hoc est, ne temere ac sine ulla necessitate uel per eum iuremus, uel irrisoriè de eo loquamur. per uocem uero illam [nomen] intelligitur ipse Deus, eiusque maiestas, potentia, sapientia, bonitas. est.n. familiaris scripturæ Hebraismus, quo prophetę, præsertim psalmi pleni sunt. ut, [*adiutorium nostrum in nomine Domini*,] &, Ps.123. [*nos in nomine Dei nostri inuocabimus.*] &, [*nomen tuum inuocatum est super nos.*] Psal.19. & sexcenta alia in hunc modum. Ier.14. Illa autem negatio, ne nomen Dei temere assumatur, non simplicem inducit negationem, ut scilicet putemus, satis esse præcepto factum,

si non temere nominetur, sed affirmationem secum affert quandam, qua docemur, ut recte eo utamur. sed uidetur prohibendi uerbo usus, quemadmodum & in maxima horum præceptorum parte, quòd magis procliues homines sunt ad mala facienda, quàm bona, iccirco ab illis fuerunt in primis reuocandi. Non satis est ergo non abuti nomine Dei, nisi etiam eo bene ac rectè utamur. rectè autem utimur, cum eum confitemur, laudamus, ac gratias agimus, cum prædicamus, cum inuocamus. Hoc prophetis familiare est, uide enim quo pacto in hoc delitietur psal-
Psa. 104 tes. [*Confitemini Domino* (inquit) [*& inuocate nomen eius, annuntiate inter gentes opera eius, cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius. gloriamini in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium Dominum. quærite Dominum, & confirmamini. quærite faciem eius semper.*] in primis autem eius nomen coram omnibus est confitendum, à qua confessione nullis neque minis, neque tormentis, neque blanditijs aut pollicitationibus discedendum
Rom. 10. unquam est. nam & si [*corde creditur ad iustitiam, ore tamen confessio fit ad salutem.*] hæc confessio roborabitur in nobis, si cogitemus & quantum ei debeamus, & quanta hanc confessionem præmia consequantur. quid enim illi non debemus, à quo omnia, corpus, animam, uitam, salutem habemus? præmium
Mat. 10 uerò quantum est illud, quod ait Dominus. [*qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo?*] bene prætereа nomen eius usurpamus, cum eum in omnibus
Psal. 33. tam aduersis quàm secundis laudamus, & gratias agimus. [*benedicam* (ait idem psaltes) *Dominum in omni tempore. in omni* (inquit) *tempore,*] non solum cum me beneficijs afficit, uerum
Esa. 12. etiam cum castigat. sic Esaias. [*confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me.*] rursum psaltes in eius contemplandis beneficijs exspatiatur dicens.
Esa. 102 [*benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.*] quas etiam eodem psalmo studet singillatim enumerare. inter alios uerò beatus ille Iob mirificum gratias agendi exemplar est, qui non solum cum prospera illi omnia cederent, quotidie Dei recordabatur, uerum etiam in summis malis beatam illam
Iob. 1. protulit uocem. [*Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*] &, [*si bona suscepimus de manu Domini, mala*

cur

cur non sustineamus?] bene item usurpamus nomen Dei, cum illud prædicamus, quod ad eos maximè pertinet, quibus regengendarum animarum cura credita est, curamusque magnificare pro uiribus, atque alios ad eum laudandum ac prædicandum trahere conamur, & auersamur eos, qui Deum nostrum, ut par est, non reuerentur. hoc affectu fuerunt omnes uiri sancti ac pij, quibus nihil erat molestius, quàm uidere aut audire aliquid agi in Dei contemptum & contumeliam, & homines obliuisci Diuina pręcepta, ex quibus sequitur contemptus Dei. quare dicebat propheta. [*tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei.*] &, [*fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus?*] rectè etiam usurpatur nomen Dei, dum illum in omnibus inuocamus, & eius auxilium postulamus, optamusque ut actus nostros ipse regat, totosque nos illius committimus curæ. his postulationibus psalmi pleni sunt, ut cum orat Dauid. [*perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moueantur uestigia mea.*] item. [*deduc me in semitam mandatorum tuorum.*] &, [*non in arcu meo sperabo, & gladius meus non seruabit me, sed dextra tua & brachium tuum, & illuminatio uultus tui.*] & alibi infanti recens ablactato se comparat, cum ostendere uult, quo pacto se Deo subiecerit. ait enim. [*sicut ablactatus erga matrem suam, ita erat in me anima mea.*] nam eiusmodi infantes toti à matre pendent. postremo rectè utimur nomine Dei, cum periclitante ueritate, cum omni reuerentia testem adhibemus Deum, proximorum potius, quàm nostræ utilitatis gratia. iuramusque, ut docet Ieremias, [*in ueritate & iustitia.*] Ex his facile est intelligere, qui sint, qui in hoc præceptum peccent. & primum ij, qui uel blanditijs uel tormentis uicti, Deum uerum, aut Christum Dominum, aut eius rectam, sanctam, & catholicam fidem abnegant, quibus Christus ita comminatur. [*qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.*] neque excusantur, qui quamuis ore negent, mente tamen à Dei confessione non discedunt. [*ore enim* (ait Paulus) *confessio fit ad salutem.*] nam exploditur à nobis illud ethnici. [iuraui lingua, animus iniuratus manet.] sic grauissimè peccauit Salomon, qui in uxoris gratiam phanum idolo Moab, & Moloch idolo filiorum Ammon ædificauit. sic & Petrus,

Marginal references: *Psa.* 118 · *Psal.* 41. · *Psal.* 16. · *psa.* 118. · *Psal.* 43. · *Ps.* 130. · *Ier.* 4. · *Mat.* 10. · *Rom.* 10. · 3. *Reg.* 11

quamuis corde ardentissimum in Christum amorem teneret,
Mat.26. peccauit tamen, cum metuens solo uerbo negauit. peccant item in hoc præceptum, qui, cum per eos laudandus esset Deus, omnia Christianæ disciplinæ contraria & uerbis & factis agunt, propter quos nomen Dei in gentibus blasphematur, & fatentes se nosse Deum, factis tamen negant. quales sunt qui scurrilitates & colloquia praua, quæ bonos mores corrumpunt, sectantur.
Pro.2. [*qui lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*] deinde peccant, qui non in Domino sed in se gloriantur, qui sibi nomen gloriæ, uel sapientiæ, uel bonitatis arrogant extra Deum, qui Dei bonitatem, munificentiam, misericordiam non agnoscentes murmurant, & per impatientiam uel sibi ipsis uel Deo maledicunt, contra scilicet atque facere debuerant, quos lex uetus morti addicit. sunt in hoc genere ii, qui se deuouent, & sibi aliquid mali precantur, si res aliter se habeat, quàm ipsi dicunt. sed multo deterior est in hac ciuitate mos, nam detestationem, quam alii in eiusmodi sermonibus sibi precari solent, plerique in Deiparam uirginem aut sanctos Dei reiiciunt, perditissimi homines, & digni quos repentino hiatu terra absorbeat. iis proximi sunt, qui de Deo per iocum loquuntur, nulla tantę maiestatis habita ratione, cum & Dæmones ipsi ad Dei nomen contremiscant.
Iac.1. publicè uero in hoc præceptum peccant ii, quibus uerbi ministerium creditum est, dum uel omittunt officii sui fungi munere; quęrentes quę sua sunt, non quæ Iesu Christi, quos
Phil.2. illud uę manet, quod ait apostolus, [*uæ mihi nisi euangelizauero,*]
1.Cor.9 uel dum non legitimè missi seu uocati, uerbi ministerio se temere ingerunt. qui scripturas sacras falsis interpretationibus maculant, qui Diuinas literas ad suam impiam opinionem tuendam detorquent. qui rudem populum nouis, & a pręscripto ecclesiæ alienis dogmatibus imbuunt, qui ecclesiastica sacramenta derident, qui potentiam Dei ac uirtutem in sanctis suis exhibitam ac commonstratam blasphema uoce aspernantur. breuiter qui aliter docent, quàm catholica docuit ecclesia ab apostolis ad nos usque deriuata. quibus confines sunt, qui ex suggestis non nisi placentia plebi loquuntur, qui populo peccata sua non annunciant, sed magis in absentes impudenter uociferantur. qui ad quęstum aut luxum uel ad seminandas discordias uerbo Dei abutuntur.

tuntur. peccant etiam, qui nomen Dei in quouis rerum statu non inuocant, de quibus ait psaltes [*Deum non inuocauerunt.*] *Ps. 52.* item qui etsi inuocant, in spiritu tamen & ueritate non adorant. ut ii, de quibus apud Esaiam dicitur. [*populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.*] *Esa. 29.* ii etiam, qui in aduersis positi, non ad nomen Dei confugiunt, sed eo neglecto, aliunde sibi remedia accersunt. qui aduersa impatienter ferunt, neque in iis etiam Dei clementiam agnoscunt, qui quos amat, castigat, *1. Co. 11* ne cum hoc mundo damnentur. qui suam uoluntatem Dei uoluntati anteponunt. denique in hoc præceptum peccant, qui uel temere, uel falsò, uel impiè ac iniustè iurant. multo magis qui peierant, uel iusta uota Deo præstita infringunt. Verum quod ad iuramentum pertinet, quia fusius de hac materia locuti fuimus in sermonem Domini in monte habitum, ubi Dominus iurare omnino uetat, erimus hic breuiores. *Matt. 5.* Permissum fuit antiquis in ueteri lege iurare per nomen Domini, atque id illis laudi erat, cum dicatur, [*laudabuntur omnes, qui iurant per eum.*] *Psal. 62.* ob unam tamen duntaxat causam, ne per falsos Deos iurarent. quemadmodum & libellus repudii permissus fuit, ne uxores interficerent. non prohibebantur itaque iurare, sed peierare. Pharisæi ergo iustitia erat, non peierare. sed, cum dixisset Dominus, *Matt. 5.* oportere eos, qui ingredi in regnum cœlorum uellent, superare iustitiam scribarum & pharisæorum, non solum periurium uetatur in Euangelio, uerum etiam iuramentum, dictumque est. [*sermo uester sit, est, est. non, non.*] *Iac. 5.* hæc autem cautela adhibetur, ne iurando in periurium quis imprudens delabatur. nam Euangelium malorum radices amputat. iccirco non solum homicidium uetat, sed iram etiam, quæ tanquam radix est patrandi homicidii, *Matt. 5.* neque contentum prohibere adulterium, aspectum etiam alienæ uxoris ad concupiscendum prohibet. Et sanè, si ii, qui Christo nomen dederunt, Christi legibus uti uellent, nullo esset opus iuramento. quorsum enim attinet iurare, si nemo sit, qui uelit quempiam circumuenire, etiam si posset impunè? si nemo alteri diffidat? si quisque, quod simplici uerbo dixisset, non minori fide ac religione seruaret, quàm si iusiurandum intercesßisset? Hęc enim ei, qui reipsa, non solo nomine Christianus sit, essent pręstanda. Verum, cum interim in Ecclesia sint

non-

non tam multi perfecti quàm infirmi, ipsa ecclesia certa ac fida interpres sententiarum uerborumque Euangelicorum, iudicauit non esse alienum ab Euangelii mente, si uel ob infirmitatem eius, cui iuratur, uel causæ grauitas ac necessitas iuramentum exegerit, sanctèque ac circunspectè iurare. præsertim cum uideat, hoc ab apostolis interdum fuisse factum. cernimus enim Pau-

Gal.1. lum in suis epistolis aliquoties iurauisse. ut cum ait. [*quæ scri-*

2.Co.11. *bo uobis, ecce coram Deo, quòd non mentior.*] & rursum. [*Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit,*

Rom.1. *quòd non mentior.*] &, [*testis mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo.*] Ob necessitatem ergo permittitur iuramentum, sed eos comites habeat oportet, quos Deus apud Ieremiam commemo-

Ier.4. rat, [*iurabis* (inquiens) *uiuit Dominus, in ueritate, in iudicio, & in iustitia,*] ut scilicet non aliam ob causam præstetur, quàm ut mendacium opus Diaboli destruatur, ac ueritas detegatur atque firmetur. deinde iudicium adhibeatur, ut non temere, sed magna cum deliberatione ac consideratione ad iurandum ueniatur. ut iurans cogitet prius, num rei necessitas aut grauitas iuramentum exigat, an hoc, quod iurat, facere queat, necne. postremo ut nihil nisi quod iustum, atque honestum ac rectum sit, iuretur, neque rei turpi ac illicitæ ullum iuramentum adhibeatur, & pax quæratur atque concordia, cuius causa uidetur inuentum

Heb.6. iuramentum. [*omnis enim controuersiæ* (ait Paulus) *finis est iuramentum.*] At nunc nulla est cura adhibendi hos comites iuramento, sed tertio quoque uerbo in iuramenta & deierationes prorumpimus, & nomen Dei sine ulla reuerentia usurpamus.

Mat. 5. &, cum Christus etiam per proprium caput iurare prohibuerit, nos tam parui pendimus gloriam Dei, ut eum passim trahamus. neque cogitemus quid sit Deus, & quali ore appellandus. si quis de probo quopiam ac graui uiro minus grauiter loquatur, dicere solemus, ablue primum os, atque ita de eo loquare. nos uero nomen, quod est super omne nomen, in uniuersa terra admirandum, quod audientes Dæmones exhorrescunt, temerariè circunferimus. homo uermis, & puluis, & cinis audet pro quauis leui re Deum citare in testimonium, quod in suo carnali domino, aut grauissimo aliquo uiro facere non auderet. Sed excusas, quòd aliter non credat tibi is, cui iuras. at tu ipse in

causa

causa es, eò quòd facile iuras, quod si non faceres, sed constaret omnibus te non iurare, non exigerent iuramentum, & soli simplici uerbo fidem maiorem haberent, quàm nunc tuis omnibus faciunt iuramentis. idem in iudicijs abusus est, ut pro minima quaque pecunia exigatur iuramentum, & mirandum sit, fulmen è cœlo missum tantam impudentiam non ulcisci. Quòd si iurare temere, si etiam sanctè iuretur, reprehendendum est, quid ijs fiet, qui peierant, & prudentes ac scientes falsum iurant? multò uerò execrabiliores sunt, qui nomen Dei ac sanctorum eius, tam pudendis execrationibus blasphemant, qui proculdubio ipsis ethnicis sunt deteriores, quos nunquam in suos Deos, qui tamen non erant Dij, reperias tam sceleratè fuisse inuectos. Peccant denique in hoc præceptum, qui uota Deo facta temere uiolant ac rumpunt, manifestè enim contra legem Dei faciunt, qui sic præcepit. [*quod semel egressum est è labijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Deo tuo.*] Deu. 23. cauendum ergo, ne temere quis uoueat, præsertim quod an præstare posit, incertus sit, uel quod sine superstitione aut turpitudine præstare nequeat. [*displicet enim Deo stulta promissio,*] ait Ecclesiastes. Eccl. 5. Sunt uota superuacua, uana, & incauta. sunt impia & turpia. sunt denique licita & honesta. sed interim hoc certum est, utrinque grauissimè peccari, nempe si uel licita ac honesta uota temere uiolentur, uel illicita Deo fiant ac præstentur. Sed uideamus postrema huius præcepti uerba. [non enim habebit Dominus (inquit) insontem eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.] quibus uerbis significatur, Deum grauissima censura ulturum eum, qui nomen eius temere assumpserit. quod non in futuro solum iudicio continget, uerum etiam in hac interdum uita usu euenit. Certè si nullum aliud crimen nostrum extaret, quę tamen maxima sunt atque innumera, hoc unum sufficeret ad promerendum, ut genus nostrum radicitus euelleretur. quòd scilicet ita temere abutimur nomine Domini, præsertim in periurijs atque blasphemijs. quàm fœdis enim, quàm horrendis execrationibus hæc ętas Deum incessit, ut miror solem ipsum & cœlestem illam choream non auertere cursum suum, & tam ingrato generi ministerium suum negare, & principes rem tam indignam dissimulant, ingratissimi & ipsi tanto benefactori, qui si non amore erga

re erga Deum ullo, certè illius inextincti ignis metu, qui eos manet proculdubio, dum tam scelerata fieri patiuntur, debuerant excitari. Vbi enim apud ethnicos legas blasphemias in Iouem, Iunonem, Venerem, atque adeo Priapos, & Phallos, & Ithyphallos coniectas, quibus isti lacerant Deum, & illum Dei filium Iesum Christum, cui flectunt genu omnia, cœlestia, terrestria, & inferna? & audemus profiteri, nos esse Christianos, cum soli nos in Christum iniurij simus. nam reliquæ gentes eum maximè uenerantur. Hoc omnium peccatorum sceleratissimum est, & tamen minus cæteris castigatur. qui aliquot nummos aureos furatus sit, agitur in crucem. si quis in principem uerbum insolentius fuerit iaculatus, supremo afficitur supplicio. Deus ipse omnium auctor, & nomen eius tam fœdè deturpatur, & rident interdum homines ad illas uoces, aut, si eis displicet, hiscere non audent. & miramur, nos frequentes flagellis cædi? miremur potius, tam sceleratum & impium genus uel diluuio, uel igni è cœlo misso totum funditus non consumi. Quare resipiscite tandem aliquando charissimi, & hos scelestos è medio tollite, ne & uos cum illis pariter ultio Diuina consumat. incipiamus uenerari tam sanctum nomen. cogitemus immensa illius in nos collata beneficia. ueniat nobis in mentem profusi illius pro salute generis nostri, sanguinis filij Dei. induamus filiorum affectum. linguam nostram exerceamus in laudes Dei, & ad continuam gratiarum actionem. ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum Dominum nostrum. cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO TRIGESIMAPRIMA.
De die sabbati sanctificando.

MEMENTO ut diem sabbati sanctifices. sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. sex enim diebus fecit Dominus cœlum ac terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. icirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit illum.] Cum & hoc præceptum ad Dei cultum pertineat, merito post superiora illa duo deinceps positum est, uideturque esse amborum illorum absolutio. quo docemur, quemadmodum exteriorem cultum Deo exhibeamus, cum mandatur, ut diem sabbati custodiamus. Sabbatum uox est Hebræa, atque apud nos significat requiem, a uerbo שָׁבַת, quod est cessare & quiescere. uoluit autem Deus septimum diem sabbatum appellari propterea, quòd eo die requieuisset ab opere creationis. ob huius autem diei reuerentiam Hebræi totam etiam hebdomadam sabbatum appellauerunt, & cum numerare dies hebdomadæ uellent, dicebant prima sabbati, secunda sabbati, & sic deinceps. quæ obseruatio efficit, ut intelligatur, quod in Euangelio legitur dixisse pharisæum, [*ieiuno bis in sabbato.*] & illud, [*una sabbatorum.*] ubi duo Hebraismi Luc. 18. Mar. 16.
sunt, ut unus ponatur pro primo, & sabbatum pro hebdomada. sed ueniamus ad præceptum, & omißis interea, quæ de opere sex dierum, deque hoc & septenario etiam numero ab eruditißimis uiris scripta sunt, illud duntaxat peruestigemus, cur iusserit Deus, ut septimo die homines quiescerent, atque ab operibus cessarent propterea, quòd & Deus ipse à suis operibus cessauisset. hunc locum uidetur mihi epistolam ad Hebræos explicare, ubi dicitur, [*sabbatismum relinqui populo Dei.*] & additur. Heb. 4.
[*qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.*] quibus uerbis uidetur significare,

adumbratam ibi fuiſſe eam requiem, cuius requietis aſſequendæ gratia, corporea hæc atque externa imperata fuit. Verum nequis miretur, quare, cum tam accuratè iuſſerit Deus, ut dies ſabbati celebris habeatur, auſa ſit eccleſia eum diem in alterum mutare, qui olim dies Solis, nunc Dominicus appellatur. ſciendum eſt, ſabbatum, quod in lege Moſis ſeruari iuſſum fuit, habuiſſe aliquid tum cerimoniale, tum morale. & quod ad legis cerimonias quidem pertinet, à Chriſtianis non ſeruatur. literam enim

2. Cor. 3 ſpectat. [*litera autem* (ut ait Paulus) *occidit*,] dum umbræ deſeruit, quæ umbra ſublata eſt, ubi primum rerum ueritas per Chriſtum fuit declarata. umbræ autem ſeruiebant illæ cerimoniæ, quibus addicti Iudæi, uerba magis, quàm uerborum ger-

Exo. 20. manum ſenſum ac uim ſectantur, atque ita mordicus tenent, ut, cum legant, nullum opus in ſabbato eſſe faciendum, putent, non licere pomum carboni admouere, ut aſſetur, aut allium, quo ue ſci uelis, decorticare. prohibitum eſt, ſaltantem pulicem capere, atque inſecta interficere, niſi infeſta ſint, ut ſunt muſcæ, ſcorpius, crabro. arborem non licet conſcendere, ne ramum frangas. [ſuper herbas (inquiunt) caueto grad', ne calceamento herbam euellas.] in cithara aut alio muſico inſtrumento non licet ludere, non licet cantare, nec alium ſonum ædere, quo uel puerum a fletu coerceas. & plura eius generis deliramenta. & hæc quidem faciunt propterea, quòd non habent illam ſcientiam, quam do-

Rom. 10. lebat Paulus illis deeſſe, cum dicebat. [*teſtimonium illis perhibeo, quòd habent æmulationem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam*.] externam enim plurimi faciunt cerimoniam & cultum, quamuis ex prophetis conſtet, eam obſeruationem quandoque fuiſſe abrogandam. in hac ſuperſtitione erant Iudæi, qui reprehendebant

Matt. 12 Dominum, cum in die ſabbati aliquos ſanaret. Quod ergo ad cerimoniam ſpectat, non habet hoc præceptum eandem omnino rationem apud Chriſtianos, quam habebat apud Iudæos. nam quod ſabbatum apud Iudæos certæ diei alligatum erat, cerimonia eſt, apud Chriſtianos abrogata, quod uero ad morale legis pertinet, nihil eſt immutatum. quod morale conſtat in eo ſitum eſſe, ut homo qui corpore conſtat atque anima, aliquo ſaltem deſtinato tempore, & corpore & animo interquieſcat, totus laudi, contemplationi, ac uenerationi Dei intentus. oportet enim

corpus

corpus alterna requie non carere, ut mens ipsa, quæ alioqui externis laboribus distrahitur, Diuinæ legis meditatione, ac Diuinorum beneficiorum recordatione recreetur & erigatur in Deum. unde consequens est, non apud Iudæos solum, uerum & apud Christianos iuris esse Diuini, ut saltem aliquo destinato tempore, cerimoniæ institutæ ad audiendum uerbum Dei, atque ad excitandam fidem & charitatem erga Deum, uacandumque hymnis & precationibus, retineantur ac conseruentur. nam & ob hanc causam Iudæis sabbatum datum fuit, sicut legimus dicentem Dominum. [*uidete, ut custodiatis sabbatum meum, quia signum est inter me & uos,*] ut scilicet admonerentur illius admirandi operis ac creationis totius orbis, sex dierum opificio absoluti, ut uel hinc in admirationem potentię, sapientię & bonitatis Dei excitarentur. quòd Deus in huius præcepti uerbis significauit. cum ait. [sex diebus fecit Deus cęlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo.] datum est etiam eis sabbatum, ut recordarentur & gratias agerent ob insigne illud beneficium, quo à durissima Pharaonis seruitute fuerant liberati, quod in Deuteronomio explicatius ponitur. [*memento* (inquit) *quod & ipse seruieris in Aegypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. iccirco præcepit tibi, ut obseruares diem sabbati.*] Eadem ferè, quę Iudæis sabbatum significabat, nobis significat dies Dominicus, nisi quòd nos loco liberationis Israelitici populi ex Aegypto, quæ figura quędam fuit, admonemur multo maioris admirabiliorisque liberationis, ut scilicet meminerimus, nos per agni immaculati Christi sanguinem à fœdissima Satanæ tyrannide redemptos. ne ob ingratitudinem in maiorem seruitutem reuoluamur. Hic quoque dies nos admonet, ut quemadmodum Christus ob salutem nostram factus obediens patri usque ad mortem, eamque crucis, in ingentem demum celsitudinem est euectus, [*ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus.*] sic fore, ut & nos, extinctis & tanquam in crucem actis humanis carnalibusque affectibus, simul cum illo regnemus. & beata resurrectione cum illo fruamur. nam ob hanc in primis causam uidetur sabbati obseruatio ab ipso nascentis ecclesiæ exordio, in diem Dominicum

Exo. 31. Exo. 14. Deu. 5. Exo. 14. Phil. 2.

apud nos commutata, ob admirandæ illius resurrectionis uenerationem, cui resurrectioni Paulus nostri iustificationem ascribit, cum ait. [*mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri.*] nisi enim resurrexisset, dubitauissemus, num is posset nos à morte liberare, qui à mortis uinculis detentus ipse fuisset. quare aiebat Paulus, [*si Christus non resurrexit, uana est fides uestra. adhuc estis in peccatis uestris.*] quia scilicet quem liberatorem expectauissent, hunc communis mortalium omnium carcer uinctum cohiberet. qui si eripere sese, & uinculis expedire non potuisset, nimirum frustratus etiam esse spes omnes nostras uideretur. quanquam ob aliam etiam causam, facta hæc permutatio creditur, ne literam sequi cum Iudæis existimemur, & eorum cerimonias, quas diximus ab ecclesia Christi sublatas, imitari. ne obiiciatur nobis, quod apostolus ad Galatas scribens ait. [*dies obseruatis & tempora & annos.*] Neque uero Dominicus tantum dies celebris apud Christianos, sed perpetuum pascha esse deberet, quod idem Paulus admonebat Corinthios, cum diceret. [*pascha nostrum immolatus est Christus, itaque festum celebremus.*] neque enim hoc dixit, quòd tunc pascha anniuersarium ageretur, sed ut intelligerent, post agnitam hanc ueritatem præstandum esse, quod alibi admonet, [*nihil* (inquiens) *soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.*] uerum, quia imperfectiores, qui magis terrenis hisce rebus uacant, quàm Deo, nolunt toto tempore in hisce rebus uersari, constitutum est, ut uel hic unus dies seligatur, ut interdum in unum omnes inueniamus, & ex mutuo conspectu fraterna charitate lætemur, audiatur uerbum Dei, reuocentur in memoriam collata in nos illius beneficia, sanctis sacramentis communicemus, breuiter toti uacemus Deo. Vis ergo huius præcepti spectat in primis ad exercendam fidem & charitatem erga Deum, cum iubet, ut decernatur tempus, quo homo totus Diuino cultui uacet, oret ardentius & copiosius, de instaurandis suis suorumque moribus cogitet, se suamque familiam ad audiendum Dei uerbum, Deumq; laudandum prouocet, totumque diem non ad corporis defatigationem, sed ad recreandum spiritum ac mentem occupet. spectat etiam hoc præceptum ad dilectionem humanitatemque erga proximum

Rom.4. 1.Co.15. Gal.4. 1.Cor.5. Phi.4.

ximum exhibendam, cum docemur, debere nos non nostræ tantum saluti, sed & eorum qui nobiscum uersantur, consulere, ut non filij solum, sed serui etiam atque ancillæ & domestici omnes, & ipsi aduenę qui nobiscum habitant, huic uni negocio uacent. quin, ut humanitatem doceat, uult iumenta etiam ipsa eo die interquiescere, quo admonemur, multò magis erga naturę consortes nostræ debere nos esse misericordes. [Memento (inquit) ut diem sabbati sanctifices.] utitur imperandi uerbo, ut segnitiem excitet nostram. neque dixit, ut cesses, sed [ut sanctifices.] neque enim præceptum hoc implent, qui eo die stertunt, & ocio ac fabulis uacant. sanctificare enim est, diem sanctis operibus transigere, in usus sanctos collocare, nec ullis Deo indignis operibus prophanare. nam quod interim à seruilibus seu externis laboribus abstinere nos iubet Deus, id facit, non ut laborem ueluti uitiosum damnet, qui per se bonus est, aut iners ocium commendet, quod malum est, sed ut quod per se est bonum, aliquo saltem tempore ei cedat, quod optimum est, & cuius gratia conditus in primis est homo. ut uidelicet agnoscat, ueneretur, & amet Deum. atque hoc est, quod Dominus in Euangelio dicit. [*optimam partem elegit sibi* Maria, *quæ non auferetur ab ea*.] nam & si in medijs quoque laboribus Deus coli uelit ac possit, paucorum tamen est, in medijs corporis exercitijs animum ad Deum attollere. propterea permissum est cæteris diebus operari. sic enim sequitur. [sex diebus operaberis, & facies opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est.] hoc est, septimum diem Domino Deo tuo dedicabis, ut eo die cæteris prætermissis hoc cures, quod optimum est, & soli Deo uaces. Quid uerò sit septimum diem esse sabbatum Domini, declaratur per id quod subditur. [Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo.] quibus uerbis nemo imaginetur, Deum absoluto opere sex dierum, quasi defatigatum quieuisse. nam solo uerbo ac nutu absque omni labore condidit omnia. sed scriptura Geneseos, quæ tota mystica est, uoluit Iudęos admonere, mundum hunc fuisse à Deo conditum, non ut in ijs, quæ huius mundi sunt, conquiesceremus, sed ut ex ijs, quę condita sunt, agnosceremus conditorem, ad illius exemplum requiesceremus, faceremusque quod ait propheta.

Luc. 10.

Psal.45. pheta. [*uacate & uidete quòd suauis est Dominus*.] nam si omnia condita sunt propter hominem, homo uerò propter Deum contemplandum & amandum, Deus autem testetur, se ab omni opere suo requieuisse, omnino cæcus est, qui non uidet, hoc ipso Deum indicare uoluisse, ut & ipse homo conquiescat ab ijs, quæ huius mundi sunt, & requiescat in Deo. Quòd autem Deus dicitur quieuisse ab operibus suis, significatur, nihil illum deinceps noui operis creauisse, interim tamen res conditas conseruare, propagare, reparare & gubernare non cessat. in quam sententiam accipiendum est, quod in Euangelio legimus à Do-
Ioan.5. mino dictum. [*pater meus usque modo operatur, & ego operor*.] Hoc autem sabbatum, pro quo Dominicum diem ab ecclesia introductum diximus, præcipuus quidem est dies, qui celebris habeatur, in quo uacemus Deo. sed non solus tamen, qui sanctificetur. sed accipi debet hoc pręceptum de omnibus festis diebus, qui communi ecclesiæ consensu recepti sunt. nemo est enim, qui in ueteribus & Latinis & Gręcis scriptoribus uel mediocriter uersatus sit, qui ignoret, præter dies Dominicos, primis ipsis nascentis ecclesiæ temporibus, alios etiam fuisse plurimos ad recolenda miranda Dei opera in uirgine Dei matre, in sanctis apostolis & martyribus destinatos. & sanè cur non liceat ecclesiæ in natalicijs martyrum, qui cum Christo regnant, acto de hostibus triumpho, quod licuit Synagogæ in dedicandis diebus, ob quasdam insignes uictorias, Dei ope per illustres uiros aut mulieres, ueluti Hester, Iudith, Iudam Macabæum ac similes, partas? hi ergo dies cum Dominico die, qui omnino primas tenet, sanctificandi sunt. quo autem pacto sanctificantur? cum quicquid per cæteros dies ex humanarum rerum consuetudine sordium contractum est, diluere quis conatur, & redire cum Deo in gratiam. siquid cum proximo quoque simultatis intercesśit, totum à suo pectore reijcit, atque ita ab omni odio purus & peccato liber ingreditur domum Dei. sanctificant festos
Rom.12. dies, qui corpora sua exhibent [*hostiam uiuentem, sanctam, Deo*
Col.3. *placentem*.] qui mortificant membra sua, quæ sunt super terram, carnales uidelicet affectus. qui posthabitis negocijs omnibus discendi studio & audiendi uerbi Dei conueniunt in ecclesiam, & ubi uoluntatem Dei per Euangelicam pręedicationem

didicerint,

didicerint, femen illud Diuinum retinent, & in morem illius terrę, quæ in Euangelio commendatur, fructum afferunt. Sanctificant item hos dies, qui Dei beneficia in fe collata cum fumma gratiarum actione commemorant, præfertim illud præcipuum, quo pretiofo filij Dei fanguine redempti fumus, & ob huius myfterij memoriam eucharistiæ facramento communicant. hoc enim olim fingulis diebus Dominicis fumma cum pietate fiebat. fed inter præcipua facta, quibus fanctificari feftos dies contingit, opera funt mifericordiæ, quod Dominus ipfe facere docuit, qui potifsimum in fabbatis curabat paralyticos, lumen cæcis, ufum membrorum aridis reftituebat, & uarijs morbis oppreffos fanabat. qui etiam teftabatur, fe mifericordiam malle, quàm facrificium. hoc apud Neemian & Efdram reperies iuffum, ut fcilicet in die, qui fanctificatus erat Domino Deo, mitterent partes ijs, qui fibi non præparauiffent. Et his quidem, atque huius generis alijs fanctificantur fefti dies, contrarijs uerò fit eis iniuria. & primum fiquis quæftus gratia externa opera exercet, quæ non licita funt, nifi magna necefsitas aut pietas excufet. nam cum femper caufa Dei fit cęteris rebus longe anteponenda, & quotidie pietati ftudendum, quis non uidet, fcelus effe ingens, nolle ut uel Dominicis diebus externæ res cedant internis, ut facræ lectioni, facræ concioni, ac religiofis ritibus à patribus inftitutis opera detur? legimus hominem, qui ligna collegerat in die fabbati, oblatum Mofi, iuffu Domini lapidibus obrutum fuiffe. alio item loco narratur, grauiter peccaffe eos, qui contra mandatum Domini profecti fuerant ad colligendum manna in die fabbati. quantò ergo magis putandum eft, eos grauifsimè peccare, qui negotiationibus diebus feftis toti incumbunt? Contra hoc pręceptum etiam faciunt, qui diebus feftis, fpectaculis, ludis, aleæ, tripudijs, faltationibus & choreis funt intenti, qui comeffationibus, ebrietatibus, & conuiuiorum fumptibus uacant. qui colloquijs prauis ac turpibus cantilenis diem fanctum confpurcant, quos aliquot concilia excommunicandos decreuerunt. iam in hac parte hac ætate plus nimio peccatur. nam dies fefti, qui ob unam hanc caufam introducti funt, ut uacetur attentius Deo, ij in primis eliguntur, in quibus Deus offendatur. quo quid abfurdius potuit excogitari?

Luc. 8.
Mat. 9.
2.Efd.8.
Nu. 15.
Exo. 16.

cogitari? si enim obserues, quę fiunt festis diebus, iudicabis eos non Deo, sed Dęmonibus dedicatos. cum enim prophanis diebus prohibeantur homines uarijs negocijs, quo minus appetitiones suas expleant, id in dies festos reijciunt, ut ociosius illis uacent. iam increuit mos, ut obseruetur, quibus in oppidis ac uillis aut pagis solennes aliqui dies agantur, atque ad illos tota huius urbis iuuentus confluit, ut ludis & saltationibus totus ille dies ac comessationibus insumatur. hoc quid à Bacchanalibus distat, & illis ritibus, quibus cęca ethnicorum turba oblectabatur? quibus diebus martyrum, & eorum, qui egregia pro Christo gessere certamina, memoria agitur, qui acerbissimis excruciati tormentis, spectaculum præbuerunt admirandum mundo, & non solum hominibus, sed ipsis etiam angelis. qui ludibriis & flagris (quemadmodum ad Hebræos scribitur) explorati fue-
Heb.11. runt, & uinculis & carcere. qui [*lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt, oberrauerunt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes & montibus, & speluncis, & cauernis terræ.*] quibus inquam diebus horum memoriæ celebrantur, in ijs ipsis Christiani cum eorum ædes ac templa inuisunt, Bacchanalibus non inferiora, atque adeo deteriora interdum exercent, perinde quasi Veneris & Cupidinis, & Priapi templa adirent. Quousque ebrii eritis ciues mei? quousque dormitabitis? non aliquando ad tam manifestas insanias, ad impietatem ita à Christiana pietate abhorrentem expergiscemini? ego sanè superiore synodo caui diligenter, ut tantæ pesti occurreretur, iussique sacerdotibus omnibus, ut mihi significarent, quoties solennes hi dies in suis parochiis agerentur, ut admoneatur præfectus ciuitatis, qui pręconis uoce prohibeat eiusmodi prophanos conuentus, & seuerissimis pœnis meo nomine castiget transgressores. Quid ab his choreis & saltationibus sperandum sit, admonent
Mar.6. nos Euangelia, quibus narratur, præmium saltationis fuisse ca-
Mat.11. put Ioannis Baptistæ, uiri illius uidelicet, quo maior inter natos mulierum propheta non extitit. quod unum exemplum idoneum esse deberet ad omnes eiusmodi ineptias à Christiano or-
2.Reg.11 be relegandas. Quem spectacula non terreant, cum Dauid ex eo, quòd Bersabee se lauantem conspexit, in adulterii & homi-

cidij

cidii crimen ſit delapſus? ſic Dina filia Iacob tabernaculum pa- *Gen. 34.*
tris egreſſa, tantum ut uideret mulieres regionis illius, ſpectata ipſa uitium paſſa eſt, ex quo tanta populi cædes eſt conſecuta. Neque uerò ij tantum in hoc præceptum peccant, qui choreis ac ſpectaculis indulgent, ſed etiam ii, qui tametſi in eccleſiam feſtis diebus ſe recipiunt, ſpiritu tamen ea ipſa, ob quæ conueniunt, non perficiunt, quos Dominus apud Eſaiam taxat his uerbis. [*populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à* *Eſa. 29.*
me.] & apud Ieremiam is maledictus pronuntiatur, [*qui opus* *Ier. 48.*
Dei facit negligenter.] deteriores uerò ſunt, qui in templis deambulantes tanquam in foro, tractant de prophanis rebus, & faciunt domum Dei domum negociationis. qui ut intelligant *Ioan. 2.*
quantum hoc peccatum ſit, meminerint, Seruatorem Chriſtum *ibidem.*
facto de funiculis flagello eieciſſe eiuſmodi homines. qua ſeueritate nulla alia in re illum uſum fuiſſe reperies. Cogitandum uobis eſſet, quod non ſemel uos admonui, cum huc conuenitis, quis locus hic ſit, & quibus rebus agendis deſtinatus. nempe audiendo uerbo Dei, Diuinis myſterijs attente inſpectandis, componendo interiori homini, uenia peccatorum à Deo petenda, eadem cogitatio habenda eſt, cum ueniunt dies feſti, qui ob eaſdem cauſas inuenti ſunt. qui, cum in prophanos uſus inſumuntur, uidete quid apud Ieremiam moneat Deus. [*ſi non au-* *Ier. 17.*
dieritis (inquit) *me, ut ſanctificetis diem ſabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati, ſuccendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur.*] His omnibus eruditi, ſanctificemus, ſecundum Dei præceptum, ſanctos ac Deo dicatos dies, & quæ quotidie eſſent facienda, in ijs ſaltem ea præſtemus attentius, ut & uitam hanc agamus quietiorem, & illam ęternam conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

LL ORATIO

ORATIO XXXII.

Quòd parentes sint maximo honore prosequendi.

HONORA patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus in terra.] Duabus lapideis tabulis scriptum digito Dei fuisse decalogum, satis uulgatum est. in harum ergo priore ferunt tria duntaxat præcepta illa descripta fuisse, quæ Deo debemus, & quibus propriè cum Deo agimus, hoc est, uerum Dei cultum tam externum quàm internum, qui tribus his præceptis continetur, quæ hactenus declarauimus. in altera autem tabula, reliqua præcepta fuisse posita, quæ docent, quales esse erga proximum quenque debeamus. at hanc secundam tabulam à priore manare necesse est, cum secundæ tabulæ opera sine prioribus operibus uerè fieri nequaquam possint. nam tum demum, aut potius tunc solum proximus rectè diligitur, si non propriæ utilitatis, aut alterius cuiuscunque rei contemplatione, sed tantum propter Deum diligatur, propterea scilicet, quòd Deus, cui credimus, & toto corde adhæremus, præcepit, ac uoluit, ut proximum tanquam fratrem ac uiscera nostra complectamur. In his itaque præceptis, quæ ad secundam tabulam pertinent, meritò primas partes tenet illud, quod iubet, ut parentes honorentur, qui post Deum Dei loco sunt. uerum hoc præceptum latius patet, quàm hominum uulgus existimat. nam præter eos, qui nos carne genuerunt, parentum loco habendi sunt animarum præfecti, per quos & in Christo regenerati sumus, & Euangelicis præceptis instructi. quorum affectus cum uehementior plerunque atque syncerior sit, quàm eorum, à quibus secundum carnem fuimus generati, multò eis amplius debemus, quàm ijs parentibus, qui nos genuerunt, si nihil præterea ad rectam & secundum Deum educationem addiderunt. in horum spiritualium parentum numero in primis erat Paulus, qui sæpe in suis epistolis paternum affectum declarat, ut

cum ait. [*si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. nam in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui.*] cernis spiritualem genituram? & alibi. [*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis.*] eiusmodi parentum affectus efficacior est, ac magis inuictus, quàm parentum carnis, quia innititur Deo, & eius honoris contemplatione, ac hominum salutis, quam Deus pręcipit, aguntomnia. quare tanquam ueros parentes, eos honorari maximè consentaneum est. post hos, qui etiam appellantur pastores & doctores, ciuiles magistratus parentum loco habendi sunt, etiam scripturæ sacræ testimonio. nam serui Naaman principis, dominum suum patrem appellauerunt. cum dixerunt. [*pater si propheta rem grandem dixisset, facere debueras.*] & quicunque nobis prosunt siue publicè siue priuatim, rectè patres appellantur. quales sunt, quorum imperio paremus, & quos dominos uocamus. neque nos moueat, quòd sæpe ij, qui parentum numero esse debuerant, in nos tyrannidem exercent, sed munus illud officij oportet attendamus, quo funguntur. nam [*omnis potestas à Deo est.*] quam ob causam apostolus iubebat, ut fideles precarentur etiam pro regibus, alijsque in potestate constitutis, quamuis impij essent, atque à Christiana pietate abhorrerent. breuiter qui quamcunque nostri curam gerunt, ueluti tutores & curatores, pręceptores & pædagogi, cum in paternum officium succedant, iustum est, ut & nomenclaturę honorem ferant. certè apud Romanos pulcherrimo uocabulo appellati sunt patres conscripti, qui rempublicam regebant, & patresfamilias ac matresfamilias, qui domui ac toti familię præsiderent. principes uerò etiam patres patrię sunt appellati, qui insigni aliquo beneficio patriam affecerunt. solemus etiam seniores & natu maiores, præsertim si inculpata sint uita, parentum appellatione donare. quæ horum omnium appellationes maximam habere deberent uim apud eos & qui appellant, & qui appellantur, dum inferiores & subiecti agnoscerent, hos omnes parentum loco habendos, eosque ob hanc causam reuererentur, eisque ubique decederent. & ij, qui præsunt, uel publica aliqua munera ad ciuitatis ac reipublicæ utilitatem exercent, recordati se parentum officio fungi, summa cum synceritate in creditum sibi munus incumberent.

1.Cor.4. Gal.4. 4.Reg.5. Rom.13. 1.Ti.2.

ſed ueniamus ad præceptum, quod ad hæc omnia parentum genera, certo tamen ordine porrigitur. Honor, quo iubet Deus, ut parentes proſequamur, tria complectitur, ut amemus, ut reuereamur, ut obediamus, idque non ſolo interiore affectu animi, ſed rebus etiam ipſis. parentes autem, à quibus ſumus geniti, primas inter alios tenent, quos ſummo poſt Deum intimoque amore proſequi & amplecti debemus. ueluti non ſolum proximos, quod commune cum alijs eſt, ſed uitæ noſtræ cauſam. qua in re quoddam Diuinæ maieſtatis ueſtigium adumbratur. unde quicquid ſummus ac ſyncerus amor poſtulat, hoc totum in parentes effundere, eoſque noſtris & animi & corporis bonis, quod in nobis eſt, cumulare debemus, & cauere in primis, ne uel leui uerborum offenſione illos lædamus. tanti enim hoc refert, ut uir quidam inter externos ſapientiſſimus dixerit. lenium etiam, uolatiliumque uerborum grauiſſimam filijs pœnam imminere, & omnibus pręfectam eſſe Nemeſim iudicij angelum, horum conſideratricem. maxima ergo huius partis cura habenda eſt, ne unquam uerborum aſperitate illos contriſtemus. quòd ſi parentes habeas, in quibus pietatem deſideres, ſumma ope niti debes, ut non acerbè ſed reuerentiſſimè admoneas, atque ad Chriſtum ac pietatem reuoces. deinde cura eorum quàm maxima habenda eſt, nequid eis, quod ad corporis neceſſitatem pertineat, deſit. neque ulla tanta calamitas exiſtat, quæ filium obliuiſci parentum ſinat. cuius rei fortiſſimum exemplum prębuit Seruator Chriſtus, qui in crucem actus matris curam geſſit, eamque diſcipulo commendauit. Tobias item iunior, qui labore manuum patrem ſenem priuatumque luminibus educauit. quod exemplum omnibus imitandum eſt, & hilariter bona omnia parentibus ſuppeditanda. nec ulla quæuis cauſa parentum ſaluti anteponenda. qui ſecus facit, audiat quid

Pro. 28. dicat Salomon. [*qui ſubtrabit aliquid à patre uel matre ſua, particeps homicidæ eſt*.] cernis ut Salomon hoc peccatum æquet ho-

Mat. 15. micidio? quare acerrimè Dominus increpat Phariſęos, qui auaritiæ ſuæ religionem prętexentes, filios à pietate in parentes auertebant, reſcindebantque mandatum Dei, quod iubet parentes honorari, per traditiones ſuas. Sic tamen parentum habenda ratio eſt, ut illa primi ac ſummi parentis Dei nunquam relinquatur,

tur, sed omnibus anteponatur. hanc enim ob causam dixit Dominus. [*si quis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus.*] & alio loco. [*ueni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam,*] qui scilicet percipiendæ Christianæ ueritati esse uoluissent impedimento. ob eandem causam, cum quidam dixisset Domino, se uelle eum sequi, sed pateretur, ut prius sepeliret patrem, respondit Dominus. [*sine ut mortui sepeliant mortuos.*] quod ita esse intelligendum, locus alius declarat, cum dicit. [*qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus,*] hoc est, qui parentum amorem meo anteponit. Primus enim dilectionis gradus est ad Deum & Christum ordinandus, cuius cum honor periclitatur, parentes carnis non sunt agnoscendi. iccirco Moses eos commendauit, qui in adoratione uituli conflatilis, tanto zelo inflammati fuerunt pro Domino exercituum, ut quisque in strage, quam fecerunt, non aspexerit patrem suum aut matrem, fratres aut filios, sed reos quosque & facinoris auctores citra personarum delectum interfecerunt. hos ergo commendans Moses ait. [*qui dixit patri suo & matri, nescio uos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.*] nam si officium parentibus exhibendum est, quantò magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? amandus est pater, sed anteponendus est & tuus & patris tui creator. debetur affectus parentibus, sed maius obsequium salutis debetur auctori. ergo parentes quantumcunque alioqui amandi, relinquendi sunt, si pium in Deum mentis affectum impediunt. relinquendi inquam, non odio, sed dissimulatione pietatis, ut intelligant & ipsi, ac filiorum exemplo discant, Deum rebus omnibus esse anteponendum. In parentum item honore, præcipitur obedientia, ut post Deum iudicio & auctoritati parentum obediatur, cuius rei pulchra in scripturis sacris habes exempla, & illud in primis celebrandum, de Isaac Abrahæ filio, quem creditur triginta annos natum fuisse, cum passus fuit se à patre ligari, & aris imponi, ut immolaretur. qua in re Christi typum gessit, qui & ipse factus fuit obediens patri usque ad mortem, & eam crucis, ne unquam à uoluntate patris desciscerET, semperque dicebat, [*non ueni facere*]

Marginalia: *Luc.* 14. *Mat.* 10. *Luc.* 9. *Mat.* 10. *Exo.* 32. *Deu.* 33. *Gen.* 22. *Phil.* 2. *Ioan.* 6.

Luc. 22. *cere uoluntatem meam, sed eius, qui misit me.*] &, [*non mea uolun-*
Ioan. 18. *tas sed tua fiat.*] & ad discipulum, [*quem calicem dedit mihi pa-*
Ier. 35. *ter, non uis ut bibam illum?*] sic in Ieremia legimus de Rechabitis, quibus cum Ionadab filius Rechab præcepisset, ne biberent uinum, ne colerent agros, ne plantarent uineas, ne ædificarent domos ad habitandum, sed quasi pastores & peregrini uiuerent sub tuguriis, hanc illi obedientiam annis propemodum trecentis exhibuerunt. quanta uerò fuit ipsius filii Dei obedientia in Mariam matrem & nutritium Ioseph? de quo Lucas tanquam
Luc. 2. pro admiratione, [*erat* (inquiens) *subditus illis.*] tanta maiestas tot annorum spatio se ab illis regi passus est, quos tamen ipse creauerat. ut doceamur, neminem, quamuis summam uel potentiam uel sapientiam adeptus sit, renuere debere, quin omnem parentibus exhibeat obedientiam. Neque uerò solum hoc debetur, sed reuerentia etiam, quod est summum obedientiæ opus. quæ in eo consistit, ut magnificè de parentibus sentiamus, & eos honorificentissimè colamus, plurimumque tribuamus ipsorum auctoritati atque iudicio. neque contemnamus eos propterea, quòd uel pauperes sint uel senes, uel etiam morosi ac delyri. quibuslibet enim uitijs nomen patris & matris est anteponendum, neque quales sint, sed quòd parentes sint, æstimandum. Quamuis uerò summum honoris gradum sis assecutus, parentibus tamen etiam ignobilissimis, celsitudinem hanc referre acceptam de
Gen. 37. bes, quibus post Deum debes, quod es. hoc præstitit ille Ioseph, qui uenditus in Aegyptum, ac deinde prouidentia Dei euectus ad eam dignitatem, ut primus post regem esset, summo honore prosecutus est Iacob patrem. iussit eum in Aegyptum cum tota domo duci. non contentus mittere illi alimenta. uenienti obuiam profectus est. maxima cum celebritate in Aegypto defunctum extulit, atque ad patres in terra Chanaam apposuit ac sepe-
3. Reg. 2. liuit. Salomon quoque in regnum euectus, accedenti matri assurrexit, eamque adorans, iuxta se in regio solio collocauit. hoc timoris Domini indicium est, quare aiebat quidam sapiens. [*qui*
Eccl. 3. *timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet ijs, qui se genuerunt.*] & docens etiam quàm accuratè tractandi sint, ait.
ibidem. [*fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in uita illius. & si defecerit sensu, ueniam da, & ne spernas eum in uirtute tua.*]

Et hęc

Et hæc quidem parentibus debentur, qui carne genuerunt. neque uerò minus spiritualibus parentibus præstari eadem debent. hi enim præcipuo quodam affectu sunt diligendi, cuius rei exemplum præbuerunt Galatę, quibus testimonium perhibet Paulus, *Gal.* 4. quòd scilicet si fieri potuisset, etiam oculos suos eruissent, & dedissent ei. quam ob rem ante omnia curandum est, ut eorum necessitati succurratur, & ea, quæ ad uictum pertinent, iis abunde & hilariter suppeditentur. meminisse oportet, quod dixit Paulus. [*si nos spiritualia uobis seminauimus, magnum est, si carnalia uestra metamus?*] *1. Cor. 9.* & rursus, [*quis militat suis stipendijs unquam?*] *ibidem.* *quis pascit gregem, & de lacte gregis non comedit?*] &, [*nescitis, quòd ij, qui sacris operantur, ex sacrificio uiuunt? qui sacrario assistunt, una cum sacrario partem accipiunt? sic & Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annuntiant, ex Euangelio uiuant.*] quin & lex uetus præcipit, quod etiam eodem loco Paulus commemorat. *ibidem.* [*in* Mosis (inquit) *lege scriptum est. non alligabis os boui trituranti.*] *Deu. 25.* quod non esse ob boues dictum admonens ait. [*propter nos hoc scriptum est, quòd sub spe debeat, is, qui arat, arare, & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat.*] *1. Cor. 9.* huc spectant, quę de decimis & primitijs in domum Dei deferendis lex toties admonet. Neque solum honor eis debetur, uerum etiam obedientia, & tantò maior, quantò anima, cuius curam gerunt, præstantior corpore est. quamobrem admonet apostolus scribens Hebræis. [*obedite præpositis uestris, & subiacete eis. ipsi enim peruigilant, tanquam rationem pro animabus uestris reddituri.*] *Heb. 13.* quod quantum est, tam ingens subire periculum rationis reddendę pro aliis ante tribunal illud Christi seuerissimum? ut autem disceremus obediendum esse iis, quamuis interdum minus digni eo gradu sint, iussit Dominus, ut Pharisæis ob eam causam, quòd sederent super cathedram Mosis, obediretur. sic enim dixit. [*quæ dicunt, facite, secundum opera uerò illorum nolite facere.*] *Mat. 23.* plurimi enim faciendus est ecclesiasticæ dignitatis gradus, & multò magis quàm prophanorum magistratuum dignitas, quemadmodum uiri & doctrina & sanctitate præstantissimi, & scripserunt, & factis ipsis declararunt, sacerdotale munus regiæ atque imperatoriæ dignitati antecellere. quare præter amorem & obedientiam maxima præterea debetur illis reuerentia. nam ea repræsentant

minist-

Ioan.14. ministeria, quæ gessit Christus, eodem ipso teste. ait enim,
Matt.10 [*sicut misit me pater, & ego mitto uos.*] & alibi [*qui recipit uos,*
Luc. 10. *me recipit. & qui uos spernit, me spernit.*] sic apostolus, [*duplici*
1.Tim.5. *(inquit) honore digni sunt, qui bene præsunt in uerbo & doctrina.*]
1.The.5. & alibi. [*rogamus autem fratres, ut agnoscatis eos. qui laborant*
inter uos, & qui præsunt uobis iu Domino & admonent, ut habeatis
illos in summo pretio.] Proximè post sacerdotes ciuiles magistra-
Rom.13. tus amandi sunt, reges ac primates gladij ministri, quos Paulus
Dei ministros appellat. per hos enim Deus non uulgaria benefi-
cia nobis impertit, ueluti externam pacem, politicam societatem,
tranquillitatem publicam, legum ciuilium conseruationem. quę
si deessent, quid essent aliud ciuitates, quàm speluncę latronum?
per hos pręstatur, ut inter improbos tuta sit innocentia, & ne-
quis uel alterum temerè lædat, uel pro arbitrio sumat de altero
1.Ti.2. pœnas. ob hanc causam uult Paulus, ut pro ijs oretur. [*hortor*
(inquit) *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulatio-*
nes, gratiarum actiones, pro regibus, & omnibus, qui in sublimi-
tate constituti sunt, ut tranquillam & quietam uitam agamus cum
omni pietate & castitate.] iubet idem apostolus ut eis corporea
officia præstemus, ut tributa uectigalia, ac sumptus necessarios,
Rom.13. sine quibus respublicæ regi non possunt. [*reddite* (inquit) *omni*
bus debita. cui tributum, tributum. cui uectigal, uectigal. cui ti-
morem, timorem. cui honorem, honorem,] neque uerò ab huius
honoris officio auocandi sumus propterea, quòd interdum mi-
nus æquos eos sentiamus, sed tunc diuinæ hoc dispensationi a-
scribendum est, qui nostris meritis consentaneos magistratus
Pro.21. dat. [*sicut diuisiones aquarum* (ait Salomon) *sic cor regis in manu*
Domini, quocunque uoluerit, inclinabit illud.] amandi ergo & ij
sunt, & præterea est eis obediendum, idque propter Deum,
1.Pet.2. ut docet Petrus Apostolus. [*subiecti estote* (inquiens) *omni hu-*
manæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue du-
cibus tanquam ab eo missis.] & Paulus seuerissimè id præcipit,
Rom.13. dicens. [*omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit. non*
est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.
itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.] & paulò post.
ibidem. [*ideo necessitate subiecti estote, non tantum propter iram, sed etiam*
propter conscientiam.] quibus uerbis ostendit, criminale esse

peccatum

peccatum, non parere magiſtratibus. denique reuerentia etiam illis eſt exhibenda, ut agnoſcamus in eis Dei miniſterium, ſicut dixit Paulus. [*Dei miniſter eſt, uindex in iram ei, qui malè agit.*] *ibidem.* hos enim ſcriptura Deos appellat. [*Ego* (inquit) *dixi, Dij eſtis,*] *Pſal.* 81. & rurſus. [*applica illos ad Deos.*] hoc attendens Petrus dicebat. *Exo.* 22. [*regem honorificate. ſerui ſubditi eſtote in omni timore, dominis,* 1. *Pet.* 2. *non ſolum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis, moleſtias patiens.*] & mirificum illud Chriſti exemplum proponit, qui [*pro nobis paſſus* *ibidem.* *eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur ueſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*] cum ergo in improbos Dominos incidimus, non ſunt ſpernendi, ſed orandus Deus, ut meliorem illis mentem inſpiret, & danda præterea à nobis opera eſt, ut peccata caueamus, quorum cauſa flagella eiuſmodi immittuntur. [*propter peccata* (inquit) *populi, re* *Iob.* 34. *gnare facit hypocritam.*] Hæc autem, quæ de honorandis magiſtratibus ſunt dicta, quodque eis parcendum ſit, ita ſunt intelligenda, niſi quid pręcipiant ſubiectis, quod legi Diuinę aduerſetur. tunc enim reſpondendum illis eſt. [*obedire oportet Deo ma* *Act.* 5. *gis quàm hominibus.*] Hæc item, quę de magiſtratibus diximus, ad omnes eos porriguntur, quicunque nobis pręſunt, ac noſtri curam gerunt, & qui maiores natu ſunt. pręcipit enim Dominus per Moſen. [*coram cano capite, aſſurge, & honora perſonam ſe* *Leu.* 19. *nis.*] hos interrogandos eſſe, & ab ijs diſcendum, alibi dicitur. [*interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos, & di-* *Deu.* 32. *cent tibi.*] Sed uideamus uerba, quæ addita ſunt huic præcepto honorandorum parentum. [& eris longæuus (inquit) ſuper terram.] quem locum citans Paulus ad Epheſios ait. [*filij obedite* *Ephe.* 6. *parentibus ueſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt, honora patrem* *Deu.* 5. *& matrem tuam, quod eſt primum mandatum in promiſſione, hoc eſt, cui promiſſio adiecta ſit, quæ eſt, ut bene tibi ſit, & ſis longæuus ſuper terram.*] erant enim Iudæis temporariæ promiſsiones, nobis uerò æternitas ob horum præceptorum obſeruationem promittitur. ſed quod ad temporariam etiam uitam pertinet, quotidiana exempla conſpicimus eorum, qui parentes negligunt, atque illis obedire contemnunt. ferè enim teterrimo genere mortis diem claudunt. hos in ſcripturis paſsim uideas deteſtatos, &

intentatas illis pœnas, ſeueriſsimaſque ultiones. in lege iubetur, ut non ſolum qui percuſſerit patrem aut matrem, ſed etiam qui malè eis dixerit, morte moriatur. Cham filius Noeë ſe totamque poſteritatem ſuam execrationi inuoluit, quòd patris ſui uerenda non operuerit, ſed deriſerit. Ruben quoque primogenitus Iacob pari execrationi addictus fuit, quòd aſcenderit cubile patris. Abſalon, qui regnum patri auferre conatus fuit, inſigni ac miſerrimo fine uitam clauſit. Hæc cogitantes, parentes quiſque ſuos, & eos, qui parentum loco ſunt, debitis honoribus proſequatur, ut non ſolum uitam hanc longiorem habeat, ſed demum in ęternam illam recipiatur. quam utinam omnes aſſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO TRIGESIMATERTIA.

De homicidio.

NON occides.] Poſt ea præcepta, quæ ad Deum colendum pertinent, & honorandos parentes, qui ſecundo poſt Deum loco eſſe debent, de mutua hominum inter ſe conſeruatione præcepta dat. primumque ea facta prohibet, quæ ipſis hominibus ſunt pernicioſiora, ut eſt homicidium. nam conſeruandæ uitæ gratia non dubitant homines

Iob. 2. cæterarum rerum iacturam facere. [*pellem* (inquit) *pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima ſua.*]. quare pulcro ordine hoc præceptum coniungitur ſuperioribus, ut proximorum uitæ parcatur. Sed memineritis, quæ de homicidio dicta olim à nobis ſunt, cum eum locum fuimus interpretati, qui in ſermone Domini in monte habito de hac re tractat. ubi Dominus declarat, non ſatis eſſe, ut huic præcepto ſatisfacias, continere manum à cæde, niſi etiam contineas animum ab iis affe-

ctibus,

ctibus, qui huc tendunt. ait enim. [*audistis quòd dictum sit antiquis, non occides, qui autem occiderit, obnoxius erit iudicio. ego autem dico uobis, quòd omnis qui irascitur fratri suo sine causa, obnoxius erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, Racha, obnoxius erit concilio, qui autem dixerit fatue, obnoxius erit Geennæ ignis.*] quibus uerbis docet Dominus, non tantum homicidam esse apud Deum, qui uitam proximo eripuerit, sed illum etiam quicunque proximum odit. nam de ea ira accipiendum est, quæ lædendi affectum coniunctum habet, alioquin irascimur & ijs, quibus bene uolumus, non ut lædamus, sed ut corrigamus, & odimus in homine, non quod fecit Deus, sed quod fecit homo. in quam sententiam dixit psaltes. [*irascimini & nolite peccare.*] & alibi. [*iniquos odio habui.*] quam uerò ob causam eos oderit, in eodem psalmo ait. [*tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei.*] hanc unam ob causam commoueri debemus, non peccantis odio, sed peccati. sic cum proferre conuicia contingit, zelo pietatis licet, atque eorum utilitatis gratia quos reprehendimus. ut cum Paulus Galatas stultos appellauit, quòd tam facile à falsis apostolis imponi sibi passi essent. quæ uerba non ab odio sed ab amore profecta esse declarat, cum in eadem epistola & fratres & filiolos appellat. quod exemplum in memoriam reuocandum à nobis est, cum scire uolumus, num odio an amore proximorum in iram aduersus eos conuiciumque prorumpimus. Per illa ergo Domini uerba intelligimus hoc præcepto prohiberi non solum iram, sed multò magis odium, quod est ira inueterata. nam si irasci fratri suo non est fas, longè minus fas est, animo tenere aliquid, ut in odium indignatio conuertatur. ad quod pertinet quod Paulus ait. [*sol non occidat super iracundiam uestram.*] & cum inuidia etiam peior sit, quæ aliorum felicitatem suum damnum arbitratur, nil dubitandum est, uetita ira magis etiam inuidiam uetitam fuisse, & in uniuersum damnari cor erga fratrem malè affectum, omnemque ulciscendi & lædendi proximi cupiditatem. Atque hinc liquet, hoc præceptum non pertinere ad eos magistratus, qui publica iudicia exercent, & legitimis pœnis sontes afficiunt. non enim ipsi occidunt, sed lex Dei, quæ iubet unum membrum tolli ob totius corporis incolumitatem. nam iudex non suo, sed

Marginal notes: *Mat. 5.* (beside "audistis"); *Psal. 4.* (beside "irascimini"); *Ps. 118.* (beside "iniquos odio habui"); *Gal. 3.* (beside "Paulus Galatas"); *Matt. 5.* (beside "nam si irasci"); *Ephe. 5.* (beside "sol non occidat"); *Matt. 5.* (beside "iubet unum membrum")

Rom.13. Dei nomine ultor est, [*non enim frustra* (ait Paulus) *gladium portat, uindex in iram ei qui malè agit*.] quin si iniustam pœnæ remissionem iudices faciant, peccant, si etiam principes fuerint, qui hanc remittunt, ut siquis pœnam homicidij relaxet, aut mutilationis, aut latrocinij, atque huiusmodi scelerum, quod in reipublicę damnum aut priuatorum frequenter uergit. magnum enim reipublicæ detrimentum sæpenumero infertur, cum mali
Pro.28. impunes euadunt, quia crescunt mali, & [*cum surrexerint impij* (ait Salomon) *absconduntur homines* (nempe probi) *& cum illi interierint, multiplicabuntur iusti*.] neque hos uel iudices uel principes excusat commutatio pœnæ in pecuniariam, nec pax ab aduersa parte habita. quoniam princeps custos iustitiæ esse debet. quare qui absque rationabili causa utitur huiuscemodi indulgentia, quas clementias uocant, lætalis criminis reus est, & malorum omnium, quęcunque inde sequi solent. nam plerunque
Nu.12. in hac parte clementem esse uelle, maxima est crudelitas. [*Erat Moses*, quemadmodum scriptura dicit, *mitissimus omnium, qui in terra essent*,] & tamen dux fuit ad cędem eorum faciendam,
Exo.32. qui uitulum adorauerant. [*stans enim in porta castrorum ait, si quis est Domini, iungatur mihi, & ceciderunt in die illa ad tria millia*
Nu.25. *hominum*.] sic Phinees interfectis uno ictu geminis scortatori-
Ps.105. bus, placauit iram Dei, sicut in psalmo legimus. [*stetit Phinees*
4.Reg.1. *& placauit, & cessauit quassatio*.] Elias uerò præter duos quinquagenarios cum quinquaginta suis cœlesti igne ipsius iussu
3. Reg. 18. consumptos, apprehensos supra quadringentos prophetas Baal interfecit, nec tamen homicidij crimen subiit. Sed falluntur plerique, qui, cum potestate nulla præditi sint, licere tamen sibi putant imprecari pœnam ac cædes iis, quos opinantur ea dignos esse. non enim hoc Christianæ pietati est consentaneum. quando ne ipsi quidem iudices, cum reos damnant, optare id debent, ut pereant, sed coguntur officio fungi suo. multò ergo hoc minus illis licet, ad quos ista non pertinent. optent potius, ut mali meliorem induant animum, & conuertantur ac uiuant. id quod & Deus se uelle ostendit, cum ait.
Eze.18. [*non est uoluntas mea mors impij, sed ut conuertatur & uiuat*.]

Quod autem diximus, licere magistratibus sontes occidere. neque tamen propterea esse homicidas, hoc etiam de inferendo

bello est sentiendum. nam, & si optandum sit, ut inter Christianos bella non audiantur, ut qui fratres omnes sint, de quibus iam olim per prophetam dictum fuit, fore, ut non exercerentur ultra ad prælium, quia tamen multi sunt, qui ne Christiani quidem appellatione sunt digni, necesse est, ut in ecclesia sint magistratus, qui latrocinia ac seditiones armis bellisque compescant, ne communis uita ac respublicæ dissipentur. sed uidendum principibus est, ne bellum aliter, quàm legitimè ac iustè suscipiant, quod tum fit, cum non uoluntate sed coacti id faciunt, cum nulla superest alia spes pacis ac iustitię tuendę. cum uerò ex iusta causa bellum indicitur, docemur in Deuteronomio, non ante in bellum descendere quàm pax hostibus offeratur, quàm si recusauerint, tunc demum bellum aggrediendum. sed finis semper spectandus est, cuius causa susceptum est bellum, pax scilicet ac publica tranquillitas, qua parta bellicus omnis tumultus cesset. in hunc modum & Dauid, & uiros omnes sanctos ac pios pugnasse legimus, qui in ipso etiam prędio iræ temperabant, cum cernerent rem eò deductam, ut subacti hostes esse uiderentur. nam in ea pugna, qua Absalon aduersus patrem præliabatur, ubi agnitum est Absalonis exercitum terga uertisse, Ioab, qui Dauidici exercitus dux erat, poteratque insequendo, omnes ad unum interficere, mox receptui cani iussit, ut multitudini parceretur. neque uerò Dauid peracto bello iussit quenquam eorum occidi, qui filio suo in ea factione fauissent. quin & Amasiæ, qui seditiosum exercitum duxerat, dixit. nonne os meum & caro mea es? hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me. sic, cum non multò post Siba uir Belial factionem non dissimilem concitauisset, ac tuba cecinisset dicens, [*non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai*,] & cum coniuratis in Abelam uenisset, Ioab cum exercitu secutus, ut expugnaret Abelam, interpellatus per mulierem, cur præcipitaret hæreditatem Domini, respondit. [*absit hoc, tradite mihi solum Siba: qui extulit manum suam contra regem*.] quod cum factum esset, & proiectum per murum caput uidisset Ioab, non deprædatus est seditiosam urbem, nulla spolia retulit, sed contentus abscisso capite auctoris motæ seditionis, receptui cecinit, atque

Esa.2. *Deu.20.* *2.Reg.18.* *ibid.20.* *2.Reg.20.*

atque abijt. Qui uerò principes eiusmodi exempla non imitantur, neque publicæ utilitatis gratia, sed ob priuatos affectus bellum gerunt, uel fidem fallunt, ij tot homicidiorum rei sunt, quot homines in eo bello uel ferro uel famę conficiuntur. Qui præterea milites nulla habita ratione uel iusti uel iniusti belli, sed uel odio uel spe prędæ accurrunt ad bellum, ij, si etiam neminem occidant, coram Deo homicidæ sunt. non enim uoluntas, sed occasio defuit uoluntati. Sed quando de homicidio sermo est, ea quæstio non est prætermittenda, quæ sepe in controuersiam uenit, & de qua ego interdum à nonnullis sum interrogatus. num uidelicet uiro Christiano liceat uim ui repellere. scrupulosa omnino quæstio est, & quæ Christiano pectore indigeat, atque Euangelicis pręceptis bene munito. nam licere Christiano homini se tueri, cum moderamine inculpate tutelæ, uiri docti, atque in re theologica exercitati non diffitentur, sed difficillimum est, hoc tenere moderamen. nam plurima sunt, quæ ad obseruandum hunc ordinem & modum requiruntur, inter quę hoc potissimum est, ut omnis affectus lædendi inuasorem absit, talem autem affectum in conflictu retinere non est facile. quare cauendum est in primis omni studio, ne in illas angustias ueniamus. quòd si nulla nostra culpa in eiusmodi pericula inciderimus, ante omnia Dei auxilium implorandum est. quod sæpe propinquius est quàm credimus, atque adeo in eiusmodi necessitatibus maximè præsto est. quòd si interim Deo uisum non fuerit, ut inuaso succurratur, & malit is occidi, quàm occidere, certè iudicandum est, hunc Christiani hominis officio functum, & Christi Domini exemplum imitatum. quamuis interim secus facientem, atque ordine legitimo se defendentem non damnemus. neque enim Euangelium tollit ius naturale, uel legis naturalis ordinem, sed tantum format affectus atque animum, quem Christus uult ab omni ulciscendi cupiditate esse quàm alienissimum. Sed reuertamur ad pręceptum, de quo instituimus orationem. cum præcipitur, ne occidamus, non solum intelligendum est prohiberi uitium ac cædem, & cuiusuis ultionis genus, atque ulciscendi cupiditatem, sed docemur uirtutes ijs contrarias introducere, atque humanitatem in primis, quæ tam homini propria est, ut ab homine cognomen acceperit.

rit. cuius naturæ cum cædes atque ultio maximè contraria sit, consentaneum est, ut mansuetudine atque humanitate utamur. quæ uirtus propriè opponitur iræ, rixis, odio, rancori, atque inuidię. deinde concordiæ studium postulat, ut in omni negocio redire in gratiam cum proximo studeamus. quod docuit Dominus cum dixit. [*si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum.*] & eodem loco docens, pacem cum omnibus habendam, quantum in nobis est, addit. [*esto beneuolus aduersario tuo, dum adhuc cum illo es in uia.*] docemur item non resistere malo. sic enim Christus optimus legis interpres docuit, cum suam legi perfectionem adderet. [*ego* (inquit) *dico uobis, non resistere malo, sed siquis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi & alteram.*] item ut persequentium furorem ita perferamus, ut inuicto animo etiam eorum emendationem expectemus, & curemus. quod idem Dominus docuit, cum dixit. [*diligite inimicos uestros, bene precamini deuouentibus uos, benefacite ijs, qui uos oderunt. orate pro ijs, qui lædunt & insectantur uos, ut sitis filij patris uestri, qui in cælis est.*] Intelligere ergo ex his possumus, non eos solum in hoc præceptum peccare, qui hominem ferro, uel quapiam alia uia interficiunt, si ab exteriori legis cortice ad pręcepti medullam, quam Christus enucleauit, penetres, sed eos etiam, qui ira & odio in proximum flagrant, aut inuidia contabescunt. nam, ut Ioannes ait. [*Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.*] ideo plenæ sunt apostolicæ epistolæ eiusmodi documentis, ut omnis amaritudo & indignatio & clamor tollantur è medio. Hoc quoque præceptum uiolant, qui contumelia proximum afficiunt, & honorem proximi commaculant, calumniatores, sycophantę, criminatores, qui pro gladio lingua utuntur ac calamo, de quibus psaltes ait. [*Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*] sed reperio inter uos nouum morem perdendi homines lingua. nam non solum uenenatam linguam acuitis in eos, quos odio prosequimini, sed cum simpliciorem aliquem deprehenditis, ita eum uarijs sermonibus, figmentisque nugarum exagitatis, ut non eum prius di-

mittatis,

Mat. 5. *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *1. Ioan. 3.* *Psal. 56.*

mittatis, quàm uersus in insaniam sit. tantumque abest, ut hic error esse à uobis agnoscatur, ut tum demum rideatis, cum cernitis eum bellè insanum euasisse, neque intelligitis miseri, hoc nihilo esse minus detestandum, quàm homicidium. & nescio quid habere secum etiam miserabilius, quòd eiusmodi homines uiuentes mortui sunt, dum extincta in illis ratio est, quæ una hominem constituit, qua sublata, nihil à brutis distamus. quòd siquis maleficis artibus efficeret, ut quispiam è uobis equi figuram aut alterius ratione carentis animantis habere uideretur, quamuis dempta illi non esset ratio, hunc omnibus supplicijs dignum iudicaretis. uos uerò multò agitis deterius, dum rationem ac mentem, pręcipuam hominis partem aufertis, & tantum errorem, ne errorem quidem esse arbitramini? illud præterea cogitate, uos damna omnia præstare debere, quæ ex eiusmodi malo proficiscuntur. Sed uideo diuersa alia hominum genera in homicidia delabi, quæ non intelligunt. auarus enim, cuius

Eccl. 34. culpa egeni fame pereunt, homicida est. [*panis enim egentium* (ait quidam sapiens) *uita pauperis est, & qui defraudauerit, est uir sanguinum.*] medici, quorum incuria aut inscitia ægroti moriuntur, rei proculdubio eorum mortis sunt. aduocati item, qui negligunt innocentes, qui sibi auxilio esse nequeunt, defendere, si intereunt, non iniuria homicidæ sunt appellandi. sic qui non repellit à proximo iniuriam, cum possit, tam est in uitio, quàm ille qui facit. homicidam quoque appellat Salomon eum,

Pro. 28. qui parentes necessarijs ministerijs fraudat. sic enim ait. [*qui subtrahit aliquid à patre suo aut à matre sua, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*] sed inter omnia homicidij genera, illud crudelissimum est, & tamen minus animaduersum, animarum uidelicet, in quibus ueri hominis ratio constat, interfectio. quam cædem ij præcipuè exercent, qui pręcipuè amare se profitentur. atque ut à parentibus ipsis incipiamus, quorum facinus parricidium potius quàm homicidium est appellandum. ij sua nimia indulgentia & affectu carnis, permittunt filios in omnia scelera pręcipites ferri, & nihil minus cogitant, quàm ut illorum saluti animæ prospiciatur, quos cum increpando & castigando cohibere possent, nec faciunt, sine dubio malum hoc illorum incuriæ negligentiæque est ascribendum. sic quicunque

uerbis

uerbis uel factis atque exemplis alios ad peccandum prouocant, tot homicidiorum rei sunt, quot animas perdunt. quod homicidij genus tanto est illo corporeo grauius, quantò anima corpore dignior est. in hac parte uehementer peccant plurimæ mulieres, quæ uidentur data opera id curare, ut laquei animarum fiant, pro quibus Christus mortuus est. uerbis, nutibus, uestitu, fucis, pigmentis, breuiter eo ornamentorum numero, quæ magnus ille propheta Esaias non dedignatus est singillatim recensere, miseras irretiunt animas, & quos ferro attingere non auderent propterea, quòd is sexus à crudelitate plurimum abhorret, perditis moribus crudelissimè interficiunt. Spiritualia hæc homicidia, quæ corporeis grauiora sunt, ac perniciosiora, miror tam parum, atque adeo penè tam nihil curari. atque hoc ideo fit, quòd nullo affectu erga hanc philosophiam à Christo ad nos allatam tenemur. misit cœlestis ille pater unigenitum filium suum, uoluit fieri hominem, atque ad hanc naturam nostram se demittere. uoluit eum pro peccatis nostris pœnas in cruce dare, (*ut nos eriperet de potestate tenebrarum, & transferret in regnum filij dilectionis suæ.*) & nos damus operam, ut eæ animæ, quas ille unigenitus summi patris suo sanguine redemit, iterum in Diaboli potestatem reuertantur, & qui Christi adiutores ad parandam proximorum salutem esse debueramus, non aduertimus, nos hostes Christi euadere, & penitus contraria illi facta exercere. inimici non solum Christi, sed ipsius generis nostri, leonibus ipsis & eiusmodi ferarum generibus crudeliores, quæ cum non nisi in diuersa genera sæuiant, nos in nullum genus magis, quàm in nostrum efferi reperimur. agnoscamus obsecro tantum errorem, & cum omnem cędem atque iniuriam proximorum, tum illam, quam dixi, perdendarum animarum omni studio deuitemus, & potius recordemur, quod admonet Paulus, nos esse inuicem membra, & inuicem alter alteri ad parandam ęternam salutem simus adiutorio. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

Esa. 3.

Col. 1.

Ephe. 4.

ORATIO XXXIIII.
De inuidia.

DVAE apud Græcos dictiones sunt, admodum inter se similes φθόνος, & φόνος, quarum altera inuidiam, altera cædem significat. quæ cum non minus scelere quàm uoce coniunctæ sint, atque altera plerunque alteram pariat, sæpe enim homicidia ex inuidia proficiscuntur, opportunum mihi uidetur, cum superiore oratione præceptum de uitando homicidio tractauerimus, hodie contra inuidiam loqui, quæ homicidij radix est, ut malum ab radice euulsum, non habeat unde repullulet. Antiquum malum inuidia
Ioan.8. est, atque à Diabolo excogitatum. quem cum Seruator Chri-
Sap. 2. stus dicat, homicidam fuisse ab initio, alibi uerò legamus, inuidia Diaboli mortem intrasse in orbem terrarum, intelligere facile possumus, Diabolum exstimulatum inuidia, fraude sua mortem homini fuisse machinatum, totumque genus nostrum in has calamitates, quas quotidie experimur, præcipitauisse, qui ægrè ferens magnifica dona, quæ Deus homini contulerat, cum ulcisci Deum nequiret, hominem ultus est. hoc instrumentum cernens idem hostis ad maxima quæque scelera esse aptissimum, post euersos parentes primos, hoc ipso ad eorum filios perdendos est usus, & inuidiæ facibus inflammatum Cain in fratris
Gen. 4. Abel cædem armauit. ob inuidiam castissimus ille Ioseph in-
Gen. 37. nocens à fratribus uenditus est, parumque absuit, quin ab eis interficeretur. hac inuidia perciti Iudæi, in mortem Seruatoris Christi conspirauerunt. neque tanta ac tam admiranda eius facta à tam nefario scelere auocare illos potuerunt. habet enim inuidia uim quandam offundendi tenebras oculis mentis, atque adeo fascinandi, quæ uox à uerbo Græco βασκαίνω deducta ui-
Gal. 3. detur, quod & fascinare & inuidere significat, atque eo uerbo usus est Paulus, cum reprehenderet Galatas, quòd falsorum aposto-

apoſtolorum inuidia fuiſſent faſcinati. Hoc uitio nihil pernicioſius animis hominum inhærere poteſt, minimumque eſt, quo proximus læditur, præ eo damno, quo ſuos afficit poſſeſſores. nam ij primi illud ſentiunt. & quemadmodum rubigo ferrum, ſic inuidia animum conſumit, atque adeo id agit, quod uiperæ, quas ferunt parentis uentrem dilacerare, cum naſcuntur, ſic inuidia animam conſumit, quæ illam generat. & uide à quàm pudenda cauſa proficiſcatur. [eſt enim inuidia triſtitia ac dolor de proximi felicitate progrediens.] quocirca nunquàm mœrores nunquam dolores inuido deſunt. fertilis in agro proximi ſeges eſt? domus abundat rebus ad uictum neceſſarijs? in ſumma lætitia degit? hæc omnia huius morbi alimenta ſunt, ac doloris additamenta inuido, ut nihil differat à nudo homine, qui ab omnibus vulneretur. robuſtus eſt quiſpiam ac bono corporis habitu? hoc inuidum percutit. alius forma eſt gratioſiore? aliud inuido vulnus. rurſus quiſpiam virtutibus animi pluribus antecellit, eſtq; prudentia & dicendi gratia conſpicuus, aut liberalis, atq; erga egenos profuſus, celebraturque ab iis, quos afficit beneficiis? hæc omnia plagæ & uulnera, quæ medium inuidi cor ſecant. Quod uerò eſt grauius, non audet morbum ac uulnus ſuum prodere. in alijs uitiis leuamen quoddam eſt, amico aperuiſſe dolorem ſuum, ut qui odio aliquem proſequitur, & ei cædem aut malum aliquod parat, non ueretur cum ſocio illud communicare. ſic qui ſcorti alicuius laſciuo amore captus eſt, habet ſemper cui ſe prodat. auarus factis ipſis morbum ſuum aperit. at inuidus latet triſtis ac ſilet, nec uel colloquendo leuare malum poteſt. interrogatus cur triſtis ſit, obmuteſcit, & erubeſcit ſuam calamitatem palam facere. quo enim pacto audeat quis dicere, rebus opimis alterius marceſco, inuidus ſum, fratris defleo felicitatem, alterius bonum intueri non poſſum, & res aliorum ſecundas meam exiſtimo calamitatem? nullam uerò inuidus ſui morbi inuenit curationem, niſi eorum caſum quibus inuidet, cum enim hominem prolapſum uidet, tunc illi amicus eſſe incipit, & qui collætari læto recuſauerat, dolenti collacrymatur. neque uerò id ex humanitate facit, ſed ut maiorem illi calamitatem ſtruat, inuidebat proximi filio dum uiueret, poſt mortem illum laudat, quòd pulcher, quòd egregia indole, quòd optimo ingenio eſſet.

quòd si alij accedant, qui laudent, rursus ad inuidiam conuertitur, diuitias alterius admiratur post earum iacturam, speciem corporis ac robur, post ea morbo amissa, effert laudibus. breuiter præsentium est bonorum hostis, cum ea interierunt, amicus efficitur. Quid ergo hac peste excogitari perniciosius possit? uitæ enim corruptio est, naturæ profligatio, hostis eorum, quæ à Deo nobis dantur, &, cum sit mos non hominum solum, sed ferarum etiam, molliri beneficentia, hęc euadit efferatior. quid enim

1. Reg. Dauid in Saulem nisi beneficia contulerat? furenti atque à malo Dæmone uexato, suo concentu musico fuerat opitulatus, regem

1. Reg. 18. & exercitum omnem opprobrio ac metu infestissimi gigantis Philistæi liberauerat, sed mox ubi audiuit cantari à mulieribus, [*Saul percussit mille, & Dauid decem millia*,] tantis inuidiæ facibus fuit exstimulatus, ut & priorum beneficiorum oblitus fuerit, & sequentia, quibus ad regis imperium semper fuit obsequentissimus, nunquam inspexerit. quin & cum non semel sensisset uitam sibi ab illo condonatam, quod mollire adamantina corda debuisset, tam ingens & nemini expectata beneficentia, cor ab inuidia obsessum & obduratum mollire non potuit. ut intelligatur intractabilissimum esse inimicitiæ genus inuidiam, quæ, cum alioqui beneficentiæ mitiores efficere soleant hostes, ipsa cum beneficio afficitur, magis irritatur. & quò maiora sunt beneficia, eò grauius inuidus dolet. mauult enim tristari benefactoris uirtute, quàm ob collata in se officia gratias agere. Quas ij feras morum asperitate non superant? canes educatione mansuescunt, leones reperti sunt, qui curati cicures euaserunt, at inuidi curatione fiunt agrestiores. Nihil tam Christianum hominem dedecet, quàm inuidia. cum enim Christianæ philosophiæ summa sit charitas, hæc singulare est, idque sine causa, odij nutrimentum. uide enim, quid de inuidis Ioseph fratribus scriptura

Gen. 37. dicat. [*uidentes fratres eius, quòd à patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui*.] cuius odij si causam quæras, nullam reperias nisi solam inuidentiam. cum uerò Christiano homini turpe sit, quempiam odisse, etiam ob scelerata illius facta, quantum scelus est, persequi aliquem odio ob solam uirtutem atque pręstantiam? quæ etiam ne insectari inuidus uideatur, uirtutes ipsas inuertit, & ex uicinis ui

tijs illas cauillatur. cum enim qui fortis sit, temerarium uocat. temperantem uerò, ut qui communi sensu careat. iustum appellat sæuum, prudentem uerò malitiosum & uafrum. liberalis quis est, decoctorem criminatur. sin rem familiarem seruare curat, parcum uocat. breuiter, [syncerum cupit uas incrustare] quod quidam poëta de huiusmodi hominibus loquens dixit. quare nil mirum est, Salomonem prohibuisse, ne cum inuido homine cibum sumeremus, significans per illa uerba, omne cum uiris eiusmodi uitandum esse commercium. cuius mali uehementiam idem Salomon alibi declarare uolens ait. [*ira non habet misericordiam nec erumpens furor, impetum autem inuidiæ ferre quis poterit?*] Nihil ita ecclesiam deuastat, ut inuidia. grauis morbus, & qui nullam habet excusationem, etiam ipsa malorum radice auaritia plerunque deterior. nam auarus tunc lętatur, cum accipit, at inuidus non cum ipse accipit, sed cum alter non accipit, tunc lętatur. felicitatem enim suam non propria commoda, sed aliorum infelicitatem arbitratur, communis quidam naturę hominum hostis. Diabolus inuidet quidem, sed hominibus, non alteri Dæmoni. tu uerò, cum homo sis, hominibus inuides, & aduersus cognatum genus stas? & qua uenia dignus es, quáue excusatione, dum cernens fratrem secundis rebus hilarem, ipse contremiscis & palles? oportebat potius lætari & exultare. quòd si æmulari uis, æmulare, ut talium bonorum ipse fias compos, non ut ille deprimatur. si æmularis, ut eandem uirtutem assequare, bona est ęmulatio, imitari non oppugnare, non alterius bonis dolere, sed ob priuata mala commoueri. at inuidia contrarium efficit. nam propria mala negligens, alienis consumitur bonis. nam pauperem non ita propria paupertas mordet, quàm proximi opulentia. cui similem ergo dicemus esse inuidum? hanc adhibere similitudinem possumus, ut siquis inertem asellum & obesum ueloci equo coniungeret, tunc neque asellus excitari uellet, & equum sua inertia atque obesitate deprimere conaretur. sic inuidus neque studet quo pacto ab hoc graui ueterno liberetur, & omnia facit, ut alterum ad cœlum euolantem supplantet, atque deijciat. euidens Diaboli æmulator factus. nam & ille cernens hominem in paradiso, non ipse mutari studuit, sed illum eijcere è paradiso. & rursus, cum cernit hominem

Pro. 23.

Pro. 27.

nem

nem in cœlo sedere, aliosque illuc festinantes, eandem habet cu ram, ut ad cœlum ire contendentes supplantet. quamuis maius ex hoc sibi ipsi incendium congerat potius, quàm illis noceat. nam ubique hoc usuuenit. etenim is, cui inuidetur, si uigilet, euadit illustrior, & is, qui inuidet, maiora sibi ipsi accersit ma-
Gen.37. la. hoc pacto Ioseph clarus effectus est ex fratrum inuidia, qui nisi illi inuidissent, ut ex ea inuidia in Aegyptum uenderetur, nun quam tam ingentem gloriam fuisset adeptus, ut secundus in re-
Nu.16. gno Aegypti post regem esset. sic Aaron æmulorum inuidentia clarior extitit, cum & aduersarij eius Core & Dathan & Abiron absorpti à terra sunt. & rursus cum illius uirga germinauit, floruit, & protulit amygdalas. Abominandum prorsus hoc uitium est. quam enim ob causam obsecro inuides? quod frater spirituale aliquod donum sit assecutus? at à quo est assecutus? nonne à Deo? ergo inimicum hunc animum exerces aduersus illum, qui donum illud dedit. cernis quousque prorepat hoc malum? & quod culmen peccatorum adhibeat? & quàm ingens pœnarum barathrum effodiat? fugiamus itaque morbum hunc, & non solum non inuideamus, sed inuidentium misereamur, & omnia tentemus, tum assiduis ad Deum precationibus, tum saluberrimis monitis, ut ab hoc malo liberentur. defleamus eos, ipsi enim sunt, qui iniuriam patiuntur, dum uermem continuum intra se habent, qui eorum cor dilacerat. quæ ultio tanta est, ut quidam externus dixerit, tyrannos Siculos, nunquam maius tormentorum genus excogitauisse. eiusmodi enim homines uitam agunt non uiuendam. etenim non ita lignum aut lanam tinea consumit, ut inuidiæ uermis inuidentium ossa. ut rectè di-
Pro. 19. xerit Salomon. [*putredo ossium inuidia*.] Verum, ut tam ingens uitium longius à nobis posthac effugetur, operæpretium est, aliqua adhibere remedia. quorum primum illud sit, cuius dudum meminimus, cogitandum esse, omnia bona, siue ad animum siue ad corpus pertineant, à Deo profecta esse, eumque ut sapien tissimum patremfamilias suo iudicio cuique tribuisse. in quo iudicio errare illum aut falli non est possibile. quòd si ij, quibus ea dona tributa sunt, forte eis abutantur, non nostrum est ista
Rom.14. diiudicare, sed meminerimus uerborum Pauli, cum ait. [*tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit*.] hoc

est

est, iudicio sui Domini relinquenda ista sunt: [*iudicia enim Dei abyssus multa.*] quæ uenerari nos decet, non de eis disceptare, quæ admiratus idem Paulus atque reueritus exclamauit. [*O' profundum diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inperuestigabiles uiæ eius.*] Deinde referendus est animus ad naturę nostræ communitatem, quodque inuicem sumus alter alterius membra, ut, quod in membris corporis fit, idem inter nos faciamus. nam in corpore siue [*unum membrum patiatur* (quemadmodum Paulus ait) *simul patiuntur omnia membra, siue glorificetur unum membrum, simul gaudent omnia membra.*] magna enim est membrorum corporis in omnibus, quæcunque illis accidunt, inter se communicatio, quia nimirum communis salus est. iccirco communem & gloriam & tristitiam esse oportet. sic inter nos est faciendum. ut & qui inferior uel uirtute uel opibus est, non inuideat ei, qui ijs antecellit, sed putet potius se in proximo, tanquam proprio membro habere, quod sibi deesse conspicit. & qui præstantior est, non negligat inferiorem, sed iuuet. cernis autem hoc fieri in membris corporis. accidit sæpe, ut spina calcaneo infixa sit. hoc totum corpus sentit, ac solicitum est. flectuntur humeri, & uenter, & fœmora contrahuntur, admouentur manus. hæc omnia membra tanquam satellites & administri accedunt, ut spinam euellant. caput inclinatur, prospiciunt oculi summa cura. quare si etiam minus habet pes ex eo, quòd ascendere non potest, in eo tamen quòd caput ad se inflectit, assequitur ęqualitatem, & eodem honore fruitur. præsertim cum non ob gratiam sese ita demittat ad pedes caput, sed ob debitum. quare si plus habet caput. quòd sit honorificentius, ex eo certè, quòd tam honestum cum sit, debere se inferiori honorem intelligit ac curam, multam declarat æqualitatem. quid enim calcaneo uilius? quid honoratius capite? at hoc ad illud membrum accedit, & membra omnia secum mouet. rursus, si oculi quippiam mali patiantur, reliqua in mœrore sunt membra, omnia eciantur, & neque pedes ingrediuntur, neque manus operantur, neque uenter alimentis, ut consueuerat, ac cibis fruitur. atqui morbus duntaxat oculorum est. quid uentrem extenuas? quid detines pedes? quid tanquam uincula inijcis manibus? nimirum quia & hæc

Psal. 35.
Rom. 11.
Rom. 12.
1. Cor. 12

cum

cum illis sunt colligata, & nescias quo pacto totum corpus patitur. nisi enim simul pateretur, non ferret communem prouidentiam, ob quam siue patiatur unum membrum, simul patiuntur omnia membra, siue unum honestetur, omnia simul gaudent. at quo pacto simul gaudent? si contingat coronari caput, totus homo honestatur. cum loquitur os, rident oculi & hilarescunt, quamuis illa dicendi gratia non oculorum est, sed linguæ. rursus cum oculi pulchri apparent, tota mulier decoratur. sicut & ipsi oculi ob rectum nasum & bene compactam ceruicem gaudent & hilarescunt. ac uicissim profusè lacrymantur in doloribus & calamitatibus, quamuis ipsi illæsi permaneant. Hæc itaque & nos cogitantes, imitemur horum membrorum charitatem neque ijs contraria faciamus, insultantes proximi cuiusque malis, & eorum bonis inuidentes. hoc enim insanorum est ac furentium. nam, qui oculum effoderet, maximam stultitiæ præberet significationem, & qui manum dentibus laceraret, egregium faceret furoris argumentum. quod si hoc in membris accidit, idem ipsum si erga proximos ac fratres fiat, paris desipientiæ indicium dat, damnumque adhibet non uulgare. dum enim oculus fulget, tuus etiam decor apparet, & totum corpus honestum redditur. neque enim decor ille in eo solo sistitur, uerum & tibi præbet honestamenti occasionem. quòd si illum extinguas, toti corpori tenebras offundis, & membris omnibus addis calamitatem. quemadmodum si illum serues, totius corporis speciem seruas. neque enim dicitur, quàm pulcher est oculus, sed quàm pulchra illa mulier, & cum oculi laudantur, laus ad totam mulierem transfertur. idem in ecclesia accidit, in qua si fuerint quidam probi ac laudati uiri, communis ecclesia eius laudis particeps est. etenim si quos habuerit hæc ciuitas in dicendo eloquentes, aut linguarum peritos, atque in scientia præstanteis, commendatio illa in totam ciuitatem redundat, dicuntque exteri, Fulginates esse eloquentes & doctos. idem ipsum in opibus & artibus & mercaturis fit, ut quicquid boni priuati homines singuli habent, totam ciuitatem honestet, & hoc externi in ciuitatis non priuatorum hominum commendationem proferant, honoremque coniungant, ac communem faciant. Bono ergo cuius & tu, tanquam ciuitatis membrum, esse particeps

potes,

potes, inuides, atque abſcindere conaris? atque aduerſus tuum ipſius corpus pugnas? an ignoras, hoc pacto omnia euerti? nam regnum (ait ueritas) aduerſus ſeipſum diuiſum, ſtare non poteſt. *Luc. 2.* non ſine cauſa prouerbium eſt, inuidiam oculos non habere. nam inuidi ſibi ipſis damnum afferunt, neque aduertunt. quanquam aliam etiam ob cauſam dictum eſt, quòd ſcilicet inuidia proximorum bona ſemper obliquè aſpicit, ac derogare illis conatur. Aliud etiam huius morbi remedium eſt ſalutare, ne cuiquam ob ea, quæcunque in mundo magna uel expetenda uidentur inuideamus, & ob quæ inuidere in primis homines ſolent. ſi nil magnum, nil eximium in humanis rebus iudicemus, non diuitias ac copias, non gloriam, non formam, bonumque corporis habitum. non enim in ijs, quæ fluxa ſunt, definire bonum poſſumus, qui ad æternorum uerorumque participationem accerſimur. quare diues non continuò excitare nobis inuidiam debet ob diuitias, neque qui in magiſtratu eſt, ob dignitatis magnitudinem, neque fortis ob robur corporis. non ſapiens ob ſciendi peritiam. nam inſtrumenta uirtutis iſta ſunt iis, qui bene fuerint uſi, non quæ in ſeipſis habeant beatitudinem. quamobrem qui malè iis fuerit uſus, miſerabilis potius eſt, qui gladio, quem acceperat ad hoſtium ultionem, hoc ſponte ſeipſum uulnerauerit. quòd ſi bene ac ſecundum rectam rationem rebus præſentibus utatur, tanquam bonus diſpenſator eorum, quæ a Deo accepit, neque fuerit illis abuſus, dignus eſt, qui laudetur ac diligatur, non ob ea bona, ſed ob charitatem & communicationem cum proximo quoque. rurſus prudentia quis, & dicendi gratia, ac Diuinorum eloquiorum interpretatione cæteris antecellit, & in admiratione eſt? ne inuideas. nam neque hoc magnum eſt, niſi in tui, ac cæterorum utilitatem impendat. quod uerò tibi profuturum eſt, cur ei inuides? nemo ſcaturientem fontem obturat, & fulgente ſole nullus oculos claudit. Itaque exiſtimandum eſt, ſolum natura bonum eſſe animæ bonum, cætera pro utendi modo iudicanda ſunt bona, ut ſiquis facultates egentibus impertiatur, incolumi corpore vtatur ad inſeruiendum infirmioribus, & quæcunque habet, non magis ſua, quàm indigentium eſſe arbitretur. qui uerò non ita affectus eſt, dignus eſt, cuius potius miſereamur, quàm cui inuideamus, cum maiores

ad hoc, ut malus ſit, habeat occaſiones. ſi enim diuitiæ inſtrumentum iniuſtitiæ ſint, miſerandus eſt diues. ſin miniſterium uirtutis, non debet habere locum inuidia, quando communis hinc utilitas propoſita omnibus eſt. Omnino uerò qui rebus humanis cogitatione ſupereminet, atque ad id, quod uerè bonum ac pulchrum & laudandum eſt, oculos attollit, multum abeſt ab eo, ut quicquam terrenum ac corruptibile iudicet inuidendum: qui autem ita ſe habet, neque ad iſta tanquam magna obſtupeſcit, ad hunc inuidiam accedere non eſt poſsibile. Quòd ſi prorſus gloriæ appetens es, & cupis plurimis antecellere, & ob hanc cauſam apparere ſecundus non uis (eſt enim & hæc inuidendi occaſio) transfer hanc contentionem ad uirtutis adeptionem. ne quæras quouis modo diteſcere, neque ex huius mundi rebus nomen aſſequi. non enim ea in te ſunt. ſed iuſtus eſto, & temperans, & prudens, & fortis ad perferendas pro pietate afflictiones. ſic enim & teipſum ſeruabis, & in maioribus bonis maiorem gloriam aſſequeris. nam uirtus in nobis eſt, & homini laboris ſtudioſo parabilis. opes uerò & forma corporis, & honorum ſplendor, externa ſunt, non in noſtra poteſtate. ſi ergo maius bonum eſt uirtus, magisque ſufficiens, & omnium confeſsione præſtantior, hanc perſequamur, quam animo inhærere poſsibile non eſt, qui & ab alijs prauis affectibus, & in primis ab inuidia non ſit liber, à qua mors, tanquam ex fonte quodam profecta eſt, & ob quam à bonis genus noſtrum excidit. hinc à Deo abalienatio, legum confuſio, & omnium huius uitæ bonorum

Gal. 5. euerſio. Quæ cum ita ſint, audiamus apoſtolum, & non [*efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.*] ſed potius benigni, miſericordes, mutuò condonantes, ut & Deus nobis gratificetur, ac donet in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMAQVINTA.

De adulterio.

NON committes adulterium.] Rectè post prohibitum homicidium, mox adulterium prohibetur. nihil enim tam humanum genus perturbat atque confundit, quàm uagi con- 1.Thes.4.
cubitus, & ubi quis in negocio (ut ait Paulus de hac re loquens) circumuenit fratrem suum. uehementissima etiam in proximum est alterius thori uiolatio. nam quemadmodum nil uiro charius neque coniunctius est uxore legitima, ita nulla est contumelia intolerabilior, quàm uxor per adulterium constuprata, qui dolor à natura insitus uidetur non hominibus solum uerum etiam ratione carentibus animalibus, quorum aliqua hic proferrem exempla, admiranda, nisi obuia frequenter sponte fierent. uerum cum in hominum genere Diuina lex coniugium tanta cum maiestate constituerit, id præ cæteris animantibus homini integrum immaculatumque seruandum est. uide enim quid in Genesi, ubi hominum origo describitur, scriptum sit. primum, uxorem Deus non è terra formauit, ut formauerat Adam, & quemadmodum iusserat terram passim producere animantia, sed accepta ex ipso Adam costa, formauit eam in mulierem. quam cum intuitus esset Adam, spiritu prophetico erupit in hæc uerba. [*hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*] & paulò post. [*propter hoc relinquet homo patrem &* Gen.2.
matrem suam, & agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.] magna sanè uis coniunctionis mariti & uxoris, ut post habito tam uehementi, qui in natura insitus est, filiorum in parentes affectu, uir uxori suæ ita iungatur, ut fiat una caro. quare non habet quis cur excuset, quamobrem ea relicta alteri coniungatur, neque dicat, talis ac talis est. non cernis, quòd & in carne multa uitia habemus? hic quidem claudus est, ille obtortos ha-

bet pedes, alius aridam manum, alij aliud contingit membrum ægrotare, neque tamen quiſquam reperitur, qui propriam carnem oderit, ſed fouet ac nutrit eam. non queritur, non amputat uitioſam partem, ſed ſanę ſæpe parti illam pręfert. neque iniuria. illius enim eſt. eodem modo quantam quiſque erga ſeipſum dilectionem habet, tantam oportet & uiros erga uxorem ſuam habere. cum enim eandem participemus naturam, multò tamen maxima fit uinculi acceſsio ob coniugium. Quòd ſi præterea obſerues myſterium, quod Paulus ſcribens Epheſijs, & de officio coniugum tractans, oſtendit in illis Adæ uerbis deliteſcere, multò etiam maior accedet reuerentia. cum enim recitaſſet

Ephe. 5. Geneſeos uerba, uidelicet, [*propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & agglutinabitur uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam*,] adiecit. [*myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in eccleſiam*.] quòd ſcilicet Chriſtus & ipſe tanquam relicto patre deſcenderit in terram, atque ad ſponſam eccleſiam uenerit, & ambo facti ſint in ſpiritum unum. qui

1. Cor. 6. enim adhæret Deo, unus ſpiritus fit cum eo. hæc ſi cogitentur, efficient, ut & coniuges maximam inter ſe exerceant reuerentiam,

1. The. 4. tiam, ut, quemadmodum ait Paulus, [*unuſquiſque ſciat ſuum uas poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij*.] & nemo alieno thoro audeat inſidiari, & uiolare coniugium, quod tanto cum myſterio uoluerit Deus inſtitui. Et ſanè arcanum hoc ingens eſt. hominem ab altero genitum, ſuum genitorem, qui eum aluit, & genitricem, quę pro eo labores partus pertulit, tot labores perpeſſa eſt, eos, à quibus tot beneficijs affectus fuit, inter quos tanta interceſsit neceſsitudo ac familiaritas, hos inquam relinquere, & mulieri non antea conſpectę, neque commune quicquam ſecum habenti, tam arctè agglutinari, & omnibus eam præferre. myſterium iure magnum. quod uerò maiorem parit admirationem, parentes dum hæc intuentur, non ægrè ferunt, ſed potius dolerent, niſi fierent. & dum in ijs pecuniæ inſumuntur, ac ſumptus fiunt, lætantur. magnum re uera myſterium, & arcanam in ſe habens ſapientiam. quò uerò res honoratior eſt, eò grauius eſt ſcelus, coniugij iura uiolare, quæ non tunc ſolum uiolantur, cum is, qui coniugio copulatus eſt, alterius uxori permiſcetur, ſed etiam

ſolutæ

ſolutæ à coniugio. etenim proprio thoro iniuriam facit. nam, & ſi illa, cum qua mœcharis, alligata non eſt, tu tamen alligatus es, & legem tranſgrederis, & iniuria afficis carnem tuam. dic enim mihi, cur uxorem tuam caſtigas, ſi ſoluto alteri uiro permiſceatur, qui uxorem non habeat? quia nimirum & ſi ille uxorem non habet, illa tamen alligata eſt uiro, quare eodem modo & tuum eſt adulterium. Sed abuſum quendam in hac ciuitate cerno, qui adulteriorum quaſi ſeminarium quoddam eſt. nam ubi filijs ueſtris deſponſa puella aliqua eſt, aliquot annos expectatis ut copulentur, atque conueniant. interea, ut eſt lubricæ adoleſcentię mos, ſcortationibus atque adulterijs operam dant, & tanquam cœno inuoluuntur, à quo exurgere uix unquam ſolent. & hæc peccata etiam in ueſtrum, ò parentes caput redundant, qui ueſtra negligentia peccandi occaſionem præbetis. idem peccatis, dum ſuo tempore filios ueſtros coniugio non copulatis, & committitis potius quàm patimini, ut in omnes ſordes ſe dent ante, quàm accipiant uxores. atque hinc fit, ut tum etiam, cum uxores habent, ob uitioſam conſuetudinem, ab adulterijs neſciant abſtinere. nam niſi ſcortari didiciſſent, ne mœchari quidem ſcirent. ſed qui ſcortis aſſueuit, facile in adulteria prolabitur. quid igitur? uelim ut radices amputetis, & quicunque filios iuuenes habetis, eos maturè iungatis coniugio, ut honeſtè uitæ aſſueſcant. & quando adoleſcentiam intemperantes appetitiones diuexare ſolent, ante coniugij quidem tempus, adhortationibus, minis, terroribus, pollicitationibus illos detinete, atque in primis ut occupati ſemper ſtudijs aliquibus ac negocijs ſint. nam rectè quidam externus dixit.

Ocia ſi tollas, periere cupidinis artes.

vbi uerò iam apti coniugio ſunt, nemo differat diutius hoc negocium, & ubi creuit filius, & coniugio aptus eſt, da operam, ut uxor maturè illi copuletur, quamuis ei uideatur, quòd nimis citò ſponſam illi adhibeas. hoc enim pacto ſi tempus, quo expectandæ nuptiæ ſunt, breue eſſe intellexerit, illum naturę furorem perferet. ſin uiderit, rem pigrè tractari, ac produci, & tardari, & expectari, dum uel maiores parentur diuitiæ, uel maioris dotis accedat occaſio, quod ſæpe uobis uſu uenit, ille deſperans ob temporis diuturnitatem, cœno ſe ſcortationis obuoluit.

noluit. sed heu & hic radix malorum auaritia in causa est. quia enim nemo curat, quo pacto filius sit temperans ac modestus, sed omnes ad opes insaniunt, ob hanc causam nemo hoc studium arripit. quare obsecro, ut primum animos eorum componere curetis. si enim filius castus & integer ad sponsam accesserit, & illa nullum alterius corpus nouerit, affectus utriusque erit uehementior, atque coniunctior. maior erit Dei timor, &
Heb.13. uerę honorabile coniugium & thorus immaculatus, qui pura & impolluta corpora receperit. filij qui gignentur, multa erunt benedictione pleni. sponsus ac sponsa mutuo concedent, cum alienis moribus neuter assueuerit. inuicem subijcientur. at quicunque ab adolescentia impudicè uiuere cœpit, & meretricios mores fuit expertus, uno quidem & altero die uxorem suam laudabit, post hæc uerò ad priorem intemperantiam relabetur. ad effusum & incompositum risum, ad uerba scurrilitatis plena; ad fractos gestus ac motus, & ea, quę dicere pudor est. hæc autem ingenua uxor pręstare non ferret, neque his seipsam sordidare. nam desponsa est ad honestæ uitę societatem, ad filiorum procreationem, non ad dedecus & inuerecundiam & risum, ut rem domesticam curet, ut maritum etiam ipsum modestiam & honestatem doceat, non ut ei scortationis fomenta subministret. Sed dulces tibi uidentur meretricis mores? scio. nam &
Pro. 5. scriptura hoc dicit. [*fauus distillat à labijs meretricis.*] sed quid deinde? [*nouissima autem eius amara quasi absynthium.*] nolim ergo ut huius mellis experientiam capias, ne fellis demum amaritudinem experiaris. Non libens quidem in his immoror, sed nisi ista commemorem, impudentes animi non reuerebuntur. nam & medicus cum uult saniem eijcere, prius digitos in uulnus immittit, & nisi primum medicas manus inficiat, mederi non ualet. sic & ego, nisi his narrationibus os inficiam, & quasi sordidem, uitiosos affectus uestros curare non potero. quin potius neque hoc pacto os sordidatur, neque medicę manus. quam ob causam? quia non est naturalis hæc impuritas, neque ex nostro ore, neque ex illius manibus, sed ex alieno corpore. quòd si ubi alienum corpus curandum admittitur, medicus suas sordidare manus non recusat, ubi nostrum corpus est, nos recusabimus? corpus enim nostrum estis uos, infirmum quidem & impurum,

purum, sed nostrum tamen. quamuis & talia in scripturis sanctis reperiuntur, & prophetæ dum Ierusalem reprehendunt, multa huius generis loquuntur. quid ergo est, quod adhuc superest dicendum? iam dicam. uestem, quam seruus habet, nunquam indui tolerares, cum ob sordes illam abomineris, sed malles nudus incedere, quàm illa uti. corpore uerò impuro ac sordido, quòdque pluribus se prostituit, abuteris, nec abominaris? prætermitto alia, quæ seruilem & illiberalem uitam efficiunt, ob pudorem. Et hæc quidem ad patres dicta sint, quòd ocyus oporteat filios coniugio copulare. sed neque uos filij sine culpa estis. nisi enim & alij uobis iuniores multi essent, qui temperanter uiuant, atque olim fuissent, fortasse esset aliqua uobis defensio. quòd si sunt, unde excusare uos potestis, quòd concupiscentiæ flammam cohibere non ualeatis? nam illi uos redarguunt, qui eiusdem naturæ sunt participes. audite Paulum dicentem. [*pacem sectamini & sanctificationem, sine qua nemo uidebit Deum.*] hæ minæ nonne idoneæ esse deberent ad uos terrendos? cernis aliquos per totam uitam temperantes degere & castos, & tu ne usque ad iuuentutis quidem tempora contines? cernis alios mille certamina aduersus carnem perferre, & tu ne semel quidem perfers? at ego, si uultis, huius erroris causam dicam. non enim adolescentia in causa est. nam si ea esset, omnes adolescentes essent intemperantes, sed uos ipsi uosmet in ignem præcipitatis. acceditis ad spectacula & tripudia, in quibus saltantes mulieres intuemini, & cum illis saltatis, iocis & ludis cum illis exercemini, & ligna igni admouetis. dissoluimini in risus, & iocosa ac lasciua etiam uerba admiscetis & absurdos atque intemperantes amores habentia. hæc cum cernis & audis, & in his assiduè uersaris, quo pacto deinceps exercere temperantiam potes, cum eæ narrationes, ea spectacula, eiusmodi rerum auditus animum detinent? & sola quidem caro sine ullis irritamentis per se uehementes excitat tentationes, ubi uerò plurima preterea fomenta adhibentur, miramur intemperantes esse adolescentes? his uerò succedunt somnia. consueuit enim talia multa imaginari anima, qualia per diem uult & concupiscit. cum ergo ab una parte & res cernis turpes, & uerba audis turpiora, deinde uulnera quidem accipis, remedia uerò non inquiris,

Heb. 12.

ris, quomodo non iure putredo marcedoque augebuntur? quo modo morbus non intendetur? ac multò magis quàm in corporibus nostris. sicut è contrario, facilius, si uelimus, animi quàm corpora curationem admittunt. nam in corporibus, pharmacis, medicis, tempore opus est, hic uerò sufficit uoluisse, ut quis uel bonus uel malus sit. cum ergo ea, quæ lædunt, congerimus, & nullam præterea rationem habemus eorum, quæ utilia sunt, quando erit ulla incolumitatis spes? an non turpe est, ea nos agere, quæ eorum propria sunt, qui ignorant Deum? cum uerò ex eis, qui Deum non nouerant, inueniantur, qui fuerint temperantes, qui pudor est, esse nos illis inferiores? non difficile est, si uelimus, fieri temperantes, si nosmet ab ijs, quæ lędunt ac uitiant animos, abducamus. contra uerò, scortationem effugere facile non est, cum nolumus. quid enim facilius, quàm in foro ambulare? at multis ob mollitiem difficile factum est non mulieribus solum sed uiris etiam. quid facilius quàm dormire? at hoc ipsum etiam nos difficile fecimus. nam multi diuites tota nocte agitantur, dum somni necessitatem non expectant. in summa nihil uolentibus difficile, nihil nolentibus facile est. quare totum in eo est, ut quis aut uelit, aut nolit. quo circa etiam scriptura dicit. [*si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*.] & rursus. [*si nolueritis, gladius deuorabit uos*.] & hæc quidem cum ad iuuenes dicta sint, qui nondum sunt matrimonio copulati, quòd scilicet reprehensione sint digni, si tandiu non contineant, dum uxores ducant, quantò magis sunt ij reprehendendi, qui uxorem habentes, cum qua extinguere carnis incendia ualeant, non ea contenti in alienas etiam insaniunt? ij profectò quò minus habent excusationis, eò maiorem sibi Geennam parant. Sed redeamus ad præceptum. [non committes (inquit) adulterium.] hic meminisse oportet, quid dixerit Dominus, cum suam perfectionem legi addens, dixit, [*audistis, quòd dictum sit antiquis, non committes adulterium. ego autem dico uobis, quòd omnis, qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, committit adulterium in corde suo*.] quibus uerbis admonemur, ut non tantum externum adulterium, sed & omnem penitus adulterij causam ac radicem & affectus omnes, qui huc tendunt, euellamus. sicut enim ira mater est homicidij, sic concupiscentia

Esa. 1.

Matt. 5.

tia adulterij. Hoc autem precepto prohibetur, etiam secundum Hebreos interpretes, concubitus omnis preter legitimum, & omnis genitalium membrorum non licitus usus. quare sæpe apud Paulum reperies scortationis factam esse mentionem. [*hæc est* (inquit) *uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum suum uas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij*.] & alibi. [*fugite scortationem*.] atque hoc crimen ita abominatur, ut nolit ullam nos cum eiusmodi hominibus habere uitę consuetudinem, & ne cibum quidem cum illis capere. & sanè cum omnia peccata offundant animo tenebras, nullum est, quod magis hebetet, atque obtundat aciem mentis, quàm carnis lasciuia, ut totum immutare hominem, atque alium ex alio facere uideatur. cuius rei Dauid testis est locuples. quo quis cordatior? quis magis pius in Deum? quis mansuetior? at ubi turpissimę libidinis ęstu exarsit, excors, crudelis, & totus mutatus à priore Dauid euasit. sic filius eius Salomon, qui adeptus à Deo cor sapiens & intelligens, ut nullus ante eum, teste scriptura, similis ei fuerit, nec post eum consurrecturus, ubi cœpit amare mulieres alienigenas, deprauatum est per eas cor illius, atque ita à Deo auersum, ut sequeretur etiam Deos alienos, & coleret ille nuper omnium sapientissimus, [*Asthartem Deam Sinodiorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Aminonitarum*. Quantum uerò mali lasciuia carnis pariat, & quàm uehementer illam Deus detestetur, irrogatę generi hominum pœnę declarant. non. n. reperias peccatum ullum atrocius in scripturis sacris punitum. quandoquidem diluuij aquis deuoratus fuit orbis terræ propterea, quia [*omnis caro corruperat uiam suam super terram. Sodoma uerò & Gomorra & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram* (ut apostoli Iudæ uerbis utar) *facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*.] horrendum auditu, ut Geennæ incendiu in hac etiam uita repręsentarent. & meritò sanè. dignum enim fuit, ut, qui relicto naturali usu, & in eum commutato, qui præter naturam est, exitium etiam experirentur, qui naturæ antea esset ignotus. ii sunt, de quibus ait apostolus, [*tradidit eos Deus in affectus ignominiosos*] cum enim omnia carnis peccata ignominiam secum habeant, hoc multò est

Marginalia: *Thes.* 4. — 1.*Cor.*6 — 2.*Reg.* 11. — 3.*Reg.* 11. — *ibidem.* — *Gen.* 6. — *Gen.* 19. — *Iud.*1. — *Rom.* 1.

ignominiosissimum, indiciumque hominum, qui uehementer à Deo sint auersi, atque ab eo destituti, ut uitam iam Diabolicam degant, qui & naturam pudefaciunt, & eius leges pessundant. contemplare enim sic. oportebat duos, uxorem dico & uirum

Gen. 2. unum esse. [*erunt* (inquit) *duo in carnem unam*.] faciebat autem hoc appetitio mutuæ consuetudinis, ut duo genera inuicem coniungerentur. hanc appetitionem demoliens Diabolus, diuisit hæc genera ab inuicem, & cum natura esse deberent duo in carnem unam, effecit, ut ex uno duæ partes fierent, contrarium

ibidem. uidelicet Diuinæ legi. nam ea dicit, [*erunt duo in carnem unam*.] Diabolus uerò unum diuisit in duo. & cum scortationes contra leges sint, hoc & legi & naturæ est contrarium, ut, si etiam non esset Geenna, neque æternæ illæ pœnæ intentatæ, hoc qua-

Rom. 1. uis pœna deterius sit. quamobrem dicebat apostolus, eos mercedem quam oportebat, erroris sui in se ipsis accepisse. quòd si interea uoluptatem habent, additamentum pœnæ est. neque enim, si quem cernerem nudum currere, cœno totum corpus perfusum, quem eius rei non puderet, sed sibi potius ob hoc placeret, ac in eo delectaretur, rem ego iucundam ac uoluptuosam iudicarem, sed magis illum ob hoc deflerem, quòd ne ignominiam quidem suam intelligeret. Vt uerò manifestiorem hanc contumeliam faciam, sufferte me, si alia similitudine hoc demonstrem. siquis uirginem condemnasset, ut animalibus ratione carentibus permisceretur, deinde illa hac permixtione delectaretur, nónne ob hanc causam maximè lacrymis esset digna, quòd ab hoc morbo liberari non posset ex eo, quòd ne morbum quidem esse intelligeret? hoc prorsus est manifestum. quòd si illud res molestissima est, hoc nihilo est illo inferius. nam à domesticis contumelia affici, miserabilius est, quàm ab alienis. hos homicidis ego deteriores esse iudico, nam mori præstat, quàm ita uiuere ignominiosè. homicida enim à corpore animam diuellit, hic uerò animam simul cum corpore perdit. & quodcunque peccatum dixeris, nihil huic sceleri æquale reperies. si enim de

1. Cor. 6. scortatione disserens Paulus dixit, [*omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem scortatur, in proprium corpus peccat*,] quid de hac insania furoreque dicamus, qui tantò scortatione deterior est, quantum ne dici quidem potest? neque

enim

enim solum dicendum est, quòd qui hæc patitur, fit mulier, sed quòd perdit etiam esse uirum, & neque in alteram mutatus est naturam, & quam habet non seruauit, sed communis utriusque proditor effectus est, dignusque qui & à uiris & à mulieribus expellatur, ut qui utrunque genus affecerit iniuria. Atque ut discas, quantum hoc sit, si quis accedens polliceretur efficere, ut canis euaderes, nónne ut corruptorem illum caueres? tu uerò ipse te ex homine non canem fecisti, sed rem multò ignominiosiorem. nam canis res usui apta est, hic uerò nulli rei utilis. quid uerò si quis minaretur efficere, ut uiri parerent, nónne repleremur indignatione? nunc uerò rem absurdiorem excogitauerunt, qui hac rabida peste laborant. non enim æquale est, mutari in fœmineam naturam, & uirum manentem fieri mulierem, aut potius neque hoc neque illud. Quòd si aliunde huius mali magnitudinem scire uis, interroga, quàm ob causam legumlatores puniunt eos, qui eunuchos faciunt, nullam ob aliam prorsus, quàm quòd naturam mutilant, quamuis non tantam illi iniuriam naturæ afferunt. inueniuntur enim ita abscissi multis in rebus utiles. at homine, qui scortum sit factus, nihil esse potest inutilius. nam eiusmodi hominum, qui talia sint passi, non anima solum, sed & corpus ignominiosum est, & dignum quòd è locis omnibus expellatur. Quot Geennæ his satis erunt puniendis? quam si derides, ignem illum recordare Sodomorum. uidimus enim in hac ipsa etiam uita Geennæ imaginem. quia enim futurum erat, ut multi fidem non haberent ijs, quæ post resurrectionem euentura sunt, dum nunc audiunt inextinctum illum ignem esse, rerum præsentium exemplo erudire illos uoluit Deus. tale itaque est Sodomorum incendium, cuius rei testes sunt, qui illuc accesserunt, & intuiti sunt plagam illam Diuinitus illatam, & opus fulminum è cœlo demissorum. contemplare quàm ingens hoc peccatum sit, ut opus fuerit ante tempus Geennam apparere. quia enim multi uerba contemnebant, factis ipsis Deus illius imaginem peregrino modo uoluit declarare. etenim miraculi plena fuit illa pluuia, ac præter naturæ morem, quandoquidem etiam contra naturam est ista permixtio, iccirco & contrario modo se habuit pluuia illa, quàm quæ deferri consueuit. non enim solum non excitauit

citauit uterum terræ ad fructuum generationem, uerum etiam ad feminum fuſceptionem inutilem reddidit. talis enim erat illa terræ Sodomorum permixtio, tale corpus inutilius reddens. quid enim uiro, qui ſcortum factus ſit ac muliebria paſſus, ſceleſtius eſſe atque inutilius poteſt? ò furorem ò ſtuporem. unde introducta eſt tam abſurda appetitio? ò nos etiam ratione carentibus animantibus inſipientiores, & canibus impudentiores. nuſquam enim apud ea talis inuenitur permixtio, ſed natura ſuos terminos agnoſcit. nos uerò noſtrum genus facimus magis inhonorum ijs, quæ ratione carent, per hanc contumeliam. unde ergo hæc orta ſunt mala? ex delicijs, ex eo quòd ignoratur

Gal. 4. Deus, nam hanc cauſam aſſeruit eſſe apoſtolus. ſed hactenus

1.*The*.4 iſta. nunc quod reſtat, perſequamur. Certè ſi non aliud, deberent à ſcortationibus & ſtupris ingentia mala prohibere, quæ conſequuntur. nam ut omittamus externas hiſtorias, & quæ à poëtis etiam fuerunt decantata, multa in ſcripturis ſanctis exempla ſunt, quæ deterrere quemlibet ab his ſceleribus poſſent.

Gen.34. ob filiam Iacob ſtupratam, omnes unius oppidi uiri fuerunt interfecti à filijs Iacob, qui etiam in ultionem ſtupri, oues eorum, & armenta, & aſinos cunctaque rapientes, quæ in domibus & agris erant, paruulos quoque eorum & uxores duxere captiuas.

Iud. 19. in libro quoque iudicum legitur, ob uiolatam unius Leuitæ uxo

20. rem, unam tribum totam ferè deletam. Dauid grauiſſimè ob

2.*Reg*. adulterium punitus eſt in liberis & uxoribus. nam & infantem

2.*Reg*. amiſit, & uidere coactus eſt Abſalonem filium decem concubi

16. nas ipſius uiolantem, & à regno eum eijcere atque occidere mo

2. *Reg*. lientem. quod Deus per Nathan fuerat illi interminatus. Abi

12. melech uerò nondum patrato adulterio, ſed ob id duntaxat,

Gen.26. quòd Abrahæ uxorem concupierat, Diuinam ſenſit ultionem. multa alia aſſerre exempla poſſem, quæ breuitatis gratia prætereo. Verum, ut tanto ac tam latè fuſo malo occurramus, remedia aliqua adhibenda ſunt. atque in primis. [ocia fugiantur, & immodici (ut quidam poëta dixit) ſub nullo iudice ſomni,] hæc enim

Eze. 16. eneruant animos, atque ad laſciuiam trahunt. quod Ezechiel declarat cum ait. [*hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & ocium*.] & quidam ſapiens,

Eccl.33. [*multam* (inquit) *malitiam docuit ocioſitas*.] cui cum crapulæ & ebrietates

ebrietates coniunctæ sunt, animus in omnes sordes se dat. nam *Rom.13.*
comessationum & ebrietatum comites sunt cubilia & impudicitiæ. regendi sunt sensus, neque passim uagandi permittenda illis licentia est. [*uirginem ne conspicias* (ait quidam sapiens) *ne forte offendaris in decore illius. auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hac, concupiscentia quasi ignis exarsit.*] cauenda est mulierum consuetudo, atque colloquium. nam [*de uestimentis* (ait idem sapiens) *procedit tinea, & à muliere iniquitas uiri.*] & Salomon. [*nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut uestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.*] abstinendum item est à lasciuis colloquijs. nam [*mores bonos colloquia corrumpunt mala.*] assuescendum potius probis honestisque sermonibus: uitiosorum hominum uitanda commercia; abeunt enim studia in mores, & ad eorum consuetudinem, quibus cum uersamur, formari solemus. [*cum sancto* (inquit) *sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*] sed inter cætera, quæ unumquenque continere in officio possunt, duo in primis sunt: si uidelicet cogitetur, & qui huius scenę finis sit, & naturæ nostræ dignitas. si enim quis ex animo in eam cogitationem ueniat, esse omnino moriendum, & standum ante tribunal Christi, [*ut referat unusquisque prout gessit in corpore siue bonum siue malum,*] non multo negocio quælibet uoluptatum incendia extinguentur. nam si significatum tibi esset, paucos post dies ante regem aliquem te sistendum, ubi de uita agendum esset, profectò toto illo dierum, qui intercederent, spatio ita illi curæ affixus esses, ut non magnopere carnis irritamenta te diuexarent. nam ubi amittendæ uitę metus est, scortatio locum non habet. si enim ingenti mulieris alicuius amore tenereris, sed certò scires, te, si eam adires, esse interficiendum; abstineres proculdubio. quòd si ubi corporeæ duntaxat mortis periculum est, ita abstinent homines, quid non facerent, si ante oculos haberent, ueniendum sibi in illius manus, qui posteą quàm occiderit, habet potestatem mittendi in Geennam? iccirco dicebat Paulus, [*horrendum est incidere in manus Dei uiuentis.*] Deinde si addatur, quantam naturæ nostræ Deus attulerit dignitatem,

Eccle. 9. *ibidem.* *Eccl. 42.* *Pro. 6.* *1.Cor.15* *Psal. 17.* *2.Cor.5.* *Mat.10.* *Luc. 12.* *Heb. 10.*

tatem. hoc ingentem habet uim ad seruandos homines temperantes. qua consideratione usus fuit Paulus, cum ad Corinthios
1.Cor.6. scribens, illos, à scortatione deterrebat. [*nescitis* (inquit) *quòd corpora uestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam meretricis membra?*] quis non ad hæc uerba exhorrescat? corpora nostra membra illius facta sunt, qui in cœlo ad dexteram Dei sedet, & hæc membra audet quis coniungere meretrici, atque adeo efficere membra meretricis? neque enim dixit, tol-
ibidem. lens membra Christi adiungam meretrici, sed [*efficiam membra meretricis.*] & causam mox addit, [*an nescitis, quòd qui adhæret*
Gen.2. *meretrici, unum corpus est?*] unde hoc liquet? [*erunt enim* (in-
1.Cor.6. quit) *duo in carnem unam.*] atque hoc uitium quàm uehementer
ibidem. hominem sordidet, docens addit. [*omne peccatum, quòd fecerit homo, extra corpus est, qui autem scortatur, in proprium corpus peccat.*] nam & homicida quidem manum maculat, & auarus & rapax. in scortatione autem totum corpus sordidum fit. tanquam enim in lebetem impurum incidens, sic totum inficitur & sordidatur. cuius rei indicium est, quòd ab auaritia & rapina, non ingreditur quis balneum, ut ab illa macula lauetur. at ubi scorto permixtus est, tanquam totus impurus factus, quærit lauari. neque satis fuit Paulo dicere, corpora nostra membra esse Chri-
ibidem. sti, sed addidit, [*an nescitis quòd corpora uestra templum sunt spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis uestri?*] iam non licet (inquit) facere quod uis tuo arbitrio, non es tui ipsius dominus. nam pretio (inquit) empti estis, glorificate Deum in corpore uestro & in spiritu uestro quę sunt Dei. quibus uerbis admonet nos, omnia esse Domini, & animam, & corpus, & spiritum. membra Christi estis, inquit, templum estis spiritus, ne igitur efficiamini meretricis membra. non. n. corpus uestrum contumelia afficitur. non enim corpus uestrum est, sed Christi. quod si alienum est corpus, non habetis potestatem alieno corpori contumeliam afferre, præsertim cum Domini sit, neque templum sancti spiritus uiolare. si enim quis priuatam domum ingrederetur, atque intemperanter in ea quispiam ageret, dignus supplicio esset, is, qui templum regis, latronum facit diuersorium, cogita quas daturus sit pœnas. Hæc itaque intelligens, reuerere tantum habitatorem. paracletus hic est, reuerere eum, qui ubi coniunctus est,

est, nempe Christum. sic enim cogita, & temperans uiues. cuius eras membrum? & cuius factus es? meretricis prius eras membrum, & Christus proprii corporis membrum effecit. non ergo eius posthac habes potestatem. illi seruias, qui te in libertatem uindicauit. neque enim, si filiam habens, tua insania illam prostituisses, & scortari iussisses, deinde regis filius eam prospectans liberauisset à seruitute illa, sibique copulauisset, iam posses illam ad meretricandi officium reuocare. in eundem modum res nostræ se habent. mercenariam Diabolo, carnem nostram feceramus, lenoni pessimo, hanc intuens Christus eripuit, atque ab illius scortationis tyrannide liberauit. non ergo iam nostra est, sed liberatoris. si ea tanquam regis sponsa uti uis, nemo prohibet, si uerò ad priora reuocare uelis, eadem patieris, quæ talia audentes, pati consentaneum est. iccirco ornare potius eam oportet, non afficere contumelia. neque enim potestatem habes carnis ad intemperantes concupiscentias, sed ad ea tantum quæ Deus præcipit. contemplare uerò à quanta illam contumelia Deus liberauerit. nam turpius quauis meretrice antea se habebat natura nostra. cædes enim & latrocinia, & praua cogitata omnia ad illam ingressa cum anima permiscebantur, praua mercede, nempe præsentis uitæ uoluptate. sed hoc cum antea graue esset, non tam erat graue neque ita probrosum. nunc uerò post cœlum, post regnum, postea quàm frui contigit mysterijs cœlestibus, rursus sordidari, quam ueniam habebit? corpora, quæ membra Christi facta erant, scorta fieri Diaboli? neque uerò censendum est, Diabolum auaris, rapacibus, & eiusmodi hominibus abuti tanquam scortis, mulieribus uerò, quæ impudicè & lasciuè, & intemperanter ornantur, eodem modo non abuti. nam si quis animam purgatam ab hoc uitio habeat, intelliget malum illum Dæmonem iis mulieribus permisceri. difficile enim est, aut potius non possibile, corpore his ornamentis utente, animam simul ornari, sed alterum negligi necesse est, cum alterius cura habetur. non enim natura patitur, ut utraq; simul fiant, iccirco ait. [*qui adhæret meretrici, unum corpus fit, qui autem adhæret Domino, unus spiritus est,*] atque hoc pacto glorificatur Deus, quemadmodum in precatione præcipitur nobis esse dicendum. [*sanctificetur nomen tuum.*] & Christus ait. [*Luceat* *1. Cor. 6.* *Mat. 6.*

lux

Luc. 11. *lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glori-*
Matt. 5. *ficent patrem uestrum, qui in cœlis est.*] in hunc modum & cœli glorificant eum, non uocem emittentes, sed dum aspicientibus pariunt admirationem, & gloria ad artificem refertur, sic & nos illum glorificabimus, atque adeo plus illis etiam, si uelimus, non enim ita cœlum & dies & nox, ut sancta anima Deum glorificat. sicut enim quis cœli pulchritudinem intuens dicit, tibi gloria Deus, quale opus creasti, ita sanè & qui uiri uirtutem aspicit. & multò hic amplius. nam conspecto cœlo non omnes glorificant Deum, sed multi putarunt ea, quæ sunt, à casu ac fortuitò esse. alij uerò Dæmonibus fabricam mundi ascripserunt. at in uirtute prædito homine non hoc usu ueniet, sed prorsus glorificabit Deum, qui hominem uiderit cum uirtute uiuentem. quis enim non obstupescat cernens eum, qui homo sit, & communis naturæ particeps, atque in medijs uersetur hominibus, tanquam adamantem non flecti ad ingruentium afflictionum examen? cum inter ignem, ferrum, feras, adamante est fortior, superatque omnia ob pietatem? cum affectus contumeliis bene precatur, malè audiens alios laudat, iniuria affectus pro lædentibus precatur, cum insidias patiens, etiam benignè facit insidiatoribus? hæc & eius generis alia multò magis, quàm ipsi cœli glorificant Deum. cum enim ethnici cœlum intuentur, non afficiuntur pudore, at ubi uirum cernunt, qui exactam præ se philosophiam ferat, deiiciuntur, seque ipsos reprehendunt, cum enim is, qui eiusdem cum ipsis naturæ est, tanto illis est præstantior, quantum cœlum terram superat, & multò etiam magis, etiam inuiti intelligunt, Diuinam uirtutem ista efficere. Hæc itaque
1.Cor.6. contemplantes, demus operam, ut glorificetur Deus in nobis. meminerimus nos esse membra Christi, & spiritus sancti templum esse corpora nostra, curemus ne hoc templum uel scortationibus uel iniquis ullis aliis factis uioletur, sed in eis agamus, quæ in templis Deo dicatis fieri debent. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO TRIGESIMASEXTA.

De furto.

NON facies furtum.] Poſt prohibita illa, quæ iniuriam & offenſionem præbere proximo poſſunt, ut ſunt homicidium & adulterium rectè prohibentur etiam ea, quæ damnum rerum faciunt, ſine quibus uiuere non poſſumus. ut eſt furtum, quo nomine quælibet iniuſta ereptio atque detentio comprehenditur. quemadmodum adulterij appellatione intelligitur illicitus quilibet abuſus membrorum genitalium, aut intemperantes quilibet actus ad laſciuiam prouocantes. cum ergo furti appellatio latius pateat ac fundatur, dicendum de eo eſt accuratius. quod cum fiet, inueniemus homines ſæpè furti crimen incidere, neque illud intelligere. Et ea quidem furta, quæ uulgus etiam agnoſcit, ut cum quis furtim aliquid ſurripit, à quo hoc uitium nomen accepit, notiora ſunt, quàm ut de ijs loqui ſit neceſſarium. at ij, qui non furtim ſed aperta ui aliena diripiunt, ut ſunt prædones ac piratæ, multò ſunt ſceleratiores, & in hoc præceptum eò grauius peccant, quò grauiora mala pariunt, quàm ij, qui furtim ſubducere aliena conſueuerunt, qui interdum ne peccant quidem, cum non furandi animo, ſed ſumma coacti neceſsitate, nec habentes unde alia uia parare ſibi uictum poſsint, inuiti potius furantur quàm libentes. neque uerò tantum prædones illi & piratæ ac latrones peccant, ſed principes etiam & magiſtratus, qui hoſce milites, ſiue equites, uiarum obſeſſores, ac rapinam agentes, quos ciuilis lex latrones appellat, per conniuentiam ferunt. audiant enim, quid de ijs dicat Eſaias, [*principes tui infideles, ſocij furum.*] qui principes in *Eſa.1.* hoc item pręceptum peccant, cum iniqua uectigalia imponunt, quæ iniqua deprehenduntur uel ex forma, uel ex fine, uel ex abuſu, uel ex materia. quę breuiter declaranda ſunt. & ex forma qui-

dem iniusta uectigalia sunt. quæ æqualitatem pro portione non continent, sed plus eos grauant, qui minus sint grauandi. sicut enim communes honores æquabili proportione sunt distribuendi, ut qui magis digni sunt, magis honorentur, & qui minus, inferiorem gradum habeant, idem in communibus oneribus est faciendum, ut pro rata parte à quolibet tolerentur. iccirco iniusta ex forma sunt uectigalia, quæ plus eos grauant, qui minus essent grauandi. & ea manifestè uidentur iniusta, quæ pro ijs exiguntur, quæ uehuntur ad usum proprium. nam radix utendi est indigentia, & qui magis indiget, magis utitur. qui enim plures habet filios, plus indiget, atque ideo plus utitur. quo fit, ut magis utens uectigali, plura soluat uectigalia, atque ideo plus grauetur, quod iniquum est. non deberent ergo ij, qui uectigalia exigunt, quicquam exigere pro iis, quæ in proprios usus feruntur. nam eiusmodi uectigalia iniqua sunt. quin secundum ciuiles leges pœna capitis plectendi sunt, qui exigunt, non solum pro ijs, quæ utendi gratia deferuntur, uerum etiam quæ pro seminibus, & quæ ad fiscum afferuntur. Ex fine etiam iniqua sunt uectigalia, quę non ob publicam utilitatem, sed ob proprium principis commodum imponuntur. neque obligantur subiecti ad eiusmodi soluendá uectigaliá, quia non ciuilia sunt, sed tyrannidem sapiunt. ex abusu quoque iniusta sunt, cum initio ritè imposita quidem sunt, exempli gratia, pro mœnibus urbis construendis, uerum extructis illis adhuc perseuerat eorundem exactio, ita uolente principe. nam uiolentæ rapinę apertè sunt, neque tenentur subiecti illa soluere. neque etiam tunc obligant, cum imponuntur pro aliqua re facienda, ut pro ponte construendo, neque tamen res illa fit. breuiter si id, pro quo imposita uectigalia sunt, non fiat, iniusta sunt ex abusu, & fraudes ac rapinæ sunt. existimantur quoque ex ciuili iure iniqua uectigalia ex materia, quæcunque imponuntur super alijs, quàm super iis, quæ causa negociationis uehuntur. reliqua quæ pro usu quisque suo ac familiæ suæ uehit, eximi à legitimis uectigalibus debent. Sed non minus plerunque periculum salutis imminet ministris uectigalium, quàm ipsis principibus, atque auctoribus eorum. qui enim recipiunt prouinciam exigendorum uectigalium, quæ iniqua sunt, uel ex auctore, qui legitimam non habeat

beat auctoritatem, uel ex forma, fine, materia, abusu, de quibus iam dictum est, ij eodem crimine inuoluuntur. sin ambiguum est, iustá ne an iniqua sint, ne tum quidem excusantur, si peccant, cum sponte obiicere se periculo nemo debeat. interea meminerint, pontificijs legibus excommunicatione feriri eos, qui prohibita exigunt uectigalia. quæ censura etiam eos tangit, qui a clericis & ecclesiasticis personis pro se aut rebus suis, quas non negociandi causa deferunt, exigere audent. tot autem incidunt causæ, quibus iniusta fiunt uectigalia & eorum exactiones, ut non iniuria, tam ciuili quàm canonico iurę generatim sint damnatę. nam ferè limites negociationis transiliunt, & propter immodicum grauamen, & ob nouitatem, cum noua imponuntur, uel augentur antiqua sine legitima auctoritate, & ob iniustam causam uel in principio uel in prosequendo. etenim tam multę conditiones exiguntur ad iusta uectigalia, ut difficile sit inuenire uectigalia iusta. exigitur enim ad iustitiam uectigalium, primo legitima auctoritas imponentis. secundo iusta causa, quę est sola publici boni consideratio. tertio iusta forma, ut & non uioletur distributiua iustitia, & non sit immodicum grauamen. quarto iusta materia, quę solum complectitur res negociatorias. quinto iustus usus, ut scilicet fiat illud publicum bonum, pro quo imposita sunt. demum ut quę ad tempus sunt, non prorogentur ultra prçfixum tempus. Verum ut ad principes reuertamur, uiderint ij, qua tandem ratione uectigalia ac tributa accipiant. nam ipsis, non ut quibuslibet, sed ut Dei ministris (quemadmodum ait Paulus) & uindicibus in iram ijs, qui malè agunt, & in hoc ipsum seruientibus, ut pax & tranquillitas publica seruetur, tributa prçstamus. quare sequitur, ut hoc prçceptum transgrediantur, dum subditos illicitis exactionibus expilant, dum iniquas leges condunt, dum iniusta bella tractant, dum subditos emenuto aliquo honestatis titulo diripiunt, dum iudicium ac iustitiam diuendunt. Iustæ quidem causę imponendi uectigalia inter cęteras sunt, iustitiæ defensio, tranquillitatis publicæ uindicatio, à ui & insidijs prædonum defensio prouinciæ, purgatio uiarum publicarum, pontium fluminibus malè uadosis transmissorum exstructio ac refectio. at iusta causa non est, si ad crapulam, ad comessationes, ad uolupta- *Rom.13.*

tes, ad luxum, ad spectacula, & id genus uanitates, uel parandas, uel augendas imponantur. neque enim instituti sunt principes, ut subiectos deuorent, sed ut alant, & pastores ac patres sint, eos uerò qui non id præstant, scripturę sacræ grauissimè
Ezr. 22. insectantur. audi enim quid Ezechiel dicat. [*principes eius in me-*
Ier. 6. *dio illius, quasi lupi rapientes prædam.*] & Ieremias, [*omnes isti*
Esa. 10. *principes declinantes, ambulantes fraudulenter.*] item Esaias. [*uæ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent causæ humilium, ut essent uiduæ præda illorum, & pupillos diriperent.*] de eisdem
Iob. 24. quoque Iob eleganter scribit. [*asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bouem uiduæ, & oppresserunt pariter mansuetos terræ, uigilantes ad prædam præparant panem liberis, agrum non suum demetunt, & uineam eius, quem ui oppresserunt, uindemiant, nudos dimittunt homines uestimenta tollentes, quibus non est in frigore operimentum, quos imbres montium rigant, non habentes uelamen amplexantur lapides. uim fecerunt deprædantes pupillos, & uulgum pauperum dispoliauerunt. esurientibus tulerunt spicas, de ciuitatibus fecerunt uiros gemere, & anima uulneratorum clamauit.*] Hæc in principes ac magistratus non quoslibet, sed malos & improbos & rapaces, ac tyrannica utentes uiolentia sint dicta, non in eos, qui ex iusta causa tributa exigunt, quibus tamen danda opera est, ne hoc sępe fiat. nam tenuitati ærarij frugalitate potius, quàm uiolentis & insolitis exactionibus prouidetur. Pręuaricantur quoque hoc præceptum ij iudices, qui ea, quæ gratis præstanda sunt, diuendunt, uel ob pretium peruertunt iudi-
Exo. 22. cia. quare in Mosis lege sic scribitur. [*non accipias munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt uerba iustorum.*] & rursum.
Deu. 16. [*non accipias personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant res iustas.*] iustè quod iustum est exequeris. quod tum faciunt iudices, cum ad defensionem iustitiæ, uirtutis æmulatione, non amore temporarij pręmij excitantur. ob
Exo. 18. hanc causam Iethro socer Mosis dixit eligendos esse iudices, in quibus esset sapientia, timor Dei, & ueritas. & qui oderint auaritiam. & prophetæ ubique iudicum cupiditatem detestantur.
Esa. 1. [*omnes* (ait Esaias) *diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad eos.*] & Michæas.
[*nun-*

[*nunquid non ueſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui uiolenter tollitis pelles eorum, & carnem eorum de oſſibus eorum. qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt.*] ſic Sophonias. [*iudices eius lupi ueſpere, nil relinquebant in mane.*] quę omnia prophetarum uerba arguunt ſceleratisſimum eſſe rapinæ genus & perniciosiſsimum latrocinium, cum iudices ſunt iniqui. ſed quem poſterius citauimus, pulchra metaphora taxat inſignem eiuſmodi hominum auaritiam. non lupi (inquit) fame accenſi tam acerbè prædę inhiant, cum etiam totum diem ieiunum duxerint, & ueſpere ad rapiendum ſeſe proripiunt, quantum iudices in hoc incumbunt, ut pecuniam per fas & nefas extorqueant. & profectò ij ſunt ciuitatum peſtes maximæ, qui ut ſemper habeant, unde emulgeant, pro eo ut lites componant, excogitant potius earum ſuſcitandarum infinitas occaſiones. ut manifeſtè ſua malitia apertorum furum longo interuallo peccatum ſuperent. nam diuites, pauperes, pupillos, uiduas, omne hominum genus ſine ulla miſericordia expilant, quod in furibus paſſim non facile reperias. inter hos ſunt aduocati & cauſidici, qui eadem & una uia ingrediuntur. cuius criminis participes ſunt principes ac magiſtratus, qui ad iſta conniuent, ac fieri patiuntur. quæ ſcelera quantum Deus oderit, audi quid in Exodo dicatur. [*uiduæ & pupillo non nocebitis. ſi læſeritis eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque uos gladio, & erunt uxores ueſtræ uiduæ, & filij ueſtri pupilli.*] neque minus huic peccato obnoxij ſunt eccleſiaſtici præſules, qui indignos accepta pecunia ad eccleſiarum gubernacula admouent, & furto addunt ſacrilegium. an non furari eſt, uendere ea, quæ gratis fuerant danda? inter fures etiam numerantur, qui reipublicæ ſeruientes, ſuis commodis potius inſeruiunt, & quicquid poſſunt è publica re in priuatas facultates conuertunt. Vſurarios uerò fures eſſe ſatis apertum eſt, quos & leges abominantur, & Euangelium damnat, ut qui iniuſtè pro mutuo data pecunia quicquam ultra ſortem accipiant. quare iubebat Dominus, ut mutuum darent, nihil inde ſperantes. Sunt uerò quædam furtorum genera, quæ minus intelliguntur, & ob eam cauſam facilius in ea homines incidunt. ut ſunt, qui merce-

Mich. 3.
Soph. 3.
Exo. 22.
Luc. 6.

mercenarios debita mercede fraudant, dum uel differunt mercedem uel non dant. quod peccatum tam ingens est, ut Salo-
Eccl. 34. mon illud æquet homicidio. sic enim ait. [*qui effundit sanguinem, & fraudem facit mercenario, fratres sunt.*] quod à uobis interdum fieri audio. nam superioribus diebus conductæ fuerunt duæ mulieres, summa inopia laborantes, à quodam uestrum, & non solum debitam pecuniam, sed ne panem quidem habuerunt, quo in illo opere uescerentur. hęc cum audio, disrumpuntur mihi uiscera. hoccine est, non dico hominis Christiani, sed omnino hominis? miserrimos homines, qui gratis alendi essent, etiam debita fraudare mercede, idque tam crudeliter, ut ne panem quidem interea dent, dum pro illis defatigantur? O uiscera crudelia. sola ipsa cogitatio me apud me esse non finit. apud quos barbaros tam impia facta reperias? quid expectatis dum hæc ad me perferantur? cur non uos facto agmine tam monstrosam pestem à finibus uestris relegatis? censetis hæc Deum non cernere, & non esse ulturum? audite quid beatus
Iac. 5. Iacobus dicat. [*ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat, & clamores eorum, qui messuerunt, in aures Domini Sabbaoth introierunt.*] quare
Leu. 19. in lege scriptum est, [*non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane.*] uicissim uerò peccat operarius, qui aut non præstat, quod pollicitus est, aut infidè præstat. si enim mercedem integram pro non integro opere accipit, fur est. sic qui monetam publicam adulterant, & qui falsas monetas pro bonis dant, fures sunt. item impostores, qui fucata, ueluti fictitias gemmas pro ueris ac natiuis diuendunt. caupones quoque, qui lympha-
Esa. 1. tum uinum uendunt, quos reprehendens Esaias ait. [*caupones tui miscent aquam uino.*] sic institores, qui iniquo pondere & fallaci mensura emptorem circumueniunt, furibus sunt peiores.
Deu. 25. quibus lex pręcipit. [*non habebis in sacculo diuersa pondera maius*
Leu. 19. *& minus.*] & rursum. [*nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, & mensura.*] præterea qui calumniam faciunt pauperi, id quod crebro fit fraudulentis litibus, aut alijs etiam dolosis commentis, quibus illi hoc agunt ac contendunt, ut egeni ius uel euertant, uel saltem impediant, hi huius præcepti cen-
Eze. 22. suram non euadunt. contra quos per Ezechielem Dominus ait,

[*populi*

populi terræ calumniantur calumniam, egenum & pauperem afflixerunt, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio, & effudi super eos indignationem meam.] & ij quidem putant, se inde fieri ditiores, sed audiant quid dicat sapiens. [*qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias, dabit ipse ditiori & egebit.*] In mercibus quoque furta multa fiunt, cum mercatores eas uendunt, non quanti debent, sed quanti possunt, præsertim qui differunt frumenta uendenda, dum carissima annona sit. quos pulchrè Amos propheta describens ait. [*audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando transibit mensis, & uenundabimus merces. & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, & possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti uendemus?*] quod quàm uehementer Deus oderit, uide quid addat. [*iurauit Dominus per magnificentiam Iacob, si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum. nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius?*] denique fures sunt, quicunq; rem alienam uel subtrahunt, uel uitiant. Et hęc quidem si in rebus prophanis ita se habent, quantò magis in censibus ecclesiasticis, quorum clerici & sacerdotes cum dispensatores non domini esse deberent, sunt potius dissipatores? qui census ecclesiasticos accipiunt, nec ea præstare conantur, ob quæ illi sunt instituti, aut qui sacerdotij census accipiunt, cum abhorreant à sacris, aut etiam ecclesiæ patrimonium cum scortis & potatoribus decoquunt, & pauperes negligunt. hi proculdubio non fures simpliciter, sed sacrilegi fures sunt uocandi. Opinor uerò mulieres arbitrari nihil inueniendum esse, quod in hoc præcepto illis obijciam, sed falluntur uehementer, nam duobus præcipuè modis furti eas arguam, eiusque maximè detestandi. Primum enim instrumenta sunt, quibus Diabolus hominum animas deprędatur, tam multis mulierum illecebris atque artibus, ut in id unum incumbere uideantur. Deinde dum infinitam pecuniam in uestes & uarium ornatum, suumque muliebrem mundum insumunt, qua pecunia ali possent pauperes, nonne furari ea, quæ ad Christum & eius fratres pertineat, meritò sunt dicendæ? quę duo furti genera execranda plus cæteris mihi sanè uidentur. atque

Pro. 22.

Amo. 8.

ibidem.

que hoc magis dolendum est, quòd tantum scelus & tanta in Christum iniuria tam parui æstimatur, quæ res ad peccati etiam incrementum ac perseuerantiam facit, dum mali magnitudo non intelligitur. quare obsecro, ut ad cor tandem aliquando redeatis, & uestræ saluti accuratius, quàm hactenus factum sit, consulatis. Et hæc quidem de furto dicta sint satis. sed meminerimus interea non satis esse ijs, qui regnum cœlorum assequi uolunt, non furari, sed oportere præterea, ut liberalitatem exerceant. audi enim quid dicat Paulus. [*qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*] sic Dominus cum Euangelicam legem ferret, admonuit, ut omni petenti nos demus. & uolentem à nobis mutuum petere, ne auersemur, ut liberales in pauperes simus & ex ijs, quæ suppetunt, demus eleemosynam. cuius uis tanta est, ut Seruator Christus testetur, se in extremo illo iudicio ijs, qui misericordiæ opera in proximum quenque exercuerint, regnum cœlorum redditurum. Quæ cum ita sint, danda sedulò opera est, ut non solum alienis rebus non insidiemur, sed potius nostra largius impertiamur, & misericordes simus, ut & nos misericordiam consequamur. Iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

Ephe. 4.

ORATIO XXXVII.
De falso testimonio.

NON loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.] Post præcepta, quæ ad personas ac res conseruandas pertinent, hoc additur præceptum, quod in quotidiana consuetudine est maximè necessarium. quæ enim esset hominum uita, si desit in mutuis congressibus ueritas? iubet ergo, ut ne uerbo quidem lædamus proximum, ne loquamur contra proximum nostrum falsum testimonium. quibus uerbis prohibetur omne mendacij genus, & fraudis & damni. quod per linguam manare in proximum possit, quod & in superioribus pręceptis est factum, ut à parte totum intelligeretur, ueluti cum idololatriæ nomine, non tantum illa crassa atque exterior, sed interna etiam uenit, & periurij nomine omnis illicita nominis Dei usurpatio, & de reliquis præceptis eadem est ratio. Diuina enim lex unum quippiam insigne pro exemplo ponit, ut cętera illi coniuncta, & causas atq; occasiones, quibus ad illud eatur, prohiberi intelligamus. rectè uerò hoc præceptum proximè superiori connectitur, cum mendacium sit furtum quoddam spirituale, quod sæpe externo atque (ut sic dicam) corporeo furto est perniciosius. experimur enim quotidie penè, quàm ingentia mala oriantur ex eo, quòd ueritatem homines occultant, & [*labia dolosa,*] ut ait psaltes [*in corde & corde*] hoc est, duplici corde loquuntur, à quibus idem propheta summopere cupit liberari, cum ait. [*Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa.*] quę etiam quantam uim habeat ad malignè agendum, non recusauit declarare, nam adiecit. [*quid detur tibi, aut quid apponatur tibi à lingua dolosa? sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum.*] hoc est, quantum censes nocere linguam fraudulentam? profectò quantum illæ sagittæ, quas iaculatur fortissimus quisque uir arcu, easque acutas, quarum

Psal. 11.

Ps. 119.

ibidem.

rum acies inter uolandum tantum concipiat ardoris, quantum habere solent carbones iuniperorum, quos ferunt uehementius urere, & ignem retinere diutius fauilla tectum. Salomon quo-
Pro. 6. que inter septem illa, quæ odit Dominus, collocat linguam mendacem, & proferentem mendacia testem fallacem. quod si obserues, ab eiusmodi fallacibus mendacijs, proficiscitur & illud,
ibidem. quod eodem loco dicitur, Deum abominari, eum uidelicet, [*qui seminat inter fratres discordias.*] nam reperias eiusmodi discordiarum semina oriri ab hominibus ijs, qui malitiosis commentis & fallacibus dicendi artibus utuntur, & decipiunt eos, qui illorum malitias non intelligunt. & sanè frequentissimus est in mortalium uita huius mali usus, & tam pauci sunt, qui syncerè
Ps. 115. inter alios uersentur, ut rectè dictum sit à propheta. [*omnis homo mendax.*] simulationes enim illæ ac dissimulationes, nihil sunt aliud, quàm mendacia. quæ pulchrè describens Salomon
Pro. 26. aiebat. [*quemadmodum si argento ex scoria ornare uelis uas fictile, sic labia blandientia cum pessimo corde sociata.*] quod genus hominum cauendum esse docens addit. [*labijs suis non agnoscitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. cum sumpserit uocem suam, ne credas ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*] quæ res tam uitiosa est, ut penè laudare cogar, quod quidam externus dixit, satius esse uidelicet aperte odisse, quàm fronte occultare sententiam. quàm enim molesta res est, oportere eum, qui cum uersere, semper habere suspectum? an non præstat in solitudine atque inter feras uersari, quàm cum hominibus eiuscemodi? hi generis humani hostes sunt, & deteriores leonibus ac immitibus feris, quæ cum apertè præ se feritatem ferant, caueri facilius possunt. at hi dum aliud uultu ostendunt, aliud corde atque animo machinantur, in fraudem imprudentes tra-
Psal. 27. hunt, [*dum loquuntur pacem* (ut ait psaltes) *cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*] hi uerò mendaces uocari possunt, si etiam ita uerba moderentur, ut nullum mendacium protulisse uideantur. nam mentiri facto deterius est, quàm uerbis. neque hoc à scripturarum sacrarum consuetudine est alienum. le-
Aba. 3. gimus enim. [*mentietur opus oliuæ.*] cum scilicet expectatum fructum non feret. hoc enim est facto mentiri. sic mentiuntur mulieres, cum fuco genas pingunt. atque id, quod non

sunt,

sunt, uideri uolunt. quod quàm imprudenter ac parum piè, aut impie potius faciant, attendite obsecro. Dicite enim mihi mulieres, nescitis factorem uestrum esse Deum? nónne præterea sæpe à me audistis, Deum maiore charitate uos prosequi, quàm uestri ipsi genitores? quod si ita est, cum intelligatis, Deum & sapientissimum esse & uestri amantissimum, cur eius facta audetis corrigere? quod semper uestro cum damno fiat necesse est, dum stultitiam uestram illius sapientiæ anteponitis, & tantæ illius erga uos charitati fidere recusatis. Videte uerò absurdas rationes, quas adhibetis. uirgo, quæ nondum nupsit, pingere se genas dicit, ut uirum inueniat, nupta uerò ut placeat uiro. O desipientiam, existimatis uiros tam stolidos esse, ut non intelligant, qui natiuus sit in facie mulieris color, & qui arte additus? sed fingamus eos interdum falli posse. non est faciei color, qui gratiosam reddat mulierem, sed morum probitas atque integritas, uitæ castitas, & interioris magis, quàm exterioris hominis compositio. hæc si adsint, nunquam deerunt quibus placeatis, sin desint, nulli fuci, nulla pigmenta idonea erunt ad stabilem amorem conciliandum. quin & illud mali sequitur in ultionem uestræ erga Deum infidelitatis. dum enim neglecta Dei cura, plus nimio corporeæ huic formæ studetis, fit, ut eam breui tempore amittatis, dum natiuus color pigmentis illis corrumpitur, atque ita dignam erroris uestri mercedem recipitis. sed, ut reuertamur ad mendacium, facta quælibet simulatione obtecta, mendacia sunt. quæ omnia à minimè generoso animo proficisci, consueuerunt & uano. nam & hoc uitium uanitas appellatur, & mendaces uani, non solum in scripturis sacris sæpe, ut illud. [*uani filij hominum, mendaces filij hominum*.] uerum *Psal.61.* etiam apud externos, ut illud poëtæ. [Vane Ligur.] hoc est, mendax. hi non expectent intromitti in tabernaculum Domini, qui interrogatus à propheta, quis esset habitaturus in eo, respondit. [*qui loquitur ueritatem in corde suo, qui non egit dolum in* *Psal.14.* *lingua sua*.] sed seuerissimæ minæ illis intentantur ab eodem propheta, cum ait. [*perdes omnes qui loquuntur mendacium*.] *Psal.5.* nam etsi non omnia mendacia afferre homini interitum iudicantur, ut sunt iocosa, & quæ uocantur officiosa, omnia tamen reprehensione sunt digna. neque reperias à sanctis uiris fuisse un-

quam usurpata. quin asserunt, nullum quamuis exiguum ac leue peccatum admittendum, ne pro uita quidem conseruanda ac redimenda. nam licet quidem in discrimine aliquo uel necessitate positum obtectè loqui, neque apertè prodere, quod alij scire uelint, non tamen uti mendacijs quamuis officiosis. hac arte
Gen. 20. optimi illi patriarchæ usi sunt, Abraham, Isaac, & Iacob. quo-
Gen. 26. rum priores duo ne interficerentur ob uxores suas, sorores suas esse dixerunt. qua in re tacuerunt quidem quod erat, non tamen quod non erat asseruerunt. uide enim quid responderit A-
Gen. 20. braham ipsi Abimelech. [*cogitaui* (inquit) *mecum dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter uxorem*
Gen. 27. *meam. alioqui uerè soror mea est, filia matris meæ.*] Iacob uerò, cum se dixit Esau primogenitum, non omnino falsum protulit, cum Esau primogenita sua illi uendidisset, ac Dei electione pri-
Matt. 11 mogenitus censeretur. quemadmodum & Dominus dixit, Ioan
Gal. 3. nem ipsum esse Eliam, & nos Dei dono per fidem, Abrahæ filij appellamur. quòd si qui in scripturis sacris mentiti fuerunt, non sunt ad imitandum propositi, præsertim post Christi Domini aduentum, cuius lex omnem exigit perfectionem, eamque tam
Mat. 12. exactam, ut idem dixerit, [*de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint, reddituros homines rationem in die iudicij.*] nam, quod ad mendacium pertinet, Christiano homini potius expectanda mors est, quàm ut fidem fallat ac mentiatur uel apud impios, etiam pietatis causa. etenim nequis mendacio pietatis causam
Rom. 3. prætexat, ait Paulus, [*si ueritas Dei in meo mendacio abundat in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator iudicor, & non sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala ut ueniant bona?*] mendacium autem quod per iocum & oblectandi gratia dicitur, etsi capitale non sit, non licet tamen, nam & per se non decet Christianum, & assiduitate ad perniciosum
Eccli. 7. trahere idoneum est. quod admonet quidam sapiens cum ait, [*noli mentiri quoduis mendacium, assiduitas enim illius mala est.*]
Ephe. 5. & Paulus non solum quoduis mendacium damnat, uerum & stultiloquium & urbanitatem etiam, quæ tamen honesta uulgo existimatur, & dicit, hæc ad rem non pertinere. Quòd si iocosa & officiosa mendacia reprehenduntur, multò profectò magis perniciosa & maligna, malæque alienorum factorum interpretationes.

tiones. nam & hæ inter perniciosa mendacia numerantur. quoties enim factum alterius, quod in utranque partem tam bonam quàm malam interpretari quis potest, in malam partem accipis, peccas. in te enim illud Pauli quadrat, cum ait. [*tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.*] Rom. 14. at uerò cum peccatum eius generis est, ut iudicium de illo fieri possit, non tamen hoc temere est faciendum, sed tria in primis sunt spectanda, aut quatuor etiam. primum, non licere cuique hoc facere, sed eis duntaxat, ad quos pertinet. nam uitium ingens est, & frequens tamen, hominem rei se immiscere, quę ad eum non pertineat. deinde ne grauemus crimen, sed nostrę infirmitatis memores, cum odio criminis, charitatem proximi retineamus, & excusemus factum, si possumus, sin minus, excusemus intentionem. hoc enim charitas postulat, quam scriptum est operire multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. pręterea ut suo loco fiat ac tempore, ne tum iudicemus, cum non sumus profuturi. rectè enim dixit quidam sapiens. [*in conuiuio uini ne arguas proximum tuum,*] Eccl. 31. quòd scilicet planè intempestiuum sit inter pocula corrigere, ubi peccantem non ad pœnitentiam, sed potius ad furorem concitaueris, & compotores ad dilacerandum proximum commoueris. Paulus monet ut episcopus publicè peccantem coram omnibus arguat, 1. Tim. 5 quem ad finem? ut cęteri timorem habeant, hoc est, non ut tribuatur cęteris ansa alterius uitam incessendi, sed magis occasio ob fratris casum ingemiscendi ac condolendi, atque ut cæteri ex fratris periculo commoniti, suæ quoque infirmitatis non obliuiscantur, sed timeant, memores uerborum Pauli, qui ait. [*qui stat, uideat ne cadat.*] 1. Cor. 10 & alibi. [*si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, nos qui spirituales estis, eiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.*] Gal. 6. postremo, si priuatim in nos peccatum fuerit, modus iudicandi in Euangelio à Domino præscriptus seruandus est. [*peccauerit* (inquit) *in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. si te non audierit, adhibe tecum unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*] Mat. 18 nam & hoc charitatis est opus, quando fratrem in te priuatim peccantem ita corripis, ut seruetur. sed reuertamur ad

præceptum.

præceptum. [Non loqueris (inquit) contra proximum tuum falsum testimonium.] in primis propriè peccant in hoc præceptum, qui falsum in iudicio testimonium contra proximum perhibent,
Pro. 19. quos scriptura pœnam à Deo expectare certò asserit. [*testis* (inquit) *falsus non erit impunitus*.] & huius peccati grauitas per
Dan. 13 exempla declaratur. nam qui falsum testimonium contra Susannam protulerunt, lapidibus sunt obruti. Iudæi, qui Ser-
Mat 26. uatorem Christum, falsis nixi testimonijs accusauerunt, ma-
Mar. 14. ius peccatum, quàm Pilatus & milites, qui illum cruci affixerunt, habuisse asseruntur. Deinde peccant in hoc præceptum, quicunque mendacium aduersus agnitam ueritatem proferunt, quos quantum auersetur Deus, declarat Sa-
Pro. 12. lomon, cum ait. [*abominatio est Domino labia mendacia, qui autem*
Eccl. 20. *fideliter agunt, placent ei*.] & alius quidam sapiens. [*potior est fur, quàm assiduitas uiri mendacis. perditiones autem ambo hæreditabunt*.] grauiter etiam in hoc præceptum impingunt, qui proximo qualibet detractione iniuriam afferunt, ut famæ & opinio-
Ps. 100. ni eius notam inurant. quos detestans psaltes ait. [*detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*.] quem errorem ne seque-
Iac. 4. remur, admonebat beatus Iacobus dicens. [*nolite detrahere in-*
Pro. 24. *uicem fratres mei*.] & quidam sapiens *cum detractoribus* (inquit) *ne commisceearis*.] detractoribus uerò non multò meliores sunt, qui detrahentibus facile aureis accommodant. nam, ut uir quidam pius aiebat. [detrahere an detrahentem audire, quid horum damna-
Eccl. 24. bilius sit, non facile dixerim.] quare sapiens admonet dicens. [*sepi aurem tuam spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis*.] nihil autem dubium est, sycophantas à sua maledicentia temperaturos, si desint, qui audire uelint.
Pro. 25. quod intelligens Salomon aiebat. [*uentus aquilo dissipat pluuiam, & facies tristis linguam detrahentem*.] & antiquum prouerbium est, neminem inuito auditori libenter referre. quàm uerò ij sint
Deu. 22. inexcusabiles, uel hinc liquet. nam si asinum aut bouem fratris, qui in uia ceciderit, subleuare iubemur, quantò magis famam proximi, quo nihil homo pretiosius habet, defendere debemus? quòd si forte detractoris conuicia audierimus, sequamur sapien-
Eccl. 19. tis consilium, qui ait. [*audisti uerbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, confidens quòd non te dirumpet*.] quibus uer-

bis

bis egregiè exprimit eiusmodi hominum naturam, qui ubi primum aliquid in proximum audierunt, dirumpi sibi uiscera existimant, si non illud mox effutiant. Item peccant in hoc præceptum susurrones, qui, ut ait sapiens, conturbant amicos, & in medio pacem habentium immittunt inimicitiam. nam id ferè sine mendaciorum permixtione non fit. hoc prohibet diuina lex, cum ait. [*non oris criminator nec susurro in populis.*] Hypocritæ quoque huic peccato obnoxij sunt, qui aliud uerbis & externis operibus simulant, quàm mente complectantur, falsum ex animo suo ferentes testimonium. hos uehementer insectatus est Christus. & horrendum illud uæ sæpe in illos intonuit. [*Væ* (inquiens) *uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod foris est calicis & paropsidis, intus autem estis pleni rapina & immunditia.*] & paulò post. [*uæ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ apparent hominibus speciosa, intus uerò sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. sic & uos apparetis hominibus iusti. intus autem estis pleni hypocrisi & iniquitate.*] quos & alibi increpans ait. [*uos estis, qui iustificatis uos coram hominibus*, *Deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud* Deum.] ijs etiam intolerabiliores sunt, qui publicè se iactant, & ea sibi gloriosè arrogant, quæ non habent, ut uel hinc proximos deprimant, atque contemnant. talis erat ille in Euangelio pharisæus, qui ausus fuit etiam apud ipsum Deum, qui solus intuetur cor, se inaniter iactare. [*gratias* (inquiens) *ago, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri uelut etiam hic publicanus.*] quare monebat Paulus, ut, qui gloriari uellet, in Domino gloriaretur, quòd scilicet non is, qui seipsum commendat, probatus sit, sed quem Deus commendat. Est uitium huic contrarium, eorum, qui fallendi studio sese deijciunt. de quibus quidam sapiens ait. [*est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.*] pari reatu tenentur adulatores, qui ad principum gratiam captandam, eorum dicta & facta, quæcunque tandem ea sint, laudant ac prædicant, quos auersatus psaltes ait. [*corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non infringat caput meum.*] appositè sanè, non dixit, ungat, sed infringat. malo (inquit) ut percutiant me iusti, & hoc beneficij loco habitu-

Eccl. 28.
Leu. 19.
Mat. 23.
ibidem.
Luc. 16.
Luc. 18.
1. Cor. 1.
Eccl. 19.
Ps. 140.

habiturus sum, quàm impij oleo optimo, cuius usus in summis
habetur delicijs, caput meum inungat. unguentum enim eorum
Psal. 9. non sanat, sed frangit & turbat caput. & alibi. [*laudatur pecca
tor in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*.] Nec omnino
non peccant in hoc præceptum loquaces, stultiloqui, scurræ, &
Pro. 10. id genus alij. nam Salomon testatur, [*in multiloquio non defutu-*
Pro. 13. *rum peccatum*.] & rursus. [*qui custodit os suum, custodit animam*
Ps. 139. *suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*.] &
psaltes. [*uir linguosus non dirigetur in terra*.] Huic malo uitando
singulare remedium est linguæ custodia, pro qua rogandus est
Ps. 140. Deus, & dicendum cum propheta.] *pone Domine custodiam ori
meo, & ostium circunstantiæ labijs meis, ut non declinet os meum in
uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*.] profuerit
Ephe. 4. etiam meminisse, quod ait Paulus. [*deponentes mendacium, lo-
quimini ueritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus in-
uicem membra*.] cernimus enim corporis membra inuicem non
mentiri. non oculum pedi, non pedem oculo. ut si profunda
fouea sit, quæ in superficie obtecta sit calamis ac paleis, uidea-
turque oculis solida esse terra, nonne utetur pede, ut agnoscat,
num solidus an inanis sit locus? num pes mentietur oculo? ne-
quaquam. sed uti est, annuntiabit. quid uerò si serpentem cer-
nat oculus aut feram, num mentietur pedi? nonne confestim
ei annuntiabit, & pes ab oculo doctus cauebit sibi? cum autem
neque oculus neque pes diiudicare possunt, sed totum ad odo-
ratum pertinet, utrum perniciosum sit pharmacum necne, odo-
ratus non mentietur ori. sic lingua non mentitur stomacho,
sed cum rem amaram intelligit, proijcit, cum uerò dulcem,
transmittit in stomachum. idem nobis faciendum est, cum si-
mus alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro, cui
cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiter-
num. Amen.

ORATIO TRIGESIMAOCTAVA.

De concupiſcentia pernicioſa, in qua deteſtatur auaros, & auaritiam.

NON concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.] Lex quæ per Moſen data fuit, uidebatur ciuilibus legibus eſſe perſimilis, quæ cum interiorem hominem, eiuſque uitioſos affectus amputare non poſſint, id ſaltem dant operam, ut ciuium inter ſe conſuetudo pacata & tranquilla ſit. quare prohibent cædes, adulteria, furta, & omnia externa malefacta. in hunc ferè modum ſe habebat lex Moſis. cuius quidem uoluntas erat, intimas etiam cogitationes perpurgare. ſed quemadmodum in ijs, quæ ad fidei dogmata pertinebant, ita ſe attemperauit hominum capacitati, ut ea non apertè prodiderit, ſed inuolucris quibuſdam obtecta dederit, quibus progreſſu temporis lux aliqua à prophetis adderetur, ac demum per aduentum Chriſti explicarentur. ſic in ijs, quæ ad mores ac uitam ſpectabant, contenta pro hominum ætatis illius captu, exteriora facta amputare, ut cædes, adulteria, furta, interiorum cogitationum purificationem illis tractandam relinquebat, qui huius legis futuri fuiſſent interpretes. Ob hanc cauſam in octo ſuperioribus præceptis uidentur externa duntaxat iniquè facta fuiſſe prohibita. quæ non eſſe ſatis ad regnum cœlorum comparandum, niſi & interiores affectus perpurgentur, oſtendit Dominus, cum legem Euangelicam inſtituens dixit. [*audiſtis quòd dictum ſit antiquis, non occides, qui autem occiderit, obnoxius erit iudicio, ego autem dico uobis. quòd quicunque iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, obnoxius erit iudicio.*] & pleraque alia in hunc modum. quamuis ergo hoc pacto uideatur data lex, quia tamen à Deo eſt data, qui ſolus ſcrutatur hominum corda. decuit, ut etiam interiorum affectuum meminiſſet, prohiberetque concu- Mat. 5.

piſcentiam malam, atque adiecit duo hæc pręcepta, nequis ſcilicet uel uxorem uel rem proximi ſui concupiſceret. quæ tamen præcepta multi Hebræorum non ignobiles nolunt ad interiorem concupiſcentiam pertinere, cenſentque non ante committi peccatum, quàm cupiditas, etſi non in operis perfectionem, ſaltem in conatum maleficij prorupiſſet. ſed hoc ſenſu non eſſe hęc præcepta accipienda, Iudæi ipſi diſcere poterant ex prophetis, qui iuſſu Dei hoc ubique requirunt. ut non tantum externum opus, atque etiam conatus ipſe, ſed etiam cogitatio mala ab oculis Dei auferatur. unde per Eſaiam ait. [*auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis*.] & alius quidam. [*peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo*.] Locus hic in Deuteronomio ſcribitur hac ſerie. [non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.] Cum uerò Deuteronomium ſit legis repetitio, diſcreuiſſe uidetur concupiſcentiam uxoris alienæ à concupiſcentia cuiuslibet alterius rei, atque ita ſunt duo pręcepta, quibus tamen prohibetur uoluntas mala cuiuſcunque alterius ſceleris, ut periurij, homicidij, falſi teſtimonij ferendi. ſed hoc loco factum eſt, quod in ſuperioribus præceptis. ſicut enim in illis ſub uno magis inſigni peccato, ut adulterij & homicidij multa continentur alia illis proxima, ſic duo quidem iſta concupiſcendi præcepta poſita ſunt de rebus ijs, in quas magis proni ſunt homines, ſub quibus mala quęlibet concupiſcentia prohibeatur. ne Iudæi, quos prophetæ populum incircuncisi cordis uocant, crederent hoc non eſſe peccatum apud Deum, quod apud homines nulla plecteretur pœna. At hanc ueritatem, quòd ſcilicet abſtinendum ſit à malæ rei concupiſcentia, nuſquam apertius intelliges, quàm ex Chriſti Euangelio, qui quemadmodum eſt legislator, ita nimirum eſt eiuſdem optimus interpres. is enim malum ab radice euellit, hoc eſt, à corde. quare non ſolum homicidium prohibet, ſed iram etiam. non ſolum adulterium, ſed & concupiſcentiam alienæ uxoris, docuitque, à corde proficiſci ea, quæ inquinant hominem, quæritque cor mundum, & ſolos eos, qui mundo ſunt corde, beatos pronunciat. Quòd uerò ait, non concupiſcendam rem quampiam proximi, nequis ſimplicior arbitretur, non licere iuſto commercio legitimisque contractibus id, quod alius

Marginal notes: Eſa. 1. (beside "lis Dei auferatur"); Sap. 1. (beside "num ueſtrarum"); Ier. 9. (beside "mala quęlibet"); Eze. 44. (beside "phetæ populum")

alius habet, optari ac quæri, ſciendum eſt, te in hoc præceptum tunc committere, ſi eo animo illa concupiſcas, ut in ipſis tua commoda quęras, nihil interim curans, num hinc proximo commodes uel incommodes. nam qui iubemur in omnibus proximi utilitatem quærere, noſtra uerò commoda utilitatibus proximi poſthabere, rei proculdubio coram Deo erimus, ſi noſtram tantum utilitatem non proximi ſpectemus. His duobus præceptis prohibentur illa, quę Ioannes Apoſtolus dixit in mundo eſſe, uidelicet [*concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ.*] concupiſcentia carnis prohibetur, cum dicitur, [non concupiſces uxorem proximi tui.] concupiſcentia uerò oculorum & ſuperbia uitæ, cum dicitur, [non concupiſces domum proximi tui, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.] Peccant ergo in hæc præcepta, qui non ſolum concupiſcunt uxorem proximi, uerum etiam, qui deſponſam alteri abſtrahunt & abalienant, quamuis hoc prætextu iuris faciant, quo declaratur matrimonium per uerba, quæ de præſenti uocant, contractum, ſponſalia prius inita dirimere. deinde peccant in hæc pręcepta, non tantum qui rem alterius quamuis, iniuſtis, ſed etiam qui permisſis apud homines rationibus, &, quod dici ſolet, ſub iuris colore, nanciſci appetunt, idque cum proximi incommodo & iactura. neque enim tales tam fauent proximo, quàm ſibi, obliti præcepti apoſtolici, quo ait. [*non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.*] qui ſibi bene conſultum eſſe uolunt, & ſi interim malè conſultum ſit proximo. qui ad iuris rigorem omnia exigunt, æquitatis penitus obliti, idque ſui commodi gratia. ad eundem modum peccant emptores, & uenditores, item permutatores, qui ſe in contrahendo decipiunt, nec illud ſeruant, [*quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris*,] qui interdum defendunt ſe ciuilibus legibus, neque intelligunt aliam legem eſſe fori, aliam poli. quamobrem ſiue uenditor ſis ſiue emptor, omnem dolum detegere, ac proximum de rei æſtimatione ac pretio admonere debes, nec in tuum commodum abuti eius uel ætate, uel ruditate, uel iniuria, uel neceſſitate. breuiter quicunque in negocijs ſuis & commercijs & actionibus ſuis cupiunt ditari, nulla habita ratione utilitatis aut damni proximorum peccant in hoc præceptum. Cum uerò omne peccatum à concupi-

Margin: 1.Ioã.2. — Phi.2.

ſcentia ferè proficiſcatur, concupiſcentiæ uerò domicilium ſit cor, unde ea oriuntur, quæ inquinant animam, quemadmo-
Mat.15. dum dixit Dominus. *non quod intrat per os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, quæ enim procedunt de ore, de corde exeunt, ut ſunt, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.*] hęc
Pro.4. cum ita ſint, faciendum eſt, quod admonet Salomon. [*omni cuſtodia* (inquiens) *ſerua cor tuum, quoniam ab ipſo uita procedit.*] huius cuſtodiæ neglectus omnia inuehit mala. cum enim hoſtis cor inuaſerit tanquam arcem, continuò liberum in hominum habet imperium, & ei pro arbitrio dominatur. hoc cum ab omnibus prauis appetitionibus, tum ab immoderata habendi cupiditate ſeruandum eſt, quæ ubi ſemel hominis animum inuaſit, omnibus mox illum malis efficit
1.Tim.6 obnoxium, ut rectè dictum ab apoſtolo ſit, omnium malorum radicem eſſe auaritiam. neque uerò quicquam eſt, quod maius afferat hominibus damnum. illa enim inſatiabilitas, quæ nullis terminis circunſcribi uult, nulli etiam hominum generi parcit, modo ſui uoti ſit compos. Feruntauem Seleucidem inſatiabilem eſſe in eſu locuſtarum, quod ad hominum utilitatem Deus excogitauit. at auarus in multorum detrimentum animum habet inſatiabilem. quotcunque cernit oculus, tot auarus appetit. non ſatiatur oculus aſpectu, neque auarus expletur accipiendo. infernus non dicit, ſufficit, neque auarus unquam dicit, ſatis eſt. miſerrime homo quando frueris præſentibus, cum ſemper adipiſcendi laboribus detinearis? [*uæ qui coniungunt domum domini, & agrum agro copulant, ut non ſit terminus loci,*] ait Eſa-
Eſa.5. ias. an non id tu facis? nónne multas tibi prætexis cauſas, ut rem accipias proximi? offundit mihi (inquit) tenebras uicini domus, aut turbulenti ſunt, qui illic habitant, aut quamlibet aliam
3.Reg. cauſam inuenit, qua illum extrudat. Quid illum Naboth Iezraë-
21. liten interfecit? nónne Achaz concupiſcentia uineæ? malus in urbe cohabitator auarus, malus in agro. mare nouit terminos ſuos, nox non tranſilit antiquas leges. auarus tempus non reueretur, terminos non agnoſcit, ſed ignis uiolentiam imitatur. omnia occupat, omnia depaſcit, & tanquam fluuij ex paruis initiis orti, deinde paulatim per incrementa ſumentes uires, uiolento impetu

impetu, quicquid obstat, secum rapiunt. sic ubi quis posse cœpit, ex eo quod iam uirium adeptus est, amplius lędendi potestate accepta, alios semper subiicere tentat. fitque ei illa potentiæ accessio etiam malitiæ incrementum. Oporteret homo te paulisper respirare, & ocium præbere tuis ratiocinationibus, ut cogites quem ad finem tuum hoc studium perferatur. habes tot aratoriæ terræ iugera, tot uinearum, tot siluarum. quid igitur post hæc? nónne treis terrę cubitos omnes expectant? nónne paucorum lapidum pondus satis erit ad infelicis carnis custodiam? pro qua re laboras? pro qua re iniquè agis? quid tibi rem inutilem congregas? atque utinam inutilem tantum, & non potius æterni ignis materiam. non expergisceris aliquando, & ab hac ebrietate euigilabis? non aliquando sanas indues cogitationes? non aliquando tui iuris fies? non ante oculos Christi iudicium pones? quid respondebis, quámue afferes defensionem, cum circunsteterint te ij, quos iniuria affecisti, atque aduersus te coram iudice clamabunt? quid facies? quos patronos mercede conduces? quos testes adhibebis? quocunque oculos circunduces, euidentes malorum imagines cernes. hinc orphani lacrymæ, inde uiduæ gemitus, ex alia parte oppressus pauper, cæsi serui, uicini irritati. omnia aduersus te insurgent, chorus malè factorum te uallabit. sicut enim umbra corpus, sic animas peccata comitantur. Quo pacto sub aspectum tibi adducam res illas terrificas, si forte audias, si forte cedas? recordare diei illius, quo reuelabitur ira è cœlo. recordare gloriosi illius aduentus Christi, cum resurgent ij quidem, [*qui bene fecerint, in resurrectionem uitæ, qui uerò malè, in resurrectionem iudicij.*] tunc perpetuus pudor erit peccatoribus, & ignis æmulatio consumptura aduersarios. quod si neque cœlestis regni non teneris desiderio, neque Geennam formidas, unde inuenietur tuæ animæ curatio? si enim te neque terrifica illa terrent, neque lęta demulcent, lapideo cordi uerba facio. Quousque inhiabis auro, quod animarum laqueus est, rete mortis, peccati esca? quousque diuitiæ, belli occasio, ob quas fabricantur arma, ob quas acuuntur gladii, ob quas consanguinei genus non agnoscunt, fratres inter se capitali odio decertant? ob diuitias solitudines homicidas nutriunt, mare piratas, urbes sycophantas. quis est mendacij

Ioan. 5.

pater?

pater? quis figmentorum artifex? quis periurium gignit? nônne diuitię & earum studium? quid est, quod uobis accidit homines? quid res uestras in uestram ipsorum perniciem conuertitis? pecuniæ in adiumentum ad uitam, non uiaticum ad mala datę sunt. redemptio animę, non occasio perditionis. Sed dices necessarię sunt diuitię ob filios, plausibilis hęc ad auaritiam occasio est. proponitis enim filios, sed ii non in causa sunt. an non con-
Mat. 19 iugatis scripta sunt Euangelia? at in eis illud est. [*si uis perfectus esse, uende quæ habes, & da pauperibus*.]. cum peteres fœcunditatem, & rogares fieri pater, num hoc adiecisti. da mihi filios, ut tuis pręceptis aduerser? da mihi filios, ut non perueniam ad regnum cœlorum? deinde quis fideiussor tibi est de filii proposito, quod datis rectè usurus sit? multis enim diuitiæ ministræ fue-
Eccl. 5. runt intemperantię, an non audis Ecclesiastem dicentem, [*noui morbum grauem, diuitias conseruatas in malum Domini sui*.] & rursus. relinquo homini, qui post me uenturus est. & quis scit, num sapiens aut stultus sit futurus? uide ergo, ne coactam infinitis laboribus pecuniam materiam aliis peccatorum prębeas, & cogaris duplices pœnas dare, & quòd iniustitiam in illis parandis exercueris, & quòd aliis peccandi pręblueris occasionem. nônne quibusuis liberis charior tibi est anima? primum ergo ei partem hęreditatis assigna, copiosas ei prębe uitę occasiones, & tunc filijs reliquum diuides. nam filij plerunque, qui à parentibus non acceperunt, domos ipsi sibi pararunt, anima uerò si à te deseratur, quis eius miserebitur? Hæc patribus dicta sunt. qui uerò liberis carent, quam mihi idoneam parcitatis causam proferent? non uendo (inquis) mea, neque do pauperibus, ob necessarios uitę usus. ergo Dominus non est tibi magister, neque Euangelium regit uitam tuam, sed ipse legem tibimet ipsi statuis. uide uerò in quale periculum incidas, dum ita cogitas. si enim Dominus tanquam necessaria nobis mandauit, tu uerò, ut quæ fieri minime possint, præscribis, nihil aliud facis, quàm ut te legislatore prudentiorem esse dicas. sed dices rursus. fruar meis per totam uitam, & moriens hæredes bonorum meorum faciam pauperes, codicillis ac testamentis. cum desieris esse inter homines, tunc humanus fies? cum te mortuum uidero, tunc fratrum amatorem appellabo? multa sanè tibi habebitur gratia, quòd in sepulcro

ſepulcro poſitus, & reſolutus in terram, liberalis & ad ſumptus magnanimus euaſeris. quorum obſecro te, mercedes temporum repetes, eorum quæ ante, an quæ poſt uitam? at quo tempore uixiſti, delicijs operam dans, ne aſpicere quidem pauperes poteras, mortuo uerò quæ actio, quæúe merces operis debetur? oſtende opera & repetes retributiones. nemo poſt nundinas, & peractum mercatum negociatur, neque ſi accedat poſt ludos, coronatur, neque poſt prælium uires oſtendit. neque ergo poſt uitam pium eſſe contingit. In atramento & literis polliceris beneficentiam? quis ſignificabit tibi tempus exitus? quis fideinbebit de mortis modo? quàm multi uiolentis & repentinis caſibus rapti fuerunt, quibus ne emittere quidem uocem licuit? quàm multis mentem febris eripuit? quid ergo expectas tempus, in quo ſæpenumero ne cogitationum quidem tuarum eris Dominus? aderit nox profunda, morbus grauis. nuſquam auxiliator. qui uerò hæreditati inſidietur, promptus aderit, omnia ad ſuam ipſius utilitatem diſponens, & conſilia tua irrita faciens. deinde circunſpiciens huc atque illuc, & cernens circunſtantem ſolitudinem, tunc demum inſipientiam tuam intelliges, tunc ſtultitiam deflebis, in quod tempus implendum præceptum repoſueris, cum lingua loqui non poterit, manus tremula erit, & neque uoce neque literis ſententiam tuam licebit ſignificare. quamuis ſi etiam omnia manifeſtè ſcripta fuiſſent, & uox apertè declarauiſſet, una interpoſita litera omnem mutare ſententiam & unum ſigillum peruertere idonea eſſent. duo aut tres falſi teſtes totam hæreditatem ad alios transferre. quid ergo teipſum decipis, nunc quidem in carnis commoda diuitiis abutens, promittensque in futurum ea, quorum non eris Dominus, quemadmodum ratio demonſtrauit? malum ſanè conſilium. uiuens fruar uoluptatibus, mortuus uerò præcepta ſeruabo. reſpondebit & tibi Abraham. [*recepiſti bona tua in uita tua.*] non admittit te anguſta Luc. 16.
& recta uia, dum pondus diuitiarum non deponis. ferens illas egreſſus es, neque abieciſti, ut mandatum tibi fuerat. dum uiueres, teipſum uitæ prætuliſti, poſt mortem mandatum hoſtibus uoluiſti anteferre. ne ille accipiat (inquit) habeat Dominus. at hoc quid appellabimus? inimicorum ultionem, aut erga proximum charitatem? recognoſce teſtamenta tua. uolebam (inquis)

quis) uiuere, & rebus meis frui. morti ergo habendæ gratię sunt, non tibi. si enim fuisses immortalis, nunquam peccatorum fuisses recordatus. Ne erretis, Deus non irridetur. mortuum ad altare non affertur, uiuentem offeras hostiam. qui id offert, quod superest, non est gratus. tu uerò quæ post totam uitam superfuerunt, ea offers benefactori tuo? si non audes ex reliquiis mensæ tuæ accipere nobiliorem aliquem, quomodo audes Deum ex reliquiis uelle placare? Cernite finem studij pecuniarum ò diuites, & desinite illis affici, quantò magis diuitiarum amicus es, tantò magis nihil prætermittatur eorum, quæ tibi adsunt. omnia effice tua, omnia coacerua. ne relinquas alienis diuitias. fortasse neque circunstabunt te serui in extremo obsequio, sed leuiter funus tangent, hæredibus deinceps adhęrentes beneuolentia, aut etiam tunc aduersus te philosophabuntur. inelegantia (inquit) ornat mortuum, neque decet cum sumptu efferre eum, qui non sentiat. & melius est superstitem pretiosa & gloriosa ueste ornari, quàm eam uestem cum mortuo putrescere. quę uero insignis sepulcri atque inutilis sumptus utilitas, cum iustius sit ea in necessarios uitæ usus insumere? hęc & huius generis alia dicent, tuam austeritatem ulciscentes, & iis, qui tua acceperint, quęrentes esse gratiosi. pręueniens ergo para tibi ipse sepulcrum. pulchrum sepulcrum pietas. omnibus tibi circumpositis hinc abi, proprium ornatum diuitias effice, habe illas tecum. fidem habe bono consiliario, ac te amanti Christo, qui propter nos pauper factus est, ut nos illius inopia ditaremur. qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis. & uel tanquam sapienti, & quod utile nobis est, intelligenti credamus, uel tanquam nostri amantem amplectamur, uel tanquam benefactori nostro uicissitudinem rependamus. Habetis quę de decem pręceptis dicta à nobis sunt. quæ memineritis ad duo pręcepta, diligendi scilicet Dei & proximi fuisse à Domino redacta. &, cum in factis agnoscatur obseruatio mandatorum, præcipua esse misericordiæ opera; hoc est, erga pauperes beneficentia, cui in iudicio polli-
*Mat.*25. cetur Dominus se regnum cœlorum repensurum. in hanc ergo toti incumbamus, ut æternæ uitæ hæredes simus. per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum patre & spiritu sancto est honor & potestas & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO TRIGESIMANONA.

De paſsione Domini Ser- uatoris.

ADMIRANDA ſunt conſilia & iudicia Dei,
& profunda etiam atque imperueſtigabilia.
quod cogitans Paulus & obſtupeſcens ex-
clamauit. [*O profundum diuitiarum & ſa-* Rom. 11.
pientiæ & ſcientiæ Dei *, quàm inſcrutabilia*
ſunt iudicia eius , & imperueſtigabiles uiæ
eius . quis enim cognouit mentem Domini , aut
quis conſiliarius eius fuit ?] & admiratio
quidem eam uim habet, ut exſtimulet ad perueſtigandum. quod
indicauit pſaltes, cum ait. [*mirabilia teſtimonia tua , ideo ſcruta-* Pſ. 118.
ta eſt ea anima mea ,] per teſtimonia Diuinam legem intelligens,
qua Dei iudicia continentur. cum uerò audiamus eadem iudicia
eſſe imperueſtigabilia, hoc eſt, inacceſſa homini, ne tanto bono
deſtitueremur, uoluit Deus, qua eſt benignitate, multa ex eis
prius per prophetas, deinde per filium ſuum unigenitum decla-
rare. & de iis quidem, quæ ante Seruatoris aduentum in carne,
reuelata fuerant, idem pſaltes ait. [*in labijs meis pronuntiaui om-* ibidem.
nia iudicia oris tui ,] hoc eſt, quæ ipſe declarare es dignatus. de
poſterioribus uerò Seruator ipſe gratias agens patri ait. [*confi-* Mat. 11.
teor tibi pater, Domine cœli ac terræ, quòd abſcondiſti hæc à ſapienti- Luc. 10.
bus & prudentibus, & reuelaſti ea ſtultis.] quòd ſi communi
generis noſtri nomine, ipſe filius Dei gratias agit patri, multò
magis nos grati eſſe debemus Deo, qui [*non fecit taliter* (ut Pſ. 147.
alibi ſcriptum eſt) *omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*]
Inter cętera uerò cœleſtis patris admiranda iudicia atque conſilia,
illud eſt admirabiliſsimum, atque adeo omni admiratione ma-
ius atque ſuperius, quòd miſerit [*filium ſuum factum ex mulie-* Gal. 4.
re, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptio-

nem filiorum reciperemus.] cuius consilij causam quis aut perue-
stigare posset, aut crederet allatæ, nisi ille idem ipse filius aperuis
Ioan.3. set, cum dixit. [*sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigeni-
tum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam
æternam*.] hanc autem redemptionem est per crucem operatus.
in quam actus quidem fuit, cum à Iudæis fuit interfectus, sed eam
amen ab ipso ortu ferre cœpit, ut rectè à sponsa in cantico canti
Can.8. corum dictum sit. [*sub arbore pomo suscitans te, ibi genuit te ma-
ter tua*.] nam ita per totam uitam crucem est amplexatus (quam
rectè arborem malum appellauit ob fructus & suauitatem & gra
tiam) atque ita promptè ad eam accesit, ut sub ea natus esse ui-
deretur. etenim ab ipso ortu in stabulo natus, atque in pręsepi
collocatus, egregium ferendæ crucis initium fecit. tota uerò ui-
ta, qua inter nos uersari contigit, tam pauperem uitam egit, ut
Mat.8. ipse dixerit. [*uulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius
autem hominis non habet, ubi caput reclinet*.] persecutiones ue-
rò, easque ab ipsa infantia, tam multas passus est, calumnias,
Esa.53. contumelias, ut meritò [*uir dolorum*] à propheta fuerit appella
tus. uerum, cum iam opus consummasset, quod à patre manda
tum ei fuerat, nihilque superesset aliud, quàm ut tanquam im-
maculatus agnus uictima fieret, & holocaustum in odorem sua-
uitatis patri, ad generis nostri exhaurienda peccata, totum se ad
hoc opus accinxit. & primo quidem, cum ut figuræ succederet
ueritas, tum ut discipulos instructiores relinqueret ac roboraret
etiam, uoluit cum eisdem discipulis Iudæorum pascha pridie ce-
lebrare quàm pateretur. in qua cœna admiranda mysteria fue-
runt celebrata, & pręsertim Dominici corporis & sanguinis sa-
cramentum institutum, & docti discipuli, atque in eis fideles
omnes, submissè se gerere, nullumque quamuis humile obse-
quium erga proximum recusare. cum ille Dominus ac magister,
ille unigenitus Dei patris, is per quem omnia facta sunt, non
recusauerit lauandorum discipulis pedum humile obsequium
subire. hoc autem admonendi nostri gratia fecit. nam post lo-
Ioan.13. tos pedes dixit. [scitis, quid fecerim uobis? uos uocatis me, magister &
Domine, & bene dicitis, sum etenim. si ergo ego laui pedes uestros Domi-
nus & magister, & uos debetis inuicem alter alterius lauare pedes. exemplum
enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.] qua

in cęna

cęna illud etiam factum est, omni obseruatione dignum. quòd cum sciret Iesus, Iudam Iscariotem fore proditorem, lauit tamen illius pedes, & mysteriorum corporis ac sanguinis sui uoluit esse participem. quæ proditio quàm uehementer doluisse Domino credenda est? ob hanc enim causam de tam indigno facinore longè ante uerbis doloris plenis dictum per prophetam fuit, [*homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit contra me supplantationem.*] & rursum. [*si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, &, si is, qui oderat me, contra me magna locutus fuisset, abscondissem me ab eo. tu uerò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*] hoc enim torquere cor maximè omnium solet, cum ij, de quibus plurimum sumus meriti, à nobis deficiunt, & insidias aduersus nos moliuntur, quod fecit perditissimus Iudas. nec tamen propterea illum Iesus fuit auersatus, sed omnibus officiis prosecutus illum fuit, quibus & reliquos omnes charissimos discipulos. Hoc exemplum si infixum cordi haberemus, non tam obstinato essemus animo erga eos, à quibus læsi interdum sumus, neque difficile nobis esset ignoscere, quamuis summis affecti iniuriis essemus. sed nunquam inspicimus tanquam in speculo hęc Domini facta admiranda. cui enim accidere unquam quippiam potest tam graue, támque sceleratum ac detestandum? nulla affectus fuerat iniuria, quin potius infinitis cumulatus beneficijs. inter eos positus, qui super duodecim sedes essent consessuri, & orbem iudicaturi, & horum omnium oblitus sceleratus ac perditus, prodit Dominum suum, atque adeo Dominum omnium, & uniuersorum conditorem. hęc in neminem cadere hominem possunt. nos enim si illi conferamur, puluis & cinis sumus. quid uerò magni est, si cinis ac puluis afficitur ignominia? deinde [*in multis offendimus omnes,*] & plerunque cum ab aliquo lædimur, ipsi præbuimus lædendi occasionem, tametsi id nolimus intelligere. sed fingamus, nos eum nulla affecisse iniuria, à quo sumus læsi, meminerimus tamen nos peccasse in Deum nostrum, quibus peccatis digni sumus, qui ab omnibus, non solum hominibus, sed etiam ratione carentibus animantibus conculcemur, & aduersus nos totus orbis terræ (quemadmodum de impijs scriptum est) pu-

Psal. 40.
Psal. 54.
Iac. 3.
Sap. 5.

gnet. Et hæc quidem Iudas fecit, neque tot beneficijs, neque tanta Domini benignitate & humanitate mollitus. occupauerat enim cor eius Diabolus. at quam ob causam? nam operæ pretium est nos hęc scire. uidetur enim Satanas occasionem accepisse ab ipso Iuda, ingrediendi in eius animum. quem cum intellexisset auaritię morbo laborare, hoc usus affectu tanquam adiutore, etiam in proditionis casum spe triginta argenteorum pręcipitauit. apparet enim illum tum primum hoc cogitauisse, cum unguentum illud, quod insumptum erat in obsequium Iesu, non fuit uenditum, ex cuius pretio uidetur expectauisse priuati

Ioa. 12. aliquid commodi. uide enim, quid dicat Ioannes Euangelista. [Maria accepit libram unguenti nardi pisticæ pretiosæ, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti. dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simonis Iscariotes. quare hoc unguentum non uenditum fuit trecentis denarijs, & datum est egenis? dixit autem hoc, non quòd egeni curæ illi essent, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.] ex his sanè uerbis satis manifestum apparet argumentum, Iudam hanc unam ob causam Iesum prodidisse Iudæis, quòd cum partem huius pecuniæ, quam uolebat ex unguenti uenditione confici, furari non potuisset, indignatus curauerit aliunde instaurare, quod amisisse sibi persuaserat, quam cogitationem ipse satis aperte se habuisse declarauit, cum accedens ad principes sacerdotum primum uerbum protulit, quod

Mat. 26. ad pecuniæ cupiditatem pertinebat. dixit enim. [quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradam?] cernis quàm cæcos faciat habendi studium? non uenit ei in mentem excogitare uel falsam aliquam causam in sui defensionem, cur eos adisset prodendi magistri gratia. non curauit illud, quod consueuerunt homines facere plurimi, quo scilicet pacto ipse uir bonus uideretur, dum calumniam alteri strueret. nihil horum illi fuit curæ, sed illud unum,

Mat. 26. [quid uultis mihi dare, & ego illum uobis tradam?] pecunia (inquit) mihi totum est, cætera non curo. Scio unumquenque uestrum abominari tam sceleratum facinus, sed interea non intelligitis, bonam uestri partem ipso Iuda esse deteriores. nam is semel duntaxat prodidit Iesum, multi uerò sæpius illum produnt. non contenti semel prodidisse. at quo pacto inquies? quoties pecuniæ causa ueritatem deseritis, Iesum proditis. ipse enim est ueritas. quoties pecunia uenalis fit iustitia, Iesum proditis. ipse enim fa-

ctus

ctus est nobis à Deo iustitia: quoties propter uestra iniquè facta, luxus, pompas, lasciuiam, seditiones, lites, contentiones, nomen Christi malè audit inter gentes, Iesum proditis hostibus, qui ei illudant, eumque derideant. & Iudas quidem post paulò pœnitentia ductus pecuniam restituit, & peccasse se confessus est, ac sanguinem iustum prodidisse. multi uerò, qui se Christianos profitentur, per totam uitam proditores esse pergunt, neque ulla uera præ se unquam pœnitentię signa ferunt. quare non iniuria dixi, multos esse Iuda deteriores, neque hoc eos intelligere. Præcipua item causa, cur summi sacerdotes & scribę ac pharisæi Christum insectarentur, idem auaritiæ morbus fuisse uidetur, qui, cum cernerent illius doctrinam eorum appetitionibus aduersari, eumque identidem illorum auaritiam reprehendere, quodque pluris facerent aurum templi, quàm ipsum templum, & sub prætextu longioris precationis comederent domos uiduarum, nihil eis longius uidebatur, quàm ut illum è medio tollerent. quare fugite dilectissimi auaritiam omnium (ut ait Paulus) radicem malorum. Sed ueniamus ad Iudam. is post unguenti, quam putabat, iacturam factam, abierat ad principes sacerdotum, & petierat proditionis pretium, & illi constituerant ei triginta argenteos, [& exinde quęrebat opportunitatem, ut eum traderet.] is ergo cum nouissimę huic cęnæ interesset, optaretque negocium peragere, nec discedere tamen auderet, Dominus, qui ad mortem alacris proficiscebatur, ne apertius loquendo rem impediret, cum cerneret, animo illum obstinato, qui nec blanditijs flecteretur, nec minis. etenim, ut omnia tentaret benignus magister, etiam adiecit illa uerba.] unus uestrum me proditurus est, sed uæ illi, per quem tradar, bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille.] hæc inquam cernens Iesus, demum dixit Iudæ. [quod facis, fac citius.][*hoc autem* (ait Ioannes Euangelista) *nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset Iesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.*] Iudas uerò hac uerborum Iesu occasione arrepta egreditur furijs actus, & mali Dæmonis præda factus cogit satellitum manum, admonitis principibus sacerdotum & senioribus populi, tempus esse negocij peragendi. interea Iesus discipulos longiori oratione admonet, & quæ tum sibi tum

Rom. 2. *Mat. 27.* *Mat. 23.* *1. Ti. 6.* *Mat. 26.* *Mar. 14.* *Ioa. 13.* *ibidem.*

tum illis essent euentura, prædicit. deinde mœstos amantissimis uerbis consolatur, fore enim, ut paulò post eum ad nouam uitam resuscitatum ruptis uinculis mortis cernerent. pollicitus, se alium illis paracletum, hoc est, consolatorem daturum, qui futurus cum illis esset. demumque si præcepta eius seruarent, per-
Ioan.13. petuò secum patre in illis habitaturum. [unum (inquit) à uobis postulo, unum uobis mando, ut mutuo inter uos diligatis, sicut ego dilexi uos. in hoc agnoscent homines, uos meos esse discipulos, si mutua inter uos coniuncti fueritis charitate.] cum ergo hoc indicium esse uoluerit Seruator noster, quo discipuli eius agnoscantur, si mutua coniungantur dilectione, cogitet unusquisque nostrum, quanta huius charitatis habenda sit cura, & summo studio operam det, ut eam seruet, & omnia potius extrema patiatur, quàm illam deserat, nam ab ea recedere nihil est aliud, quàm Christo priuari,
Col. 3. hoc est, uita. [*ipse enim* (ut ait Paulus) *est uita nostra*.] charior ergo temporaria hac uita esse nobis charitas debet. Peracto hoc sermone, in quo multa alia dixit, quæ breuitatis studio prætermisimus, [& hymno dicto.] pro gratiarum (ut credimus) actione, quem morem pij omnes seruare debent, ut post captum cibum
Ioã. 18. gratias agant Deo, [transmisso torrente Cedron, uenit cum discipulis suis in uillam, quę dicitur Gethsemani. erat autem ibi hortus, in quem precaturus frequenter uenire consueuerat cum discipulis suis.] nam solitudo
Luc. 6. precationi ac contemplationi est aptissima. quare legis alibi Dominum ascendisse in montem & pernoctasse in oratione Dei. situs etiam ipse loci ad hoc negocium confert plurimum. etenim cum anima constemus ac corpore, & instrumento corporis utatur anima ad munera sua peragenda, loca interdum ipsa adiumento sunt ad animum in cœlestia erigendum. iccirco & manus & oculos sub diuo attollimus in cœlum, ut animus sensus secutus & ipse attollatur. in hac ergo etiam parte præbuit nobis exemplum Dominus, quod imitaremur, & disceremus sępius ab huius uitę tumultibus secedere & uacare Deo. quòd autem frequen
Luc. 21. tissimum hoc esset Seruatori Christo, admonet Lucas, qui ait. [*erat diebus docens in templo, noctibus uerò exiens morabatur in monte, qui uocatur oliuarum*.] cum autem dicat Lucas, Dominum hac nocte uenisse in montem oliuarum, uidetur hortus hic fuisse in eo monte. & pulchrè quadrat, ut figuræ responderet.

nam

nam & Dauid, qui Seruatoris Christi figura fuit, solitus fuerat
adorare Dominum in hoc monte, quod eo præsertim die fecit,
cum à filio regno pulsus fugeret. [*ascendit* (inquit) *Dauid summi-* 2. *Reg.*
tatem montis, ut ibi adoraret Deum.] uenit autem Dominus hac 15.
nocte in hortum illum, ut minorem præberet hostibus capiendi
sui laborem. hoc enim supremæ illi bonitati conueniebat. & [Iu- *Ioã.* 18.
das sciebat locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.]
ut ergo maiorem commodioremque, adde & expeditiorem sui
copiam faceret, uenit hac nocte in hortum, paratus se illis dare,
qui mortem suam uehementer optabant, ut tandem æs à nobis
contractum ipse dissolueret. Huc ubi uentum est, dixit discipulis
suis, [sedete hic, donec uadam illuc & orem. & assumpto Petro & duobus *Mat.* 26.
filijs Zebedæi, cœpit dolore affici, & mœstus esse. tunc ait illis. tristis est ani-
ma mea usque ad mortem. sustinete hic, & uigilate mecum.] tres illos se-
cum assumpsit, quos maioribus in rebus testes solebat admitte-
re. quòd uerò testatur, se ingenti mœrore affici, non ob id acci-
dit, quòd de illa animi alacritate ac promptitudine, qua mori pa
ratus erat, quicquam imminueretur, sed declarat naturæ nostræ
assumptæ ueritatem, quam sinebat in aliorum hominum morem
dolore affici ac mœrore. nam per omnia similis nostri factus est *Heb.* 4.
excepto peccato. quare debuit etiam per omnia, quemadmo-
dum ad Hebræos scriptum est, fratribus similis fieri. Dixit quo-
que discipulis suis. [orate, ut non intretis in tentationem.] in tanta *Mat.* 26.
doloris angustia, qua tam angebatur, ut dolores mortis pati ui-
deretur, non obliuiscitur curam discipulorum, & eos munit, ad
monens ut precationi operam darent, ne inciderent in tentatio
nem. quibus uerbis docemur primum nullam esse debere tan-
tam priuatam molestiam, quæ nos obliuisci eorum sinat, qui no
stræ curæ sunt crediti. deinde singulare perfugium ad superan-
das tentationes esse orandi uirtutem. precando enim propinqui
efficimur Deo, qui cum nobis adest, nihil est metuendum. [*Do-* *Ps.* 117.
minus mihi adiutor (inquit) *non timebo, quid faciat mihi homo.*] &
rursus. [*Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Do-* *Psal.* 26.
minus protector uitæ meæ, à quo trepidabo?] nouerunt, qui huic
negocio sunt familiares, quantum uirium accedat homini, cum
in mediis afflictionibus ad precandum Deum & eius auxilium
implorandum accedunt. atque ut ipse huius facti præberet exem

plum

plum, cum iam adesset hora bibendi amarissimi calicis mortis.
Luc. 22. [auulsus est ab eis, quantus est iactus lapidis.] opinor ut liberius precaretur patrem. & fortasse etiam, ne discipuli, eius animi angu-
Mat. 26. stias contemplantes, grauius affligerentur.] quo cum uenisset, procidit in faciem suam.] Aduertant qui ex uobis in templum ueniunt precaturi, & uix unum genu inflectere dignantur. filius Dei, unigenitus ille rerum omnium creator faciem in terram demittit, qui fecit cœlum & terram, æqualis patri precaturus patrem, humi prosternitur ob patris reuerentiam. homo uerò uermis & puluis & cinis, tam irreuerenter sistit se Deo illum precaturus.
ibidem. Sed uideamus, quid precetur Dominus. [pater mi (inquit) si possibile est, transeat à me calix iste. uerum tamen non sicut ego uolo, sed sicut tu.] quid? nonne sciens ac uolens Dominus ad mortem accedebat? cur ergo deprecari mortem uidetur? sed obserua non esse hæc metuentis aut recusantis uerba, sed significantis, quòd assumpta humanitas pateretur, quodque nisi esset omnino necessaria hæc mors, non secutus esset eorum morem, qui tanquam gloriosi duces, dum se sine causa periculis obijciunt, etiam milites suos frustra impellunt in pericula. acerbissimus (inquit) hic calix est, quem, si humani generis salus pateretur, libens recusarem, sed quando hoc tibi placet, tuam uoluntatem non
ibidem. meam sequar. [& uenit ad discipulos, & reperit eos dormientes.] Non contentus Dominus admonuisse initio ut orarent, etiam interrumpere precationem tantam patitur, ut ostenderet, tum demum precationem nostram habere suos numeros, quando cum proximorum cogitatione utilitatis coniuncta est. cum ergo com-
ibidem. perisset eos dormientes. [dixit Petro. adeo non potuistis una hora uigilare mecum? uigilate & orate, ut non intretis in tentationem. spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.] reprehendit præcipuè Petrum, qui se dudum alijs alacriorem præbuerat, nunc uerò magnificis illis promissis facta minimè respondere. quare admonet iterum, ut uigilent, & orent, ne incidant in tentationem. nam & si spiritus promptus est, infirmitas tamen carnis, quæ deprimere ob imbecillitatem suam spiritum potest, identidem est sustinenda, & diuinum nobis auxilium implorandum assiduis precibus & uigilantibus animis, ut uel tentationis calicem tollat à nobis, uel nos sua bona uoluntate ita corroboret, ut nulli ten-

tationum

rationum magnitudini succumbamus; idque cum semper nobis faciendum sit, tum eo potissimum tempore, quo caput nostrum tentatur, hoc est, principes & pastores nostros uidemus grauissimis persecutionum fluctibus agitari. [Rursus altera uice abiit, & orauit dicens. pater mi, si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. & uenit, & reperit eos iterum dormientes, erant enim oculi eorum grauati.] præterquam enim, quòd ipsa noctis humiditas somnum prouocabat, mœror ingens, quo fuerant oppressi, graues somno reddebat oculos. accidit enim, ut nimius mœror, molestæque cogitationes caput debilitent, ex quo somnus generari solet. quare tanquam eos miseratus, nihil increpat, sed [relictis illis, iterum abiit. & orauit tertio eundem sermonem dicens.] perseuerantiam in orando docet, ut ne unquàm precando defatigemur. quod exemplum imitatus Paulus, cum peteret auferri sibi illum carni adhibitum stimulum, dixit. [*propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet à me.*] quod quamuis non impetrauerit, contentus tamen fuit eo, quod respondit illi Dominus, [*sufficit* (inquiens) *tibi gratia mea.*] quod & nobis faciendum est, cum aliquid petimus, arbitremurque, tum nos exauditos, cum Dei gratia nobiscum est, neque nos deserit, si etiam mala, quæ deprecamur, non auferantur. cum enim uoluntati Dei nostram subijcimus, & nihil uolumus aliud, quàm quod ipse uult, compotes uoti nostri efficimur. quod & ipsi Domino accidit, qui, cum diceret, [non mea uoluntas sed tua fiat,] in hac parte exauditus à patre est. Sed uideamus quid factum sit in hac Domini precatione. [& factus in agonia prolixius orabat, & erat sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.] indicium, quòd maximo correptus angore fuisset, sanguinis sudor est. cum enim aqueus ob aliquam molestiam sudor, ingentem animi afflictionem declaret, ubi ad sudorem sanguinis uenitur, existimandus est tam ingens mœror ac dolor, & tanta animi anxietas, quanta maxima à quoquam excogitari queat. aqueus sudoris liquor superuacuum quid naturæ est, at sanguinis, quo hominis uita seruatur, sudor intimas supremasque animi molestias declarat.

Sed moueat fortasse aliquem, cur ille Dei filius, quo perfectior nemo unquam neque fuit, neque esse poterit, in tantum descenderit angorem in huius bibendi calicis recordatione, cum &

ibidem.

ibidem.

2. Cor. 12.

ibidem.

Mat. 26.

Luc. 22.

apud ethnicos multi, & apud nos tenerrimę etiam uirgines, non solum uiri, grauissimos cruciatus intrepido animo perpessi sint. Dominus uerò sola subeundæ mortis recordatione, tam uehementer conflictatus fuisse uideatur. at hoc ipsum admonet nos, ut accuratius ista cogitemus. si enim Seruator Christus omnem hominum omnium superauit longissimo interuallo perfectionem, & tam ingenti ob cogitationem mortis terrore agitari, non exiguam arguit imperfectionem, profectò liquet, Dominum Iesum non mortis metu, quam tota uita fuerat meditatus, hoc angore fuisse correptum. quid ergo? duo mihi uidentur in causa fuisse, cur hoc ei acciderit. primum quòd in illa precatione, oblata ante oculos animi est ingens illa generis nostri offensio, qua in Deum ac cœlestem patrem peccauit, ad quam tollendam infinita opus esset satisfactione ac pœna. cum uerò molestiæ, quæ animo percipiuntur, superare illas corporis soleant, rectè enim quidam sapienter dixit, [*omnis plaga tristitia cordis est,*] in hoc angore immensas, atque (si dicere fas est) infinitas pœnas luit. neque tamen ociosum fuit, quod præterea in cruce est passus. nam hoc ad plenam oblationem & uictimæ consummationem addendum erat. alterum est, cur tam ingenti affici mœrore uoluit Dominus, quòd præuidebat, fore, ut quàm plurimi imbecilles & uiri & mulieres rapiendi ad tormenta & cruciatus erant, quos eiusmodi terrores aggrederentur. uoluit ergo benignissimus Iesus eos in se pro illis recipere, & pati, quod alij perpeti non potuissent, & q̃ acerbissimam efficere suam crucem, ut nostra nobis leuior efficeretur, ut solent nutrices amara pharmaca pro infantibus bibere, ut eorum uirtus per haustum lactis ab eisdem infantibus sine molestia hauriatur. sic Dominus, quem fideles dolorem in tormentis sensuri erant, eum ipse illorum causa sustinuit. Potuit & alia causa hoc accidisse, ob exemplum uidelicet. cum enim non omnes simus constantissimi, siquidem plerique, aut propter ætatem, aut propter sexum, aut propter educationem, atque innumerabiles alias ob causas, quamuis exiguum mali periculum formidamus. Oportebat igitur, ut qui & Dominus & magister & dux omnium erat futurus, omnibus item æquè se tanquam exemplar, partibus suis ac numeris omnibus absolutissimum ac perfectissimum proponeret

Eccl. 28.

imitandum. iccirco se cunctis solatiis spoliauit. omnes abiecit consolationes, & cuiusuis infantis ac mulierculæ imbecillitate su sceptа, aduersa omnia non subire solum sed perpeti uoluit ac superare. quem enim unquam puerum, quam ita uecordem, ita nullis animis, ita formidolosam fœminam uidistis, quæ ullo in discrimine, quamuis horribili ac metuendo sic expauesceret, ut sudor sanguinis consequeretur? attamen si cuipiam id etiam aliquando contingeret, ostendere uoluit, Diuinæ semper obtemperandum esse uoluntati, nec ab ea ulla unquam, licet in specie iusta de causa recedendum. In hac Domini Iesu mœstitudine apparuit illi angelus de cœlo corroborans illum. Dominus angelorum, quia paulum quid per acceptam naturam nostram minor effectus fuerat angelis, non recusat angeli consolationem, quamuis illa non egeret, cum omnia, in quibus erat, æquissimo animo pateretur. sed ut hoc exemplo disceremus fidere Dei prouidentia, qui, cum semper nos nostraque curet, tum præcipuè curæ illi sumus, cum in molestissimas incidimus tentationes. quod beneficium expertus psaltes aiebat. [*secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*.] Quibus autem uerbis usus angelus sit, unusquisque apud se piè meditetur, quid fuerit angelo consentaneum dicere ei, qui in tam ingenti animi angore esset positus. potuit autem sermo esse huiuscemodi. se è cœlesti patre missum, qui mœrorem illius maximum intuens, iuberet illum bono esse animo. se enim accepisse acerbissimum illum dolorem in odorem suauissimum, & uelle, ut esset pretium pro totius generis hominum redemptione, & ob illas unigeniti pœnas satis sibi esse factum. quare pergeret, quod erat reliquum, atque intrepido animo in crucem agi se pateretur, quam ea gloria esset consecutura, quæ omnem non hominum solum, sed angelorum etiam gloriam esset superatura. fore enim mox, ut illum Deus in ingentem efferat celsitudinem, & [*in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum*.] hanc esse horam, quam pij omnes, qui à mundi exordio fuerunt, expectarunt. nunc cœlum, & cęlestes omnes illarum Diuinarum mentium ordines attentissimè contemplari magnificum opus, quod operaturus esset in medio terræ, quo peracto

Psal. 8. *Heb.* 2. P*sal.* 93. Phi. 2.

omnes facto agmine ascensuro in cęlum occursuros, & tanquam regem suum deducturos ad paternæ dexteræ consessum. Huius generis uerbis potuit angelus alloqui Dominum ac corroborare, cum cerneret illum facie in terram demissa prolixius in illo angore animi patrem precari. quem uelim sæpius intueamini hoc in statu positum. referebat enim genus nostrum, & illius scelera ante oculos proponens, tanta ac tam horrenda intuebatur, ut faciem occultare cogeretur, neque auderet illam in cęlum attollere. quòd si hac humilitate innocens ille agnus, [*qui peccatum* Esa. 53. *non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*,] est usus; quid nobis faciendum est, in quibus [*à planta pedis usque ad uerticem non est* Esa. 1. *sanitas*?] quàm nos coram Deo & hominibus deiicere? nunc uerò contrarium facimus, & omni ex parte arrogantiam præ nobis & impudentiam ferimus, nullam submissi animi præbemus significationem, neque unquam cogitamus, quàm turpe sit, eos erecta ceruice ingredi, ob quorum scelera filius Dei patrem orans, uultum in terram demittere cogebatur. hæc cogitatio semper quidem in omni uitæ consuetudine, sed tum præcipuè habenda est, cum siue priuatim siue hic in templo Deum sumus precaturi. His peractis cum surrexisset Iesus à deprecatione, uenissetque ad discipulos suos, reperit eos dormientes præ mæstitudine, atque ad tres primum discipulos uenit, & cernens eos egere somno, iussit, ut quod reliquum esset temporis dormirent, dum Iudas cum satellitibus ueniret, quod amantissimæ curæ, & plusquam materni erga discipulos affectus indicium fuit.
Mar. 14. quo peracto spatio dixit. [satis est, surgite.] & cum ijs uenit ad re-
Luc. 22. liquos, & illis dixit. [quid dormitis? surgite & orate, ut non intretis
Mar. 14. in tentationem. ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. surgite, eamus. ecce qui me tradet, & prope est.] primum contemplemur alacrem Domini animum, qui promptè occurrebat ijs, à quibus esset capiendus. deinde qui discipulorum animus esse debuerat, cum cernerent, magistri faciem guttis sanguinis irrigari, & audirent, propinquos esse eos, à quibus capiendus & tradendus in mortem esset. quid præterea admonuerit eos, ut scilicet orarent, non ut magister liberaretur, sed ne ipsi intrarent in tentationem. non enim semper impetranda est à malis, atque aduersis liberatio, sed petendum, ne in il-

his aduersis succumbamus, & cadamus animis. [Adhuc eo loquen- Luc. 22.
te, ecce turba, & qui uocabatur Iudas unus è duodecim antecedebat eos, &
appropinquabat Iesu, ut oscularetur eum.] ex hoc facto colligi facile
potest, hunc morem fuisse Domino, ut quoties discipuli aliquò
mitterentur, cum redirent, oscularentur magistrum. quod
sciens Iudas, occasionem hinc accepit indicandi illum ministris,
qui missi fuerant ad capiendum eum. idcirco dixit. [quemcunque Mar. 14.
osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.] fortasse uereba-
tur scelestus, ne, si Dominus elaberetur ex eorum manibus, tri-
ginta illi argentei in quæstionem uenirent, quasi non illum ple-
nè tradidisset, cogereturque illos restituere. quòd autem Iudas
ministros illos antecedebat, uidetur & hoc factum fuisse malitio-
sè, ne uidelicet uideretur ipse cum illis uenisse, aut eorum dux
fuisse. uenit ergo, & osculans Iesum ait. [aue rabbi.] Dominus Matt. 26
uerò quid? non refugit proditoris osculum, sed amicum etiam Mar. 14.
appellat, & amicè admonet dicens [Iuda osculo filium hominis pro- Luc. 22.
dis?] O supremam Domini Iesu benignitatem, ò nostram non
ferendam superbiam. ille omnium Dominus tantam discipuli
impudentiam non auersatur, & ad osculum proditorem, eo ipso
prodendi actu admittit. nos iniqui serui conseruum nostrum,
ubi paulum quid nos offenderit, etiam colloquio nostro indi-
gnum iudicamus, nedum ut ad osculum admittamus. huc huc
animum aduertite. singulare ueri amoris & reconciliatæ amici-
tiæ signum est osculum, & hoc ipsum signum afferre Seruator
non recusauit, & eo ipso momento, quo prodebatur, declarare,
quòd minimè staret per se, quo minus Iudam haberet amicum.
Vbi sunt ij, quos sæpe audio blasphema illa uerba proferre. cum
enim læsi ab aliquo sunt, atque à me admonentur, ut in gratiam
cum inimico redeant, refugiunt hoc facere, aut non prius fa-
ciunt, quàm plures menses & annos interdum permanserint ob-
stinati. dicunt enim probrosum esse, nimis citò remittere offen-
siones, & inimico reconciliari. ò uerè blasphemam uocem, &
animum à Christo & eius philosophia alienissimum. audes co-
gnomen à Christo acceptum circunferre, cum interea factis ipsis
declaras, te illius legibus inimicissimum? quo pacto tam impu-
dentia scelera sunt ferenda? si Christum regem tuum agnoscis,
cur exempla illius magnifica non imitaris? sin alienus ab illius
doctrina

doctrina esse uis, cur mentiris aduersus tantam maiestatem, & audes te Christianum appellare, cum tam apertè Christo aduerseris? Si admiranda hæc ante oculos uestros exempla sępius poneretis, non esset tantus labor à me exercendus, cum uos inuito ad amicitiam reconciliandam. sed quemadmodum hactenus probrosam rem existimauistis, citò in gratiam cum inimico redire, contra iudicaretis, rem esse ignominiæ plenam, non mox redire, sed expectare, dum non Christi amor, sed necessitas aliqua

Ioan.18. ad pacificationem uos inuitaret. [Iesus ergo sciens omnia, quæ uentura essent super se, processit, ac dixit eis. quem quæritis? responderunt ei. Iesum Nazarenum. dicit eis Iesus. ego sum. stabat autem & Iudas, qui prodebat eum, cum ipsis. ut ergo dixit. ego sum. abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.] quod ad Iudam attinet, obseruandum est, magnam afferre uim animis conscientiam. quamuis enim antecessisset eos, quibuscum uenerat, quasi non cum illis esset, amicumque se simulauisset, conscientiæ tamen facibus exstimulatus, non est ausus se iam cum discipulis coniungere, sed ad hostium partes se recepit. quòd uerò ad uocem Domini, cum dixit, [ego sum, omnes abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.] primum hoc ipsis hostibus prodesse poterat, ut agnita eius maiestate resipiscerent, atque ab errore aliquando reuocarentur. deinde ostendit se non inuitum sed sponte pati mortem, cum declarauisset, se habere eam potestatem, ut, si uellet, á nemine lędi posset. interea cogitemus, quàm terrifica erit peccatoribus illa in iudicio, Christi maiestas, cum ueniet in illa gloria iudicaturus orbem omnium terrarum, si, quo tempore se aliis præbebat iudicandum, tantam præ se potentiam tulit, ut solam illam uocem, cum dixit, [ego sum,] ita exhorruerint, ut stare in gradu suo nequiuerint, sed retrorsum acti ceciderint in terram. qui peccatorum terror futurus est, cum audient illum in sua maiestate, uallatum

Matt.25 exercitibus angelorum, in conspectu totius orbis terræ, proferentem horrenda illá uerba, [*ite maledicti in ignem æternum*.] ista nunc sunt cogitanda, dum tempus est, & cum fructu uersare ista animo possumus. tunc enim nihil proderunt. nunc uerò si

Psal.90. cogitentur, fiet, ut liberemur [*de laqueo uenantium* animas nostras Dęmonum, *& à uerbo aspero*.] uerè enim asperum uerbum erit, audire, peccatores in ignem, qui nullum finem sit habiturus,

rus, esse coniiciendos. hic nihil fuit illis interminatus, & tamen ad simplicem illam uocem, [ego sum,] tanto correpti terrore fuerunt, ut retrorsum agerentur, & in terram ruerent. illic uerò seuerissime sententię, & qua nulla excogitari seuerior potest, pronuntiatio, quam uim erit habitura? Ij ergo, & si nihil tunc profuit illis miraculum declaratę huius potestatis & maiestatis, iuuari tamen hoc facto potuerunt, cum audita illius resurrectione, & collato hoc exemplo, quod fuerunt experti, cum fama resurrectionis, facile fuit credere, rem ita se habere, & resipiscere ab errore, atque ad pœnitentiam conuerti. Iesus itaque cernens illos obstinato animo ad se capiendum esse, cum fecisset, quantum satis esse poterat ad illos sui erroris admonendos, neque impedire uellet opus nostræ salutis, ob quam factus fuerat homo, iterum interrogauit eos, [quem quæritis?] attoniti redditi fuerant, ut uix apud se essent, quare iudicauit Dominus noua opus esse interrogatione. illi autem dixerunt. [Iesum Nazarenum. respondit Iesus. dixi uobis, quòd ego sum. si ergo me quæritis, sinite hos abire. ut impleretur sermo, quem dixerat. ex ijs, quos dedisti mihi, non perdidi quenquam.] neque dubitandum est, hoc Domini imperium uim habuisse in eorum animis, ne auderent in discipulos manus inijcere. seruari autem eos tunc uoluit, ut sua prædicatione prius implerent mundum, quàm pro Christo mortem oppeterent. ostenditque etiam post ascensum in cœlum, se ita suos curare, ut nunquam, nisi se uolente ac permittente, lædi potuerint. quod declarauit, cum & apostolos omnes, & seorsum Petrum per angelum è carcere eduxit. quæ res animare nos debet, ut abiecto omni metu ac solicitudine, totos nos eius curæ & prouidentiæ committamus. [*proijce* (ait psaltes) *onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet.*] [Videntes autem ij qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei. Domine, percutiemus ne gladio?] [Simon ergo Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. erat autem nomen seruo Malchus.] uidentes (inquit) quod futurum erat. quòd uidelicet, si Dominus in eorum manus ueniret, malè esset tractandus, cogitauerunt cohibere illorum uim, eoque magis animati sunt, quòd in sermone in cœna habito dixerat uenden-

Ioan. 18.
Act. 12.
Ps. 54.
Luc. 22.
Ioan. 18.

uendendum esse pallium & emendum gladium, quòd & si
non hoc animo dixisset Dominus, & licet non nihil de uo-
luntate eius ambigerent (nam iccirco interrogarunt, & dixe-
runt, [Domine percutiemus ne gladio?)] non expectato tamen re-
sponso magistri, Petrus alijs feruidior, [exemit gladium, & abscidit
auriculam serui pontificis.] nam assequi eum pleno ictu ita, ut uole-
Luc. 22. bat, non potuit. quo uiso [Iesus dixit. sinite usque huc, & cum tetigis-
set auriculam eius, sanauit eum.] Intuere benignitatem Domini:
non recusat sanitatem præbere hosti, etiam non rogatus. quæ
res idonea esse poterat ad eorum furorem coërcendum. inte-
rea contemplare potentiam Domini, qui quoniam iusserat, ne
quenquam suorum læderent, non ausi sunt illi ulcisci Petrum.
Ioa. 18. [Dixit autem Iesus Petro. immitte gladium tuum in uaginam, nam omnis
Mat. 26. qui acceperit gladium, gladio peribit. an non bibam poculum, quod dedit
Ioa. 18. mihi pater? an putas, quod non possum nunc rogare patrem meum, & exhi-
Mat. 26. bebit mihi plus, quàm duodecim legiones angelorum? quomodo ergo imple-
buntur scripturæ, quòd sic oportet fieri?] Quod ait, accipientes gla-
Nu. 35. dium gladio perituros, hoc ex lege est, quæ iubet, ut homici-
da interficiatur. in illis autem uerbis, quòd posset rogare pa-
trem, qui daret sibi [plus quam duodecim legiones angelorum.] duo
in primis obseruanda sunt. unum, quòd & si posset ipse, ut
æqualis patri, imperare per se exercitibus angelorum, retulit
tamen hoc ad patrem de more, ut audientium capacitati sese
accommodaret, qui solam humanitatem intuebantur. alterum,
quòd hic ostenditur, orationem illam factam patri non fuisse ob
mortis metum, quam, si uoluisset, potuisset euadere. nam hic
profitetur, se habere potuisse [plusquam duodecim legiones angelorum,]
2. Par. quamuis unus satis fuisset aduersus omnem uim. quod de-
32. claratum fuit, cum angelus unus nocte una interfecit in exer-
citu Senacherib [*centum octoginta quinque millia hominum*.] dixit
autem duodecim legiones pro apostolorum numero. quasi di-
ceret. non opus est uestro auxilio, cum, si uellem, habere pos-
sem plures legiones angelorum, quàm uos estis numero [quo-
modo ergo (inquit) implebuntur scripturæ, quòd sic oportet fieri?] scri-
pturę sacræ oracula Dei sunt, quæ uiolari non est fas. quare pro-
fuerit & nobis in aduersis præsertim obseruare quid in eis scri-
2. Ti. 3. ptum sit, ut, cum dicitur, [*omnes qui piè uiuere uolunt persecu-*
tionem

tionem passuros,] non tanquam rem nouam expauescamus, aut admiremur, cum euenerit. [Dixit autem Iesus ad eos, qui uenerant ad se, principes sacerdotum ac magistratus templi & seniores. tanquam ad latronem ex istis cum gladijs ac fustibus, cum quotidie uobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me. sed hæc est hora illa uestra & potestas tenebrarum.] sed ista fiunt, ut impleantur scripturæ. Miserant aliàs pharisæi ac principes sacerdotum ministros, ut apprehenderent eum, qui solis illius uerbis uicti reuersi sunt re infecta. cum autem reuersi interrogarentur, cur illum non adduxissent, responderunt. nunquam locutus est homo, sicut hic homo. uidentur ergo nunc isti metuisse, ne, si ministros duntaxat misissent, idem accideret. quare uenernnt & ipsi simul cum ministris, quos non dedignatur Dominus admonere, quàm indignè fecissent, qui, cum possent interdiu illum capere, noctu sicut ad latronem accesserint. sed hoc crimen demum reijci in ipsos; qui, cum filij tenebrarum sint, tenebris gaudeant. hæc autem fieri, ut scripturæ impleantur: quę uerba si non tunc, certè post eius resurrectionem prodesse illis poterant, cum audirent Petrum dicentem. [*nunc fratres scio, quòd per ignorantiam fecistis, sicut & principis uestri. Deus autem, qui prænuntiauerat per os omnium prophetarum Christum passurum; impleuit sic.*] nam collatis inter se his rebus & uerbis, facile erat eos ad fidem conuerti. sic non cessabat benignissimus Iesus etiam, tunc, cum inijciebant manus in eum, saluberrima illis monita præferre. Apostoli uerò cernentes Dominum nolle illos defensione ulla pro se uti, pauidi ac sibi metuentes [relicto illo fugerunt & unusquispiam adolescentulus sequebatur illum, circumamictus sindone super nudum, & comprehenderunt illum adolescentuli, ille uerò relicta sindone nudus effugit ab illis.] In apostolorum fuga impletum est, quod illis dudum dixerat Dominus, [uos omnes hac nocte scandalum patiemini ex me. scriptum est enim, percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.] quis uerò fuerit ille adolescens, nihil certi habetur. sunt qui putent illum fuisse ex ea domo, ubi pascha eadem nocte comederant. at quicunque is fuerit, non frustra narratur hoc ab Euangelista. uidetur autem ostendere uoluisse temporis conditionem, quo is, qui pretium est omnium, ita nullo in pretio erat, ut mallent homines nudi fugere, quàm deprehendi cum illo esse. quod & nunc multi faciunt, qui malunt omni uirtute ac bono spoliati,

Luc. 22.

Act. 3.

Mat. 14.

Mat. 26.

quàm sequi crucem Christi. an nudi non effugiunt, qui relinquentes Euangelica monita, opes, honores, mundi gloriam, lasciuiam carnis, dissolutas quasuis appetitiones amplexantur? hæc enim hominem ueris bonis expoliant. Verum quando imbecillitas mea non patitur, ut totam perpetua oratione historiam Dominicæ passionis persequar, hodie satis erit hucusque peruenisse. interea uos ea, quæ dicta sunt, tanquam munda animalia ruminantes, succum elicite, qui transmissus ad animi interiora, illum & roboret, & ad reliqua audienda reddat capaciorem. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO QVADRAGESIMA.

De passione Domini Seruatoris.

TOTA quidem Seruatoris Christi uita, factaque eius omnia ac uerba absolutissimum humanæ uitæ exemplar sunt, uerum ea pars, in qua opus consummauit, quod sibi à patre fuerat demandatum, ut ope-
Ps. 73. raretur salutem in medio terrę, & ab impijs ad mortem eamque crucis est raptus, multò est insignior, & quæ præ oculis habenda est, non per hosce tantum dies, quibus eius fit commemoratio, sed toto anno singulisque diebus. quę res multò est
Mat. 16. utilissima ad id præstandum, quod requirit à nobis Dominus,
Luc. 14. ut feramus crucem post eum. magna est enim meditandę huius Dominicæ passionis uis, ut rectè uir quidam pius, & huius exercitij peritus dixerit. Scit quicunque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, quantum Dei seruum & seruum redemptionis Christi deceat, & utile ei sit, una saltem aliqua diei hora, passionis & redemptionis ipsius attentius recolere

lere beneficia, quod est spiritualiter manducare corpus Christi, & eius sanguinem bibere. atque hoc est, quod scribitur ad Hebræos. [*per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem & consummatorem Iesum, qui pro proposito sibi gaudio pertulit crucem ignominia contempta.*] reputate enim, quòd is talem sustinuerit à peccatoribus aduersus se contradictionem, ne defatigemini animis cadentes. Sed uideamus quæ sequuntur. [cohors igitur & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. erat autem socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. erat autem Caiphas is, qui consilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo.] Cum fecisset omnia Dominus, quæ ad reprimendum eorum furorem satis esse abundè poterant, neque tamen quicquam profecisset, capi se sinit. quo docemur, cum res nobis cum aduersarijs agenda est, cogitandum esse in primis de illorum salute, qui si obdurati perseuerent in malitia, ferendam potius quàm inferendam esse iniuriam. Ducitur ergo uinctis post tergum manibus is, qui peccatorum uincula soluere uenerat, ut arrogantiam nostram deijciat, qui tumidi in minima quaque aduersus nos offensione, & elati incedere consueuimus. ducitur ad Annam primum, qui illum mox ad Caipham misit. uidetur autem meminisse prophetiæ à Caipha prolatæ, uel, ut lucem afferret historiæ, uel ut ostenderet hæc pati Dominum pro salute mundi, quam ab eo parandam etiam hostis dixisset. quámuis ignorans quid diceret. [Sequebatur autem Simon Petrus & alius discipulus. discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. exiuit autem discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.] Discipulus ille, quem sine nomine ponit, Ioannes ipse est, & ob modestiam nomen suum conticet, ac præterea addit, notum illum fuisse pontifici, ne, cum dicit, illum introijsse cum Iesu in atrium pontificis, uideretur id dixisse ob iactantiam, quasi hoc uirtute animi factum esset. ait ergo, se introire ausum fuisse ob familiaritatem, quam habebat cum pontifice, non quòd cæteris esset animosior. [Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. non & tu ex discipulis es hominis istius? dicit ille. non sum.] ancilla illa uidetur interrogasse Petrum non contumeliosè, neque ut eum proderet, sed potius cum misericordia, uel certè ob solam curiositatem, siue ut sciret,

Heb. 12.

Ioan. 18.

ibidem.

quid uellet, ac quam ob causam introducere eum deberet. at ille sibi timens negauit se esse discipulum Iesu, is, qui dudum longè maiorem, quàm cæteri omnes, præ se constantiam tule-
Mat.26. rat, dixeratque, [si omnes scandalizati in te fuerint, ego nunquam scan-
ibidem. dalizabor.] &, [si etiam oportuerit me mori tecum, non te negabo,] ad unius ancillæ uocem dat manus, seque discipulum eius esse negat. quod maximo nobis exemplo esse debet, ne unquam nobis nostrisque uiribus fidamus, sed suspectam semper fragilitatem nostram habeamus, totique à Deo & eius adiutorio, cura, prouidentia pendeamus. meminerimus nos (quemad-
Ioan.15. modum dixit Dominus) esse palmites, & Christum uitem, à qua nisi perpetuus in palmites succus influat, mox arescit, neque ulli usui est, nisi ut in ignem mittatur & comburatur.
1.Cor.10 [*qui stat* (ait Paulus) *uideat ne cadat*.] & rursus. *considerans te ipsum, ne & tu tenearis*.] quare imbecillitatem nostram ante oculos habentes, cum timore & tremore nostram ipsorum ope-
Ps.58. remur salutem, & identidem dicamus cum propheta, [*fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu Deus protector meus es*.]

Docemur præterea hoc exemplo non fidere humanis pollici-
Esa. 36. tationibus, quæ sunt ueluti baculus arundineus, ut ait Esaias,
Ps. 145. cui siquis innitatur, frangitur, & manum perforat. [*nolite confidere in principibus* (ait psaltes) *in filijs hominum, in quibus non*
Ioa. 18. *est salus*.] [stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. erat autem Petrus stans, & calefaciens se.] negauerat quidem Petrus coram ancilla, se esse discipulum Iesu, sed labijs tantum negauerat, quamuis sic etiam peccasset. nam
Rom.10. [*corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.] labijs inquam solis negauerat, uerum cor erat magistri amore inflammatum, & stabat cum ministris, ut exitum rei intuere-
Ioa. 18. tur. Interea [pontifex interrogauit Iesum de discipulis eius & de doctrina ipsius. respondit Iesus. ego palam locutus sum mundo. ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in oculto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis. ecce ipsi sciunt, quid dixerim ego.] De discipulis non respondet, uel quia satis erat respondere de doctrina, ob quam discipuli secuti eum fuerant, uel, si hoc petebat, ut sciret ubi essent, pepercit eorum infamiæ. oportuerat enim dixisse, se ab eis fuisse derelictum. respondet ergo pontifici, & admonet eum, non hoc pacto facien-

dam

dam esse interrogationem, sed uel oportere arguere de falsa doctrina, uel, si rescire uellet ueritatem doctrinę suæ, non se esse interrogandum, sed eos, qui se docentem audiuissent, se enim palam fuisse locutum, neque quicquam seditiosum tractauisse, quod qui faciunt, quærunt latibula, neque palam audent loqui. quod uerò ait, se nihil in occulto locutum fuisse, intelligit, se nil dolosa & occulta mente tradidisse, & quæ interdum seorsum discipulis dixisset, non esse ab iis dissona, quę in aperto turbis proposuisset. facit ergo ipsos hostes testes ac iudices suæ doctrinæ, quòd synceri ac sua integritate fidentis animi indicium est. [Hæc cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens, sic cine respondes pontifici?] *ibidem.* O impudentiam. quo ergo alio eum pacto uolueras respondisse? censes, si de doctrina interrogatus, accersisset à capite totius doctrinæ suę summam, eum aut auditum fuisse, aut quicquam profecisse? breuiter admonet, ut eos interroget qui audierant, à quibus solis certa huius rei ueritas sciri posset, & ob hanc causam alapa cæditur. nam plena ignominiæ percussio est, cædi alapa, quam ignominiam homines pluris facere solent, quàm si uulnera infligantur. at Iesus quid? [si male *ibidem.* (inquit) locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?] indefessam Domini erga homines charitatem. uide enim, ut quibusuis iniuriis offensus, nunquam tamen docere cessset. reprehendit enim illum, quòd non legitimè faciat, qui recto rationis & legum ordine non utatur. hoc exemplum ponendum uobis ante oculos esset ciues mei, qui non dico ad alapę percussionem, sed ad minimum uerbum, quod uestro iudicio minus circunspectè pronuntiatum sit, excandescitis, & euaditis furiosi. contemplemur illam filii Dei maiestatem tam insigni iniuria affectam ob uerba rectè dicta. nos uerò si etiam in proximum peccauerimus, recusamus tamen uel asperius uerbum audire. quis hoc exemplum attentè intuens, non quęuis probra ęquissimo animo perferat? quis uel mediocriter affectus Christo, non dico ęquo animo ferat, sed non optet, se tanto Domino socium fieri in contumeliis, probrisque, & iniuriis omnibus perpetiendis? sed nunquam cum tempus est, hæc ante oculos ponimus; & ignauorum militum in morem, cum pugnandum est, arma proijcimus, his enim tunc armari nos oporteret, cum iniuria

quapiam

quapiam afficimur, quod si fieret, non essemus tam à Christi exemplis imitandis, & sequenda eius doctrina alieni. quis enim, si nos bene penitus in hanc philosophiam daremus, non rem gloriosam iudicaret, tanti regis esse imitatorem? Simul illud cogita, in domo principis sacerdotum Dominum Iesum tanta cum iniuria cędi, quod & nunc fit. nusquam enim maioribus probris Christus afficitur, quàm in principum domibus, & eorum, qui humana potentia ac gloria intumescunt. ij enim in primis

Esa. 30. sunt, de quibus ait Esaias. [*qui dicunt uidentibus, nolite uidere, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. loquimini nobis placentia, uidete nobis faceta, auferte à me uiam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.*] Fugite charissimi principum aulas, in quibus tam probrosè Iesus tractatur, in quibus princeps apostolorum Petrus metu perterritus Christum negauit. neque quisquam se existimet Petro fortiorem, nisi uelit idem, quod Petro accidit, experiri. Dum hæc fierent, [stabat Simon Petrus & calefaciebat se. dixerunt ergo ei, num & tu ex discipulis eius es? negauit ille, & dixit, non sum. dicit ei unus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius absciderat Petrus auriculam. non'ne ego te uidi in horto cum illo? iterum ergo negauit Petrus, & statim gallus cantauit.] Oppressus Petrus à uehementi metu, oblitusque magnifica sua promissa, tertio negat, se nosse illum. quàm multi uestrum, quos nunc uideo mirari lapsum Petri, idem non ter duntaxat per totam uitam, sed quotidie peccant, & negant Iesum, idque non metu mortis, sed exiguæ pecuniæ amittendæ? minimi incommodi uitandi? quoties enim, ut priuatis appetitionibus obsequaris, Euangelica præcepta prætermittis, toties negas Iesum. quibus uerbis ut maiorem habeas fidem, atque ita esse credas, audi

Ioa. 18.

Tito. 1. quid scriptum sit. [*fatentur se nosse Deum, factis autem negant.*] & multò detestabilius est hoc, quàm quod à Petro est factum. is enim etsi dixerit, se non nosse Iesum, intimis tamen affectibus eum diligebat, uos uerò ipsis factis ostenditis, uos animo in eum esse abalienatissimo. quare illius negatio in ore fuit, uestra è corde proficiscitur. [*de corde enim* (inquit) *exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia,*] quę cum ex cordę exeant, etiam ex corde negationem rectè diximus proficisci. neque uerò existiment mulieres, se huius negationis

Mat. 15.

expertes esse. quin potius uereor, ne illæ in primis huic peccato sint obnoxię. cum enim audierint à me toties, superuacuos illos ornatus, tantam uestium supellectilem, illa faciei pigmenta, fucatam faciem, intortos crines, & alia, quæ Petrus & Paulus apostoli detestantur, Christi legibus aduersari, neque tamen ab illis patiuntur auelli, hoc quid est aliud, quàm dicere, non noui Iesum? hoc uos terruit? neque iniuria sanè. magnum est enim, mulieres, quæ præ cæteris profiteri pietatem solent, tam diu Christum negasse, neque id hactenus intellexisse. quare resipiscite iam, & uestrum errorem incipite tandem aliquando agnoscere, & contrarijs factis posthac ostendite uelle uos Iesum agnoscere, faciteque & uiri & mulieres; quod de Petro scriptum sequitur. [Conuersus (inquit) Dominus intuitus est Petrum, & recordatus est Petrus uerbi Domini, quod dixerat ipse. prius quàm gallus cantet, ter me negabis. & egressus foras Petrus fleuit amarè.] In mediis uinculis positus Dominus, non obliuiscitur etiam negantis discipuli, & solo intuitu admonet eum erroris sui. Petrus uerò in se reuersus, amarè peccatum suum deflet, neque posthac unquam negauit. idem nobis faciendum est. nam qui peccata excusant, & exemplum Petri proponunt, cernant etiam quo cum pœnituerit pacto, & ita peccatum defleant, ut posthac ad illud non reuertantur. alioqui dicetur de illis quod quidam sapiens dixit. [*qui baptizatur à mortuo.*] hoc est, qui lauatur post contactum mortui, [*& iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius?*] [Principes autem sacerdotum & seniores, & totum concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent, & non inuenerunt. & cum multi falsi testes accessissent, non inuenerunt.] Vbi quis in peccati se manus tradidit, deinceps præceps fertur. ecce enim isti non testimonium, sed falsum testimonium quærunt, neque intelligunt, hoc sibi in maximum dedecus redundaturum. ita uerum est, eum, qui in tenebris ambulet, nescire quo uadat. idem quotidie plerisque uestrum accidit, ut qui semel peccandi animum induerit, peccata peccatis addere non uereatur: offirmauit quis animum, ut diues fiat? in fraudes mox, mendacia, periuria, lites, contentiones, odia incidit, eadem est aliorum uitiorum ratio. [Multi falsi testes (inquit) testimonium dixerant aduersus illum, dicentes, nos audiuimus illum dicentem, ego diruam templum hoc, quod est manibus factum, & tribus

Luc. 22.

Eccl. 34.

Mat. 26.

Mar. 14.

diebus

diebus aliud sine manibus factum exstruam.] & ne sic quidem satis idonea erant testimonia illorum. nam non dixerat Dominus se destructurum templum illud manibus hominum factum, sed
Ioan.2. dixerat solum, [soluite templum hoc, & intellexerat (ut ait Ioannes Euangelista) de templo corporis sui,] quod dissolutum à Iudæis,
Mar.14. ipse ad immortalem uitam tertio die esset excitaturus. [Et surgens summus sacerdos in medium, interrogabat Iesum dicens, non respondes quicquam? quid isti aduersus te dicent testimonia? at ille tacebat, nec quicquam respondebat.] nam nec uenerat, ut se tueretur, & nihil eius
Luc.22. uerba profuissent, quemadmodum ipse dixit. [si uobis dixero, non credetis, quod si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimit-
Matt.26 tetis. & respondens princeps sacerdotum ait illi. adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, an tu sis Christus filius Dei.] Hic respondendum à Christo fuit, præsertim cum per Deum uiuum fuerit adiuratus, neque tacenda tunc fuit ueritas. & sanè nunc tempus erat huius ueritatis declarandę, nam si tunc se aperuisset, cum à populis celebrabatur, factus fuisset rex, & creditum à posteris esset, illum non uerè Christum esse, sed populari quodam fauore regnum inuasisse. nunc uerò cum nullus esset eiusmodi turbarum metus, cum in hostium manibus esset, iam ad mortem rapiendus,
ibidem. profitetur se esse Christum, & ait, [tu dixisti. ego sum, & dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua dicens, blasphemauit, quid adhuc, egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam eius. quid uobis uidetur? at illi responderunt, reus est mortis.] Si pontifex & summi illi sacerdotes operam dedissent scripturis sacris,
Mat.23. & uacassent (ut ait quidam sapiens) in prophetis, neque amassent primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & uocari ab hominibus Rabbi, reperissent in Daniele, quod hic de se Dominus dicit. ait enim Daniel. [*uidebam sicut filium hominis uenientem in nubibus*.] nunc uerò cæci ac perciti odio, quia hoc non intelligebant, blasphemasse illum criminantur, qua si Diuinum sibi honorem uendicare uoluisset. nihil enim quærebant aliud, quàm ut occasionem aliquam inuenirent, qua illum
Mat.26. perderent, quod uerba pontificis declarant, cum dixit. [quid adhuc egemus testibus? tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes. uaticinare nobis Christe, qui est, qui te percussit?] Obsecro uos per hunc, qui ista pro nobis

nobis patitur, Dominum Iesum Christum, ut totum animum atque omnem mentem huc aduertatis, attentiusque intueamini, quæ hic fiunt. quod enim unquam uilissimum mancipium tanta cum ignominia tractatum fuit, quanta filius Dei, cui flectunt genu cœlestia, terrestria, atque inferna, affectus fuit? facies illa, quæ cœlum & cœlestes illas mentes sua præsentia exhilarat, alapis cęditur, atque adeo sputis conspurcatur, quo quid excogitari contemptius potest? quid enim magis est abominandum, quàm sputis faciem fœdari, quod solo auditu horrorem parit? rursus obtestor uos per hunc eundem Dominum, ut quoties grauissima uos aliqua iniuria affectos existimatis, ad hoc exemplum referatis animum. quod si fiat, quænam erit tam insignis iniuria, quam ęquissimo animo non perferatis? quæ enim tam fœda ignominia accidere cuiquam potest, quæ hanc æquet? peti colaphis, cædi alapis, fœdari sputis. O nostram non ferendam superbiam, ò Christianos prolapsos mores. audet qui Christum profitetur, ad leuissimam quanque offensionem excandescere, cœlum ac terram mouere, neque unquam uenit illi in mentem, quàm probrosa Christus, quem profitetur, & à quo acceptum cognomen circunfert, non pro se sed pro genere nostro sit passus. erubescamus tandem aliquando puluis & cinis tam impudenter insolescere, & erigere ceruicem, quando omnipotens ille unigenitus cœlestis patris tam admiranda tolerantiæ exempla nobis præbere non est dedignatus. quod ut assequamur, tuum benignissime Iesu auxilium imploro. da primum mihi, ut imitandi tui gratia, amem hæc probra, his honester. neque enim ornamenti genus in hac uita ullum reperiri honestius potest, quàm tua regis maximi insignia ferre. effice præterea, ut hic populus idem intelligere incipiat, neque tam facile ad quascunque iniurias irritetur, atque illud auersetur, quod præcipuè amplexandum esset homini Christiano. huc hodie ciues mei, huc animum defigite. & prius quàm ex hoc templo egrediamini, statuite apud uos, uelle posthac quaslibet quamuis grauissimas iniurias tolerare, & non rem probrosam, ut hactenus factum est à uobis, sed honorificentissimam existimare, probris & damnis pro Christo affici. hæc summi regis, & regis regum insignia sunt. quis uerò regis sui insignia ferre, inuentus unquam est erubuisse? at hæc

Phili. 2.

Christi omnium regis insignia sunt, probra, alapæ, colaphi, sputa, crux, quæ qui erubescit, quo pacto is se Christianum audet profiteri? tanto uerò hoc libentius præstare debemus, quòd hæc ipse innocentissimus iniustè pro nobis est passus, nos uerò siquid patimur, totum uitiis nostris atque peccatis referre acceptum debemus. & tamen ille sic accipiet, perinde quasi pro ipso duntaxat, non ob peccata nostra pertulerimus. [Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent, & uinctum eum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.] ut scilicet impleretur, quod prædixerat Dominus, tradent (inquiens) illum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. [erat autem mane, & ipsi non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed ut ederent pascha.] contemplare Iudæorum infelicitatem. dies erat ille celeberrimus, quo eorum patres ex Aegypto fuerat liberati. iccirco mandatum erat, ut quotannis celebri ritu coleretur, & esset primus in mensibus anni, & ij hoc ipso die Christo regi suo cædem moliuntur, qui, cum eo die, qui ad liberationem potius pertinebat, interficere quenquam non possent, adierunt Pilatum, ut illum interficeret. obserua item impiorum religionem, quàm sit ridicula, & quo pacto in iis impleatur illud prouerbium, [liquant culicem & camelum glutiunt.] nolunt ob scrupulum ingredi ethnici hominis domum, metuentes ex eo contaminari, & inepti esse celebrando paschati, & nullo scrupulo tenentur, dum innocentem hominem petunt interfici. idem ipsum omnibus usu uenit, qui se à uia Dei faciunt alienos, neque semper in lege Dei, tanquam in speculo, quæ sit eius uoluntas, diligenter intuentur. [exiuit ergo ad eos foras Pilatus, ut acciperet Iesum. Interea uidens Iudas, qui eum tradiderat, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus dicens, peccaui tradens sanguinem innocentem. illi autem dixerunt. quid ad nos? tu uidebis. & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.] Cum uidisset Iudas tradi Dominum Pilato, existimauit actum de eius uita esse, & pœnitentia ductus fecit, quod hic lectum est. quod factum etsi damnabile est, arguit tamen ingentem Domini innocentiam, quam ipse etiam proditor sit adeo miseratus, atque doluerit, ut impotens animi, ipse sibi uitam laqueo eripuerit. ubi obseruandum est, animum malè affectum, etiam cum bene facere uult, nescire

Mat.27. Mat.20. Ioa. 18. Gen.12. Ioa. 18. Mat.27.

nescire id facere. pœnituerat Iudam proditionis, fuisset hoc bonum, si ueniæ spem tanquam anchoram tenuisset, uerum desperata omni salute ad laqueum accurrit. deflendum est peccatum, & uehementissimè deflendum, sed citra desperationem, neque unquam Diuinę benignitatis fiducia abijcienda. sunt qui contraria prorsus uia ingressi, non desperant quidem, sed temerariè sperant, dum scilicet nullo cordis dolore affecti, nulla com punctione, satis sibi putant esse aperuisse peccata sacerdoti, dum interea nulla interioris hominis facta mutatio conspicitur. medium ergo iter tenendum est, ut acriter quidem doleamus peccauisse, & lacrymis nostrę lectum conscientiæ rigemus, sed speremus semper, & Diuinam misericordiam imploremus. Et hęc quidem Iudas. at principes sacerdotum & seniores quid? respon derunt ei, [quid ad nos? tu uidebis.] ò scelesti. nihil hoc ad uos? si ipse peccauit, prodens sanguinem innoxium, uos sine culpa estis, qui huic proditioni fuistis assensi, eumque ad prodendum magistrum muneribus prouocauistis? cur, cum auditis proditorem confiteri, se sanguinem innoxium prodidisse, non mox Pilatum aditis, aperitisque ueritatem? tu uidebis, inquitis, & uos nihilo minus uisuri estis, num hoc ad uos pertineat, cum ante huius tribunal, cuius nunc cædem molimini, stabitis iudicandi. Vide uerò hypocritarum, & eorum, qui simulatè seruiunt Deo, & quibus satis est, si uideantur boni, limam conscientiæ. [principes (inquit) sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt. non licet eos mittere in corbonam (hoc est, in arcam, in quam mittebantur, quæ Deo offerebantur, est enim Hebræa dictio à dono nomen habens) quia pretium sanguinis est. consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, quapropter uocatus est ager ille Acheldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem.] *ibidem.* *ibidem.* non uerentur innocentem sanguinem in suas conscientias mittere, & timent pretium sanguinis in gazophylacium proijcere. hæc est hominum iustitia, qui ueræ iustitiæ uias non intelligunt. quorum utinam non magna nunc pars inter Christianos sit, qui piaculum existimarent sputo contingere altare, ecclesiastica uerò beneficia inuadentes, & fructus in prophanos usus insumentes, nullo scrupulo tenentur. emerunt ergo agrum in sepulturam peregrinorum. appositè sanè, uolente hoc Deo, ut

 signi-

ſignificaretur, pretium ſanguinis Chriſti profuturum nobis, qui
Ephe. 2. eramus [*peregrini & aduenæ, & abalienati* (ut ait Paulus) *à re*
publica Iſraelis, & extranei à teſtamentis promisſionis, ſpem non
habentes, Deoque carentes in mundo.] pretium hoc fuit in ſepul-
Rom. 6. turam, ut [*conſepulti cum Chriſto per baptiſmum in mortem, ſicut*
ſurrexit Chriſtus à mortuis, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.]
Intuere autem prophetarum diligentiam, qui & hoc factum prę-
Pſal. 92. dixerunt, ut dicere nobis liceat. [*teſtimonia tua credibilia facta*
Mat. 27. *ſunt nimis.*] [tunc impletum eſt (inquit) quod dictum eſt per Ieremiam
prophetam dicentem, & acceperunt triginta argenteos, pretium æſtimati,
quem æſtimatum emerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſi-
cut conſtituit mihi Dominus.] quamuis hoc teſtimonium Ieremiæ
nunquam apud Ieremiam legatur, refert tamen Hieronymus,
librum Ieremiæ, qui inſcribitur apocrypha, hoc eſt, occulta Ie-
remiæ, ſibi exhibitum à quodam Iudęo factionis Nazarenæ, in
quo hæc ad uerbum, ut ab Euangeliſta citantur, haberentur.
Ioa. 18. ſed reuertamur ad Dominum. [Exiuit Pilatus ad eos foras, & dixit
quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? reſponderunt, & dixe-
runt ei. ſi non eſſet hic malefactor, nequaquam tibi tradidiſſemus eum.]
cernis impudentem arrogantiam? uolunt ſibi ſine ulla inquiſi-
tione credi, ſeque iudices eſſe, quorum iudicio ſtaret Pilatus, &
Ieſum condemnaret. ex his uerbis occaſione accepta Pilatus, qui
ibidem. libens hanc cauſam refugiebat, dixit. [accipite eum uos, & ſecun-
dum legem ueſtram iudicate eum. dixerunt ergo ei Iudæi, nobis non licet
interficere quenquam, ut ſermo Ieſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua
morte eſſet moriturus.] cuius uidelicet ſupra fecimus mentionem,
Mat. 20. cum prędixit, ſe tradendum gentibus, ad illudendum & flagel-
Ioan. 18. landum & crucifigendum. [Non licet (inquiunt) nobis interficere
quenquam.] cur ergo interfecerunt Stephanum? ſed uidentur
uel malitioſè hoc dixiſſe, ut hoc opus proijcerent in præſidem,
qui eum, tanquam res Romanorum perturbantem interficeret,
uel ne, ſi ipſi illum interfeciſſent, impedirentur ab eſu paſcha-
tis. nolebant autem rem prorogari, ne forte negocium mora
diſſolueretur. omnia autem ſeruiebant myſterijs Chriſti. nam
celeritas illa effecit, ut eo die interficeretur, quo paſcha, hoc
eſt agnus immolabatur, quo Chriſti ſignabatur immolatio.
Ioan. 1. quod expresſit Ioannes Baptiſta cum dixit. [*ecce agnus Dei, ecce*
qui

qui tollit peccatum mundi.] illi uerò cernentes Pilatum uelle re scire rem, dixerunt. [inuenimus hunc euertentem gentem nostram, & prohibentem tributum dari Cæsari, & dicentem se Christum esse regem.] Duo obiecerunt, quæ plurimi à Romanis fiebant. nam & prohibere tributa, quæ Cæsari deberentur, & regem uelle creari sine Romanorum auctoritate capitale erat, interea nihil curantes, uerumne an falsum esset, quod dicerent. nam non solum non prohibuit tributum dari, sed dixit. [*reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*] & cum uellent illum regem facere, aufugit. Pilatus sciens eos, non zelo Romani imperij tuendi hæc dicere, sed interficiendi Christi, non eis credidit, sed [introiuit iterum in prætorium, & uocauit Iesum, & dixit ei. tu es rex Iudæorum? at ille respondens illi ait. tu dicis.] hoc est, tuum os hoc fatetur. ex hoc Domini responso nihil offensus est Pilatus, sed in bonam partem uerba accepit, existimauitque, contemplatis eius moribus, non esse hunc hominem factiosum, ut Iudæi calumniabantur. quare Pilatus ait ad principes sacerdotum, & turbas. [nihil inuenio noxæ in homine. at illi inualescebant dicentes. commouet populum, docens per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa usque ad hunc locum.] uidentur mentionem fecisse Galilææ, ut suspectiorem Dominum redderent apud præsidem, ut qui uellet imitari Iudam illum Galilæum, qui multum negocium fecerat Romanis, excitata non parua populi seditione. [Pilatus autem audita mentione Galilææ, interrogauit, num homo Galilæus esset, & ut cognouit, quòd ad Herodis ditionem pertineret, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat per id tempus.] Et hic Pilatus accepit occasionem amouendæ à se huius causę, & mittit eum ad Herodem. [Herodes autem uiso Iesu gauisus est ualde. tenebatur enim multò iam tempore cupiditate uidendi illum, eo quòd audiret multa de eo, & sperabat se signum aliquod uisurum ab eo fieri. interrogabat autem eum multis sermonibus. at ipse nihil respondebat.] Herodes uiso Iesu gauisus est, sed nihil ei profuit, ob solam enim curiositatem tenebatur hoc desiderio. at curiosis non aperitur Christus. idem accidit illis, qui scripturas sacras, quæ ad agnoscendum Christum factæ sunt, curiosè tractant, & exercendi duntaxat ingenij gratia. ijs nequaquam respondet Christus, neque curiosis eorum quæstionibus. tacet autem hic Dominus, ne opus salutis nostræ impediret. si enim Diuinum illud os aperuisset, continuò fuisset dimissus, neque secuta fuisset nostri generis

Luc. 23. *Matt. 22* *Mar. 12.* *Mat. 21.* *Mar. 11.* *Ioa. 12.* *Luc. 23.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.*

ibidem. neris salus, quam ut operaretur, ad nos descenderat. [Stabant autem principes sacerdotum & scribae acriter accusantes eum. spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo. cumque illusisset indutum ueste splendida, remisit ad Pilatum.] Christus huius mundi principibus dignus uisus est, qui contemneretur, neque curarentur admodum ea, quae aduersus illum dicerentur. at à sacerdotibus & scribis metuebatur, atque ob hanc causam eius mortem quaerebant. cur ista? Herodes & Pilatus nil cernebant in eo, cur regni aut Romani imperij perturbatio oriri ex eo posset, iccirco contempserunt eum potius quàm ab eo metuerunt. at sacerdotes, qui ex illius praedicatione non solum temporarios fructus, sed etiam auctoritatem & sanctitatis opinionem, quam antea habuerant, amittebant, nihil mirum est, si eum persequerentur. quo enim pacto amare eum poterant, cum cernerent illum remittere peccata sine ulla pecunia, sine ulla in templo oblatione? cum audiebant, se appellari hypocritas & sepulchra dealbata, quodque deuorarent domos uiduarum prętextu prolixę precationis, & docerent humanas doctrinas aduersus mandata Dei? haec & regibus & priuatis hominibus, & probis etiam sacerdotibus placere debuerant, quorum officium est, nil quaerere aliud, nisi ut sedulò & fideliter seruiatur Deo. at hypocritis cum Christo pax non poterat intercedere, qui non cogitabant quo pacto rectè Deo seruiretur, neque rectam & honestam populi uitam, sed ditari duntaxat ipsi quaerebant, nihil interea curantes, benè ne an malè populus haberet. [Et facti sunt amici inter sese
Luc. 23. Pilatus & Herodes in eodem die, nam antea simultas inter eos intercesserat.] neque hoc sine mysterio factum est, sed signatur paulò post futurum per Christum, ut Iudaei atque ethnici in unam fidem coniungerentur, qui antea discordes fuissent, cuius rei noua haec amicitia figura fuit. impletum hic & illud est, quod dictum
Psal. 2. fuerat per prophetam. [*astiterunt reges terrae, & principes con-*
Act. 4. *uenerunt in unum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. quem locum apostoli citantes sic interpretati sunt, conuenerunt enim uerè aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, & Hero-*
ibidem. *des & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel.*] [Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus ac plebe, dixit ad illos, obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ec-

te ego coram uobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine isto ex ijs, de quibus accusatis eum. sed ne Herodes quidem. nam remisi uos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei. tu es ille rex Iudæorum? respondit Iesus, à temet ipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?] quasi *Ioa. 18.* diceret. interrogas me ista quasi suspectus tibi sim, an ab horum pendes uerbis? si Herodes non timet, quid tibi est metuendum? sin alij tibi dicunt de me, obserua illos alia de re quàm de regno timere. Hic fortasse Pilatus paulisper erubuit, & [respondit. nunquid ego Iudæus sum? gens tua & pontifices tui tradiderunt *ibidem.* te mihi. quid fecisti] hoc est, si non uerum est id, cuius gratia te accusant, quòd ambias & occupare uelis regnum, quam aliam ob causam ita isti infensi tibi sunt? [respondit Iesus. regnum meum *ibidem.* non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ne traderer Iudæis. nunc autem regnum meum non est hinc.] uoluit hic Dominus respondere, ne contemnere præsidem uideretur, simul liberare eum uolens metu temporarij regni inuadendi. quare dixit, regnum suum non esse ex hoc mundo, hoc est, in morem regnorum mundi, alioqui data est ei om *Mat. 28.* nis potestas in cœlo & in terra, estque rex regum & Dominus *Apo. 17.* dominantium. quin ne regum quidem & imperatorum, qui Christi fidem profitentur, regnum esse debet ex hoc mundo. neque enim ob augendum imperium aut priuatæ gloriæ causa imperare aut belligerare debent, sed ut iustè uiuatur, ac Deo seruiatur. neque enim reges ac principes minus religiosi ac pij esse debent, quàm sacerdotes, & qui uitam suam Deo dicauerunt, sed tantò magis, quantò in plures, eorum porrigitur auctoritas, qui principum mores intueri solent & imitari. Audiens autem Pilatus dicentem Dominum, regnum suum non esse ex hoc mundo, quod nihil erat aliud, quàm profiteri se regem esse, [dixit ergo rex es tu? respondit Iesus, tu dicis quòd rex ego *Ioa. 18.* sum. ego ad hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati. omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam.] ueni (inquit) ut homines à regno mundi auocem, atque ad regnum Dei traham. & ad hoc ueni, ut huic ueritati feram testimonium. & quicunque eam recipit, audit uocem meam, neque mundum amat, qui mendax est, & fallax. & sanè ita est. qui mundo adhæret, eiusque blanditias sequitur, non est capax uerborum

Christi,

Christi, neque illis aurem accommodabat. atque ij soli uerè uocem illius audire dicendi sunt, qui se prorsus à mundi huius amore segregarunt. nullam enim aliam ob causam tam pauci recta ingrediuntur uia, nisi quòd toti curis huius uitæ infixi, & terrenis appetitionibus addicti sunt. [Dicit ei Pilatus, quid est ueritas? & cum hoc dixisset, iterum prodijt ad Iudæos.] interrogans Pilatus Dominum, quid esset ueritas, non expectauit, dum eam audiret, itaque indignus fuit qui eam doceretur. idem ipsum quotidie usu uenit. cernas enim magnam hominum partem uideri uelle Euangelica documenta audire, uerum non consistunt, sed mox sese ad externos sensus foras dant. quare nunquam hanc ueritatem assequi idonei sunt. Cum ergo prodisset Pilatus ad Iudæos, [dixit illis. ego nullam in eo inuenio causam. est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. uultis ergo dimittam uobis regem Iudæorum? sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum. clamauerunt rursus omnes dicentes. non hunc, sed Barabbam. erat autem Barabbas latro, qui propter seditionem factam in ciuitate & homicidium, coniectus erat in carcerem. Pilatus autem respondens rursus ait illis. quid igitur uultis faciam regi Iudæorum? at illi rursus clamauerunt, crucifige hunc. Pilatus autem dicebat illis. quid enim mali fecit? at illi uehementius clamauerunt, crucifige eum.] Pilatus homo alienigena nullum non lapidem mouet, ut Iesum liberet. appellat regem eorum, ut saltem ob nominis reuerentiam parcerent furori, increpat, eadem repetit, redarguit, at illi, quos excæcauerat inuidia, ita perstant obdurati atq; infensi, ut, cum de eius liberatione uerba facientem Pilatum audiuissent, homicidam & facinorosum hominem liberari maluerint, quàm Christum. hoc exemplum si uobis ante oculos posueritis, quoties in tribuendis magistratibus, & honoribus, sentiet quispiam sibi alterum anteferri, quem longè se inferiorem existimet, leue illud iudicabit, cum recordabitur, latronem & scelestum uirum filio Dei (ò rem solo auditu exhorrescendam) & ei, qui omnibus numeris perfectus esset, tanto cum probro fuisse præpositum. Cernis quàm multa remedia ex hac historia hauriantur, si attente illam fuerimus contemplati? Videns Pilatus obstinatum Iudæorum animum in Domini cædem, arbitrabatur, se eorum furorem sedaturum, si qua pœna citra mortem illum affecisset. quare ait. [corripiam illum et dimittam.] uide uerò, ut quicunque non Deum ipsum duntaxat in con

ibidem. *ibidem.* Mar. 15. Ioã. 18. Luc. 23. Mar. 15. Luc. 23.

silijs

aliis factisque suis intuetur, sed cupit praeterea etiam, uel suis, uel amicorum appetitionibus obsequi, erret uehementer. Pilatus, qui nitebatur summo studio Dominum liberare, quia tamen cupiebat etiam Iudaeis aliqua ex parte satis facere, addit tormentis tormenta, & cui prodesse cupit, nocet uehementius. sic saepe homines eo ipso tempore, quo aliquid agere parant in obsequium Dei, peccant, dum rectè se facere existimant, quia animum ab humanis perturbationibus, atque appetitionibus purgatum non habent. [Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circundederunt eum, & arundinem in dexteram eius posuerunt, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes, aue rex Iudaeorum, & dabant ei alapas, & cum expuissent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. [Audierant milites eum accusari, quòd regem se faceret, iccirco illudentes pro regio diademate, coronam ex spinis imposuerunt capiti, & quia regum erat purpura, induerunt eum purpurea ueste, & pro sceptro regio, arundinem in eius dextera collocarunt. deinde illudentes salutabant eum regem, & arundine accepta percutiebant caput eius, ut spinae acrius Diuino illi capiti infigerentur. interea nihil hoc curat Pilatus, & impletur, quod quidam sapiens dicit. [*sicut iudex, sic, & ministri eius, & qualis est rector ciuitatis, tales & qui habitant in ea.*] O spectaculum semper ante oculos habendum. nunc Dominus Iesus ambitionis nostrae luit poenas. quin quotidie coeleste illud caput spinis perforatur & cruentatur ab ijs, qui honores ac dignitates ambiunt. neque enim maiora neque acriora, & quae caput ipsum petant, uulnera in ecclesia, quae corpus est Christi, fiunt, quàm cum honores praesertim ecclesiastici ambiuntur. ite nunc ciues mei, & filijs uestris nondum natis ecclesiastica beneficia praeparate, ecclesiasticis fructibus inhiate. quod quoties facitis, spinis caput Christi acerbissimè perforatis, & arundine percutitis, cum ob has mundi uanitates, quas arundo res leuis & inanis significat, tam ingentia mala, tantam rerum confusionem in Christianum orbem introducitis. nunc enim apud eos, qui regem Christum appellant, ignominiosius Christus deridetur, alapis caeditur, sputis foedatur, dum pessimis nostris moribus nomen eius malè audit apud Iudaeos & Turcas, qui, praesertim Iu-

Ioa. 19. Mat. 27. Ioan. 19. Mat. 27. Eccl. 10.

dæi, nullam magis ob cauſam obſtinati perdurant, quàm quòd dum cernunt contraria facta noſtræ fidei profeſsioni, putant dogmata noſtra eſſe meras nugas, neque uerum hunc eſſe Chriſtum, cui dum credere nos profitemur, grauioribus illum ignominijs afficimus, quàm ullæ gentes illius nomini inimicisſimæ. neque enim, ut cætera omittam, uel Iudęi uel Turcæ tam fœdis execrationibus ac blaſphemijs impetunt Chriſtum, quàm ij, qui ſe Chriſtianos eſſe profitentur. neque uerò milites, ij, qui hic Chriſto illudere memorantur, id Chriſti odio fecerunt, neque enim illum norant, ſed militari quadam inſolentia, ignorantes
*Mat.*20. quid agerent. nunc uerò cum ſcitur, illum ſedere ad dexteram
*Mar.*10. Dei, & datum illi eſſe nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut
Phili. 2. in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Chriſtus ab ipſis Chriſtianis ijs impudentibus blaſphemijs fœdatur, ut mirer terram non hiſcere, & hæc monſtra non abſorbere. Arbitratus ergo Pilatus, ſe rabiem ſacerdotum
Ioa. 18. ſedaturum, ſi Ieſum flagellis cęſum eis oſtenderet, [exiuit iterum foras, & dicit eis. ecce adduco uobis eum foras, ut agnoſcatis, quòd nullam in eo cauſam inuenio. exiuit ergo Ieſus foras, geſtans ſpineam coronam, & purpureum pallium, & dicit eis. ecce homo. cum ergo uidiſſent eum, pontifices & miniſtri, clamauerpnt dicentes, crucifige, crucifige.] Ego quidem (inquit) cum poteſtatem habeam interficiendi eum, feciſſem id exiguo negocio, ſi opus fuiſſet, uerum cum nullam inueniam in eo mortis cauſam, ſaltem flagellis corripere eum uolui. quare plus quàm ſatis pœnarum luit, quod ut & ipſimet inſpiciatis, eduxi eum foras. [ecce homo.] cernite quàm belle regem agat, quem ſi nos Romani, ad quos hoc maximè pertinet, non metuimus, multò certè minus uos, quorum hoc nihil intereſt, formidare debetis. at illi furore & inuidia ebrij, & ne ob tam graues quidem pœnas molliti, quod ratione aſſequi non poſſunt, clamando contendunt, poſtulantque ut agatur in crucem, teterrimum ac crudelisſimum ſupplicij genus, & in quod non niſi ſceleratisſimi quique agi conſueuerant. uerum quando Iudæi eum monſtratum eis Chriſtum regem ſuum intueri neglexerunt, nos paulisper in eum oculos defigamus. Decuit ſanè, ut homo ethnicus Pilatus, illum oſtenderet Iudæis non recepturis, ut noſter, qui ethnici eramus, mox fieret. & quid ait Pilatus? [ecce homo.]

hic eſt,

hic est, quem è longinquo intuens propheta, gratulatus hoc nomine ciuitati Ierusalem, dixit, [*gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.*] quare? [*de Sion (inquit) dicetur, homo & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.*] hoc est, dicetur quidem de Sion, quòd plurimi homines nati sint in ea, sed insignis ille homo confirmabit eam, cum sit altissimus. [ecce homo.] qui profectus ad accipiendum sibi regnum, reuertetur in gloria, & hosteis omnes suos perdet. [ecce homo.] qui [in principio erat uerbum, & hoc uerbum erat apud Deum, & Deus erat hoc uerbum.] quod etiam caro factum est, & fixit inter nos tabernaculum. [ecce homo,] qui pro nobis opprobrijs saturatur, in exemplum ac redemptionem generis nostri, & nouissimus uirorum factus est. quem in hac forma contemplatus Esaias dicebat. [*non est ei species neque decor, & uidimus eum, & non erat aspectus, ut desideraremus eum despectum, & nouissimum uirorum, uirum dolorum, & scientem infirmitatem.*] hoc est, assuetum ferendis miserijs, similis ei, à quo auertitur uultus, & despectus, unde [*nec reputauimus eum.*] & cur hæc patitur? sequitur. [*uerè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. disciplina pacis nostræ super eum,*] hoc est, castigatio eius attulit nobis pacem, [*& liuore eius sanati sumus. omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit, & posuit* Dominus *in eo iniquitatem omnium nostrum.*] at hæc spontè ne, an inuitus perfert? [*oblatus est (inquit) quia ipse uoluit, & non aperuit os suum. sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*] & hæc quidem ignominiæ ac doloris sunt plena, sed non est hic finis crucis. audi enim quid sequatur. [*si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longæuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur. pro eo quòd laborauit anima eius, uidebit & saturabitur.*] & paulò post. [*ideo partem dabo ei inter plurimos, & cum fortibus diuidet spolia. pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.*] Cernis Euangelistam potius quàm prophetam, ista accuratè tanquam historiam rerum, quæ iam accidissent, describentem?

Psal. 86. *Ioa. 1.* *Esa. 53.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.*

[ecce homo.] qui ubi negocium sibi à patre mandatum impleuerit, in eam gloriam resurget, quam & ipsi angeli admirati, quemadmodum apud eundem Esaiam dicitur, interrogaturi erant.
Esa. 63. [quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?] inspiciamus in faciem Christi nostri, atque ad eum imitandum præparemur. quòd si præsens hęc facies horrorem cuiquam parit, meminerit, quod dictum est ab apostolo, [si fuerimus socij passionum,
2. Cor. 1. simul & consolationis erimus.] sed redeamus ad historiam. Cum in hac miseranda forma ostendisset Pilatus Iudæis Iesum, & illi clamassent. [crucifige, crucifige, dixit eis. accipite eum uos & crucifigite.
Ioan. 19. ego enim non inuenio in eo causam. responderunt ei Iudęi, nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.]
Iudæi, qui legis literæ quam Paulus dicit occidere, inhærebant,
2. Cor. 3. cum per literam legis docentur, Deum unum esse, arbitrabantur, Dominum legi à Deo per Mosen datæ aduersari, atque idcirco, ut Deo contrarium, dignum esse morte, qui diceret, se filium Dei, quasi duos Deos introduceret, neque intelligebant, sed ne nunc quidem intelligunt, nihil impedire, quo minus unus Deus sit, tametsi personarum distinctio fiat. sed, ut diximus, contenti erant litera legis, neque ad legis spiritum attendebant. erant enim priuata duntaxat commoda quærentes, non autem honorem Dei. quare non curiosius ista peruestigabant, neque ijs, qui hæc loquerentur, aures accommodabant. quin potius, quia hæc eorum prouentus minuebant, auersabantur eos. & quoties Dominus hæc commemorabat, lapidibus eum impetebant. si enim credidisset populus, hunc esse filium Dei, non obtulissent sacrificia pro peccatis, quæ ipse gratis condonabat. detecta fuisset sacerdotum & pharisæorum hypocrisis, qui omnia ad pompam & quæstum facerent, quæ omnia & auctoritatem & lucrum minuebant eorum, qui soli legis literę operam dabant. itaque existimabant oportere omnino Dominum mori. Sed heu nos miseros, quàm multi & nunc inter nos sunt, qui pessimis factis ostendunt, se Domini mortem optare, qui eum & falsis dogmatibus lacerant, & perditissimis moribus, uellentque nullam eius fieri mentionem, nisi cum maledictis incessitur
Ioa. 19. atque blasphemiis. [Pilatus ergo cum audisset hunc sermonem, magis timuit].

miuit.] timebat quidem prius Pilatus, innoxium hominem morti addicere, nunc uerò geminatur timor, ne forte in filium Dei manus iniecisset. neque hoc creditu tam difficile Pilato uidebatur, quàm Iudæis. nam ethnicus erat, atque apud ethnicos plurimi celebrabantur Deorum filij. [Et ingressus est prætorium iterum, *ibidem.* & dixit ad Iesum: unde es tu?] hoc est, cuius Deorum es filius, num Iouis, aut Neptuni, aut Herculis, aut cuiuspiam ex ijs, qui Dij habebantur. [Iesus autem responsum non dedit ei.] neque enim capax erat Pilatus tantorum mysteriorum, ut aperiretur ei, quo pacto è sinu patris in terram missus esset. deinde, si dixisset, se Deum esse Deorum, hoc est, imperium habere in omnes, qui Diuinitatis appellationem haberent, neque tamen essent Dij, uisum fuisset Pilato, iustam se habere causam, cur eum in crucem ageret, qui reliquis Dijs Diuinitatem auferret. [Dicit ergo ei Pilatus. mihi non loqueris? nescis quòd potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te?] *ibidem.* Iniuriam sibi fieri existimabat Pilatus, quia interrogatus Dominus ab illo, non ei responderet, qui iudex illius esset, & mortis ac uitæ in eum haberet potestatem, ad quæ uerba oportuit Dominum respondere. nam hic paternus honor agebatur, ut intelligeret uir ethnicus, omnia sub Diuina prouidentia agi, tametsi qui agunt, id minimè intelligant. [respondit ergo Iesus. non haberes *ibidem.* potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset è supernis, propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.] arbitraris (inquit) te posse in me pro uoluntaris arbitrio, atque omnem hanc potestatem esse tibi à Cæsare, sed falleris, nihil enim in me posses, nisi datum tibi fuisset è cœlo. neque dixit, à patre, ne se magis aperiret. Porrò quod ait, [propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet,] significat, & ipsum quidem peccare, quod assentiatur consilijs Iudæorum, uerum, quia sententiam in Dominum laturus erat ob hoc tantum, quòd potestate præditus esset, & quasi cogeretur eam exercere, ait, Iudæos magis peccare, qui solo odio atque inuidia agerentur. [Et ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi au- *ibidem.* tem clamabant dicentes, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. quicunque se regem facit, contradicit Cæsari.] non hoc dicebant studio Cæsaris, & honoris illius contemplatione, cuius imperium infensè oderant, sed hoc obijciunt, ut uel metu Cæsaris, eorum uotis obsequatur,

quatur. & sanè uoti compotes fuerunt, nam qui hactenus satis generosè obstiterat, audito Cęsaris nomine, incipit dare manus. hoc sæpe & nunc fit, ut multi metu principum deserant ueritatem. [Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, seditque pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos. Hebraicè autem Gabata. erat autem parasceue (hoc est, dies ante sabbatum, à præparatione nomen habens, cum prępararentur ea, quæ sabbato erant necessaria, ne sabbatum uiolaretur) paschæ, hora ferè sexta. & dicit Iudæis. ecce rex uester.] uoluit postremo tentare, si forte uel pudore reuocare eos posset à proposito scelere. quasi diceret, non agnoscitis ignominiæ uobis futurum, si is, qui rex uester creditur, agatur in crucem? quod & paulò post repetit. [regem uestrum crucifigam?] sequitur enim, [illi autem clamabant. tolle, tolle, crucifige eum. dicit eis Pilatus, regem uestrum crucifigam? responderunt Pontifices. non habemus regem, nisi Cæsarem.] mirum est, tam sæpe Pilatum appellasse Dominum, regem Iudæorum, sed uolente Deo, ita eum appellabat, quare & cum titulum crucis scripsit, idem dixit, neque quamuis hoc Iudæi reprehenderent, mutare uerba uoluit, sed respondit. [quod scripsi, scripsi.] Iudæi ergo Christi odio professi sunt, Cæsarem suum esse regem, quamuis alioqui affecti illi minime essent, sed post paulò meritas dederunt pœnas, cum à Cæsare perditi fuerunt, & diruta urbs, ac templum, & perpetuo usque ad hunc diem damnati exilio. Cum autem dixissent, se regem non habere, nisi Cæsarem, instabant multis accusationibus. sed cum taceret Dominus, [Pilatus rursus interrogauit illum dicens. non respondes quicquam? ecce quàm multa aduersus te testantur. Iesus autem deinceps nihil respondit, adeo ut miraretur Pilatus.] mirabatur Pilatus, cernens Dominum id agere, quod homines non solent, qui in eiusmodi causis omnem operam dant, ut liberentur, ipse uerò uidebatur nihil curare liberationem. cum enim intelligeret, sibi à pręside faueri, quicquid respondisset, uidebatur satis esse ad impetrandam liberationem, quod quia minimè faciebat, mirabatur Pilatus. tacebat autem Dominus, cum ne impediret opus humanæ redemptionis, tum ut socium se præberet eorum, qui conuicti damnantur ad mortem, & suo exemplo leuiorem illis dolorem efficeret. qui, cum audiunt, Seruatorem Christum, quamuis innocentissimum, uoluisse tamen

ibidem. *ibidem.* *ibidem.* *Mar.15.*

hanc perferre ignominiam, ut tanquam nocens morti addiceretur, ipsi facilius ferant, quod meritò patiuntur. Pilatus autem etsi miraretur Domini taciturnitatem, quærebat tamen quibus eum modis liberaret. In die autem festo dimittebat eis unum uinctum quemcunque postulauissent. erat autem qui dicebatur Barrabbas, qui cum seditionis auctoribus fuerat uinctus, qui per seditionem cædem patrauerant, & cum exclamasset turba, cœpit flagitare, quemadmodum semper fecerat ipsis. Pilatus autem respondit eis dicens, utrum uultis dimittam uobis, Barabbam an Iesum, qui dicitur Christus?] etsi superius audierimus, Iudæos maluisse dimitti Barabbam, quàm Iesum, credibile tamen est, postea quàm maior iam turbarum conuentus factus erat, Pilatum iterum tentasse hac uia Dominum liberare, & non quemlibet, sed sceleratissimum uirum adiunxisse Domino, ut data optione, utrum mallent, latronem & homicidam auersarentur, ac Dominum liberarent. ante uerò quàm turba responderet. [sedente illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius dicens. nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt turbis, ut peterent Barabbam, Iesum uerò perderent.] Fortasse prouidentia Dei factum fuit illud somnium, ut uel Pilati uxor seruaretur. quanquam sunt, qui opinentur Diaboli malitia id factum esse, qui cernens Domini constantiam, ueritus fuerit id quod erat, esse scilicet illum filium Dei, tentaueritque per mulierem impedire negocium, quo instrumento ad maxima mala olim usus fuerit. Pilatus autem postea quàm nuntium uxoris audiuit, ait illis, [utrum uultis uobis è duobus dimittam?] at illi, qui iam uitiati fuerant persuasione sacerdotum & seniorum, [responderunt, Barabbam. dixit illis Pilatus, quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus?] arbitrabatur fortasse nouam hanc turbam aduenisse, ut unus de more liberaretur, & daretur eis Barabbas, quem audiuissent à senioribus postulatum. quare arbitratus hanc non fuisse inimicam Christo, rursus petit, quid uellent fieri Iesu, neque aduerterat, illam corruptam fuisse sacerdotum persuasione, quo tempore uxoris nuntium audiebat, uerum isti, [dicunt simul omnes, crucifigatur. Videns autem Pilatus, quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua manus lauit coram populo dicens. innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uidebitis.] arbitrabatur Pilatus satis à se factum, cum, quibus potuerat cunque modis, conatus esset Iesum liberare, atque iccirco lauat manus, ut innocentiam suam declaret. & sanè si odio, ac furori Iudæorum

Mar. 15.

Mat. 27.

Mat. 27.

ibidem.

ibidem.

dæorum comparetur, innocens posſit iudicari. is enim propen-
ſus ſemper fuit in Ieſum, illi uerò neque tantam Domini aſfli-
ctionem miſerati, neque rationibus tanti Romanorum præſidis
molliti, pertinaci odio in Domini cæde poſtulanda perſeuera-
runt, ſed hoc tamen ad innocentiam non fuit ſatis. oportebat
enim, ut ſciens Ieſum innoxium eſſe, & inculpata uita hominem,
forti animo obſiſtere, & nullius hominum uel contemplatione,
uel metu à iuſtitia tranſuerſum, quod dicitur, digitum recedere.
idem multis ſæpe accidit, qui pro iuſtitia quidem laborant, ſed de-
mum, uel potentiorum metu, uel amicorum contemplatione ui-
cti, arbitrantur ſatis illud eſſe, quòd hactenus obſtiterint, etſi de-
mum ceſſerint defatigati. ij meminerint, ſe cum Pilato partem ha-
Mat 27. bituros. [Et reſpondens uniuerſus populus dixit, ſanguis eius ſuper nos & ſu-
per filios noſtros.] O ingentes inuidiæ faces, quam uerum eſt, quod
Pro. 27. ait Salomon, [*ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, impe-
tum autem inuidiæ ferre quis poterit?*] non uerentur, ſibi ac poſteris
ſuis tam ingens malum imprecari, modo in crucem agatur Chri-
Mat. 27. ſtus, & ne ſibi quidem parcere curant. [Tunc dimiſit illis Barabbam,
Ieſum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.] quia rurſus flagel-
lorum meminit, fieri poteſt, ut rurſus flagellis fuerit cæſus. nam
Romanorum mos erat, ut interficiendos prius uirgis cæderent,
cum qua flagellatione ſequi potuerunt eadem probra, atque il-
luſiones, quæ dudum acciderant. Verum quod de Dominicæ
paſsionis hiſtoria reſtat, perendie iuuante Deo abſoluemus. in-
terea hæc meditantes quæ dicta ſunt, cogitantesque innocentem
Ieſum Iudæorum inuidia damnatum, ut agatur in crucem, ac-
cingamur ad eum imitandum, & quoniam, quemadmodum ad
Heb. 13. Hæbreos ſcriptum eſt, [*Ieſus ut ſanctificarit per proprium ſangui-
nem populum, extra portam paſſus eſt, exeamus ad eum extra ca-
ſtra, opprobrium eius portantes. non enim habemus hic manentem ci-
uitatem, ſed futuram inquirimus.*] in quam, idem ipſe, qui nunc
ad mortem crucis damnatus pro nobis eſt, per eandem crucem,
ſi eum ſequi uoluerimus, perducet, Ieſus Chriſtus Dominus no-
ſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto eſt Deus ſuper omnia bene-
dictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO XLI.

De paſsione Domini Seruatoris.

QVAE duabus ſuperioribus orationibus de Seruatoris noſtri, & Domini Ieſu Chriſti paſsione à uobis audita, & à me dicta ſunt, ſatis quidem eſſent ad unumquenque animandum, & confirmandum ad extrema quæque pro tanto ac noſtri amantiſsimo Domino, non ſolum ęquo animo, ſed etiam libentiſsimo perferenda. cui enim noſtrum ad tam humilia, tamque probroſa deſcendere unquam continget, in quæ unigenitus ille Dei patris pro nobis à ſceleratis & impijs deductus eſt? ſed quę reſtant uidenda, Colophonem (quod dicitur) rebus imponent, & omnes patientiæ, & humilitatis, & obedientiæ numeros ſun t habitura, quæ, quoniam grandis adhuc reſtat uia, iam aggrediemur. uos uerò non ſolum attentis animis adeſtote, uerum etiam ueſtra me prece iuuatote, ut eum affectum induam, qui dicendis tanta pietate rebus eſt conſentaneus. [Acceperunt autem (inquit) Ieſum. at is baiulans crucem ſuam exiuit in eum locum, qui dicitur Caluariæ, Hebraicæ autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc atque hinc, medium autem Ieſum.] Dudum cæſus flagris erat, quę adhuc recentia ſentiebantur, nec uerentur crudeles ita afflictis humeris crucem imponere, quam ferat, ut plagæ recrudeſcant. neque ſatis fuit, ſi ageretur in crucem, niſi illam etiam ferret, in maius & pœnę & probri incrementum. res enim erat execranda crux, de qua ſcriptum eſt, [*execrandus omnis qui pendet in ligno.*] ſed hanc execrationem Chriſtus pertulit, ut nos redimeret ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio. uerum & hoc multò antea ſignatum fuit, nam & Iſaac, qui Chriſti figuram tulit, cum duceretur

Ioa. 19.

Deu. 21.

Gen. 22.

 retur

retur immolandus, ſtruem lignorum portauit, quibus erat imponendus, ut fieret holocauſtum. in qua hiſtoria, etiam illud quadrat, quòd etſi ductus fuerat Iſaac ad immolandum, euaſit tamen, immolato ariete pro illo, ſic cum Dominus Ieſus & Deus & homo eſſet, Diuinitas nihil paſſa eſt, humanitas ad tempus obnoxia fuit paſsioni. Ducitur ergo ferens crucem, ut faceret,
Eſa. 9. quod prędictum olim à propheta fuit, [*cuius imperium ſuper humerum eius.*] nam imperium eius à cruce profectum eſt. quia e-
Phi. 2. nim [*factus eſt obediens uſque ad mortem crucis, Deus extulit illum in ingentem celſitudinem, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*] in qua cogitatione meminerimus præſtare & ip-
Mat. 16. ſi, quod idem Dominus à nobis petit, cum ait. [*qui uult uenire*
Luc. 9. *poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*] neque defatigemur, neque enim quiſquam noſtrum, quamuis grauiſsimis pœnis afficiatur, proximè accedere ad eius dolores poterit. Neque ſatis fuit ad probrum, ferre crucem, in quam agendus eſſet, uerum ad contumeliæ incrementum, atque ut uideretur ſceleratior, duo illi latrones cõmites adhibentur, mediuſque inter eos ponitur, tanquam latronum princeps. & is,
Mat. 21. qui dudum aſello inſidens tam honorificè acceptus a turbis fuit,
Mar. 11. & appellatus filius Dauid, & Rex Iſrael, nunc inter latrones cru-
Ioa. 12. cem ferens ab eadem turba è ciuitate eijcitur, ut hoſtis Dei. Ferebat ergo crucem. uerum quia ob flagella debilis effectus erat, credibile eſt, illum non potuiſſe tam feſtinè ingredi, quàm milites uoluiſſent, qui, quoniam tardior iam erat hora, moram ini
Mar. 15. quo animo ferrent, quare cum habuiſſent [obuiam Simonem quendam Cireneum reuertentem è uilla, patrem Alexandri & Ruſfi, adegerunt eum, ut ferret cru em poſt Ieſum.] hæc filiorum huius Simonis commemoratio facile mihi perſuadet, & patrem & filios eſſe amicos Domini, eiuſque apoſtolorum. beatus ſanè occurſus, qui utinam & mihi contingat, ut aliquo pacto liceat huius crucis eſſe participem. neque enim mihi facile perſuadeo, etſi dicat Euangeliſta, milites uim adhibuiſſe ei, ut ferret crucem, illum eam uim inuitum pertuliſſe, neque Dominum Ieſum uoluiſſe, ut pretioſum lignum illud, quod ſalutem attulit mundo, ſuis hume-
Luc. 23. ris ſine ullo fructu ferret. [Sequebatur autem illum multa turba populi

&

& mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.] populus quidem uidetur secutus, ut cerneret impleri, quod acclamarunt, cum dixerunt, [crucifige, crucifige eum.] mulieres uerò pię erant, & quæ uiuentem amauerant, etiam moriturum lacrymis prosequebantur, ipsis etiam apostolis animosiores. quod & uobis mulieres faciendum est, sed id agere non potestis, nisi cum ametis. & amoris indicium in plerisque uestrum nullum reperio, sed inimicitiarum potius, atque odij. nam infinitus ille uester mundus muliebris, ac tam multi sumptus in uestibus, qui in Christi fratres esset impendendus, & pictæ genę ad prouocandam hominum lasciuiam, manifestissima sunt, non amoris sed inimicitiæ in Christum argumenta. quòd si cum hac mente & his moribus passionem Domini defletis, quid est aliud, quàm sub persona risus, ut quidam de hęredis fletu dixit. quare, si cum fructu lamentari cum hisce pijs mulieribus, & largiri uestro Domino ac Seruatori lacrymas uultis, cogitate nunc ac firmo proposito statuite finem imponere his uanitatibus, alioqui si priorem mentem retinere in animo est, pro certo habetote, uos cum illo partem non esse habituras. sed uideamus, quid illis Dominus dixerit. [Conuersus autem (inquit) ad illas Iesus dixit. filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super uobis ipsis flete, & super filiis uestris. quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent, beatæ steriles, & uentres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?] non displicebat quidem Domino, illa mulierum misericordium pietas, qua Dominum deflebant, & lamentabantur, sed ostendit, sibi magis dolere (ò indefessam charitatem) quod cernebat Iudæis euenturum ob scelus, quod patrabant. nam & dudum hoc malum defleuerat. sic enim scribit Lucas, [*uidens ciuitatem fleuit super eam dicens. si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undique, & solo æquabunt, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.*] quare? [*eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.*] cum ergo hæc uerba paulò ante dixisset, distinctéque mala euentura commemorasset, contentus fuit nunc admonuisse

Luc. 23.

Luc. 19.

se tantam futuram calamitatem, ut beatæ uocandæ sint mulieres eo nomine, quo alioqui infelicissimæ existimantur, quæ uidelicet fuissent steriles, nec genuissent, aut si genuissent, mortuus esset partus, ut lactare illum opus non fuisset. hæc certe cum per se infelicia sint, si res beatæ ob expectata mala sunt existimandæ, intelligere poterant, quanta calamitatum Ilias immineret, ob quas etiam optabilior futura esset mors, quàm uita, ut rogandi sint montes, ut cadant super eos, & colles, ut eos operiant. [quia si in humido (inquit) ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?] accepta est similitudo à lignorum combustione, quæ dum humida sunt. difficilius ardent. quòd si ignis in humidis ac uiridibus uim habet, multò profectò magis in arida sæuiet. sic si aduersus innocentissimum, in quem pœnæ uim nullam habere debuerant, tam crudeliter sæuitur, quid ijs fiet, qui tanquam ligna arida apta incendio sunt? quod exemplum nobis uehementer est metuendum. neque mirum cuiquam uideatur, quod sum dicturus, sed loco admirationis uelim ut formidetis. uereor enim ne ęquè graues pœnæ nos maneant, quanquam illæ fuerunt supra quàm dici possit, grauissimę. nam ut cætera taceam, quæ Iudæis acciderunt, tam ingens fames Ierosolymam inuaserat, ut certasse inter se armis domestici dicantur, si quid esculenti temere ad manus uenisset, filij ex ore parentum cibum rapere, nec fratrem fratris misereri, nec sororem sororis. multi bubulum fimum mandere conati sunt, alij cloacas rimari, cibosq; inde obscœnos sibi quærere. coria scutis detracta, & calceorum aluta fuit multis cibus, fœnique laceramenta quibusdam uictui fuere. quare perijt interim tanta uis mortalium inedia, ut Annius Eleazari filius, qui medio tempore obsidionis ad Titum transfugit, centum quindecim millia cadauerum in urbe elata dixerit, ferturque defuncta tali aut simili clade ad sexcenta hominum millia Romanis Ierosolimæ assidentibus. ista uos terrent? neque uerò id iniuria. sed audite cur dixerim, metuere me, ne eadem clades nos maneat. si ij, quorum maxima pars ignorabat ueritatem rei, & ob ignorantiam potius quàm ob malitiam peccauerunt, necem Domini postulantes, tam crudeliter fuerunt tractati, quid nos meremur, qui, cum agnoscamus, cum [*omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus*,] tam

Luc. 23.

Phil. 2.

tam iniurij in Christum sumus, & quotidianis probris illum afficimus? contemplamini uestra facta, si non uidentur ij, qui Christum confitentur, in illius interitum, si fieri possit, conspirauisse. quid enim non illius honori anteponitis? ubi quid temporarij lucri, aut humani honoris occurrerit, nulla Christi, eiusque doctrinę ac præceptorum cura subit. quæ res multò illi maiorem parit contumeliam, quàm ipsa crux peperit. nam ex crucis perpessione in illam euasit celsitudinem, in qua nunc est, at ex iniquis Christianorum factis malè audit inter gentes, neque ullum alium ex eo fructum refert. quare iure non solum pares Iudęis pœnas, quas adhuc luunt uagi, ac per orbem dissipati, sed maiores etiam meremur. quamuis aliud multo molestius uereor. quodnam illud est? ne maxima pars hominum tam perditè uiuentium, in Geennam conijciatur, quod malorum omnium extremum ac summum est. nam temporariæ pœnæ si longę, leues sunt, sin magnę, breues. at illę in inferno & maximę sunt, & finem non habebunt. [Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus, & dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum. & cum gustasset, noluit bibere.] & hic crudeliter nimis se gesserunt contra Dominum Iesum. nam mos erat dare ijs, qui in crucem agendi essent, uinum, recreandi hominis & aliquantum leuandi doloris gratia, qui mos ex Salomonis documento uidetur fuisse introductus. ipse enim docere uolens, cui esse usui uinum deberet, dixit. [*noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare uinum, neque principum est sicera. date siceram pereunti, & uinum ijs, qui amaro sunt animo, bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur.*] sicera Hebręa uox est, & ebrietatem significat. poniturque pro uino & quauis re, quę ebrietatem afferre possit. iubet ergo siceram dari pereunti, ut inebriatus dolorem minus sentiat. hi ergo crudelissimi pro optimo uino, quod recreare afflictum debuisset, [dederunt ei uinum cum felle mixtum,] quod prędictum à propheta fuit, qui ait. [dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.] [*at ille cum gustasset, noluit bibere.*] non quòd recusaret illud pati, qui multò esset grauiora & passus & passurus adhuc, sed fecit & hoc docendi nostri gratia, ut scilicet parati simus quidem ad perferenda mala omnia, quę nobis ab hostibus inferantur, uerum cum in nostra est potestate, recipere

Mat.27. *Matt.27* *Psal.38.* *Matt.27*

pere illa uelimus, necne, esse illa recusanda. has Domini angu-
Pro. 23. stias uellem cogitarent ij, qui [*student*] ebrietati, atque (ut Salomon ait) *calicibus epotandis,*] neque contenti eo, quod naturę necessitati satis sit, ad ęquales interdum haustus alter alterum inuitant. contemplentur hic filium Dei, quem credibile est ingenti siti laborauisse, ut qui tota nocte ab impijs sacerdotibus & ministris fuisset fatigatus, & à pręside flagellis cęsus, ac uarijs modis diuexatus, nunc cum sitim sedare optauisset grato aliquo poculo, fel uino permixtum reperisse, quod recusare fuerit coactus. nostis autem quàm uehementer lædere soleat sitis, ut eius perpessio pro ingenti tormento habeatur. multò uerò magis, si cum alijs calamitatibus coniuncta sit. huius facti memoria animum uestrum subeat inter pocula, & parcite superuacuis potibus, quin potius sitienti adhuc in fratribus suis Christo suam partem reseruate. Hoc facto agitur in crucem Iesus, teterrimum & crudelissimum supplicij genus. fodiuntur clauis manus ac pedes, quę partes ob neruos & musculos, quibus plenę sunt, acceptum dolorem ad præcordia transmittunt, & conuulsionem illam pariunt, quam Græci spasmum appellant, & impletum est,
Psal. 21. quod dictum fuerat per prophetam. [*Foderunt manus meas, & pedes meos*,] atque ad maioris ignominiæ incrementum addide-
Mar. 15. runt ei socios, [duos latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris,]
ibidem. ut ipse latronum princeps existimaretur. [ut impleretur quod scriptum
Luc. 23. erat, & cum iniquis deputatus est.] [Iesus autem dicebat, pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant.] in medijs doloribus, & in ipsa manuum & pedum perfossione rogat patrem, ad quem, tametsi idem cum patre posset, omnia referebat, ut eis ignoscat, quia nescirent quid
1. Cor. 2. facerent. [*si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*] Vbi rursus sunt, qui non solum in ipso offensionis sensu, uerum etiam post mensium, & annorum spatia nequeunt ad ignoscendum inflecti, & tamen à Christo cognomen acceptum audent circumferre? cernitis exemplum eius, cuius fidem profitemini? cur ergo tam diuersa, atque adeo contraria illi uia ingredimini? hoc non est in Christum credere, sed potius negare, dum factis ipsis tam contrarios uos illi declaratis. si quis enim uestrum blandis uerbis diceret, se episcopum amare, & interea tum uerberibus, tum probris illum insectaretur, quis illius uerbis crede-

bis crederet? sic *qui dicit, noui eum* (ait Ioannes apostolus) *& præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est.*] quare addit [*qui dicit, se in eo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*] Quàm uerò tempestiuè interpellare pro nobis incipit Dominus, & præterea fiduciam præbere ijs, qui post maximas offensiones conuerti ad eum uoluerint. tempestiuè admodum sacerdotis officio fungi cœpit, cuius officium erat precari pro peccatis populi. [Ignosce (inquit) illis, quia nesciunt, quod faciunt.] dicet *Luc.23.* fortasse aliquis eorum, quos hic reprehendi. si is, qui me læsit, ob ignorantiam peccauisset, facilè ignouissem, sed sciens & uolens hac me iniuria, atque hoc damno affecit. non ita est ò homo, non ita est. etiam cum prudens quis, ac sciens peccat, in maximis tamen uersatur tenebris ignorantiæ. quis enim intelligens, quantum mali peccatum homini afferat, & in hac, & in futura multò magis uita, trahi se ad peccandum pateretur? nemo profectò. quare ignoscendum semper est, & ignorantiæ ignoscendum. [Scripsit autem & titulum causæ Pilatus, & posuit super crucem, erat *Ioa.19.* autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. hunc ergo titulum multi legerunt. quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus, & erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, noli scribere rex Iudęorum, sed quod ille dixerit, rex sum Iudæorum. respondit Pilatus, quod scripsi, scripsi.] quod ait, Pilatum scripsisse titulum causæ, significat, in eo titulo declarari causam, cur in crucem esset actus, uidelicet ob regnum, quod dixissent, illum sibi usurpauisse. at pontifices intelligentes, hoc in Iudææ gentis probrum redundare, si rex eorum in crucem fuisse actus diceretur, petebant mutari titulum illum in alium modum, sed uolente Deo perstitit Pilatus in sententia, & nesciens Diuinæ seruiuit dispensationi. oportebat enim, ut, qui uerè esset rex, non solum Iudæorum, uerum & omnium, titulo suo honestaretur. quòd autem inscriptio tribus linguis facta fuerit, uidetur illud fuisse in causa, quòd credibile est, multos ethnicos ad diem festum conuenisse ob celebre festi illius diei nomen, qui ethnici Græca & Latina lingua potissimum uterentur. & Hebræa ob ipsos Iudæos fuerat apponenda. neque uerò id sine mysterio accidit, cum omnes nationes, omnesque linguæ, quarum hæ præcipuę erant, regem illum fuissent agnituræ. Hebræa ob legem in ea scriptam, & ob uetustatem præstabat, quam primam omnium fuisse est

admodum

quatur. & sanè uoti compotes fuerunt, nam qui hactenus satis generosè obstiterat, audito Cęsaris nomine, incipit dare manus. hoc sæpe & nunc fit, ut multi metu principum deserant ueritatem. [Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, seditque pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos. Hebraicè autem Gabata. erat autem parasceue (hoc est, dies ante sabbatum, à præparatione nomen habens, cum præpararentur ea, quæ sabbato erant necessaria, ne sabbatum uiolaretur) paschæ, hora ferè sexta. & dicit Iudæis. ecce rex uester.] uoluit postremo tentare, si forte uel pudore reuocare eos posset à proposito scelere. quasi diceret, non agnoscitis ignominiæ uobis futurum, si is, qui rex uester creditur, agatur in crucem? quod & paulò post repetit. [regem uestrum crucifigam?] sequitur enim, [illi autem clamabant. tolle, tolle, crucifige eum. dicit eis Pilatus, regem uestrum crucifigam? responderunt Pontifices. non habemus regem, nisi Cæsarem.] mirum est, tam sæpe Pilatum appellasse Dominum, regem Iudæorum, sed uolente Deo, ita eum appellabat, quare & cum titulum crucis scripsit, idem dixit, neque quamuis hoc Iudæi reprehenderent, mutare uerba uoluit, sed respondit. [quod scripsi, scripsi.] Iudæi ergo Christi odio professi sunt, Cæsarem suum esse regem, quamuis alioqui affecti illi minime essent, sed post paulò meritas dederunt pœnas, cum à Cæsare perditi fuerunt, & diruta urbs, ac templum, & perpetuo usque ad hunc diem damnati exilio. Cum autem dixissent, se regem non habere, nisi Cæsarem, instabant multis accusationibus. sed cum taceret Dominus, [Pilatus rursus interrogauit illum dicens. non respondes quicquam? ecce quàm multa aduersus te testantur. Iesus autem deinceps nihil respondit, adeo ut miraretur Pilatus.] mirabatur Pilatus, cernens Dominum id agere, quod homines non solent, qui in eiusmodi causis omnem operam dant, ut liberentur, ipse uerò uidebatur nihil curare liberationem. cum enim intelligeret, sibi à præside faueri, quicquid respondisset, uidebatur satis esse ad impetrandam liberationem, quod quia minimè faciebat, mirabatur Pilatus. tacebat autem Dominus, cum ne impediret opus humanæ redemptionis, tum ut socium se præberet eorum, qui conuicti damnantur ad mortem, & suo exemplo leuiorem illis dolorem efficeret. qui, cum audiunt, Seruatorem Christum, quamuis innocentissimum, uoluisse tamen hanc

ibidem. *ibidem.* *ibidem.* *Mar. 15.*

hanc perferre ignominiam, ut tanquam nocens morti addiceretur, ipsi facilius ferant, quod meritò patiuntur. Pilatus autem etsi miraretur Domini taciturnitatem, quærebat tamen quibus eum modis liberaret. In die autem festo dimittebat eis unum uinctum quemcunque postulauissent. erat autem qui dicebatur Barrabbas, qui cum seditionis auctoribus fuerat uinctus, qui per seditionem cædem patrauerant, & cum exclamasset turba, cœpit flagitare, quemadmodum semper fecerat ipsis. Pilatus autem respondit eis dicens, utrum uultis dimittam uobis, Barabbam an Iesum, qui dicitur Christus?] etsi superius audierimus, Iudæos maluisse dimitti Barabbam, quàm Iesum, credibile tamen est, postea quàm maior iam turbarum conuentus factus erat, Pilatum iterum tentasse hac uia Dominum liberare, & non quemlibet, sed sceleratissimum uirum adiunxisse Domino, ut data optione, utrum mallent, latronem & homicidam auersarentur, ac Dominum liberarent. ante uerò quàm turba responderet. [sedente illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius dicens. nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt turbis, ut peterent Barabbam, Iesum uerò perderent.] Fortasse prouidentia Dei factum fuit illud somnium, ut uel Pilati uxor seruaretur. quanquam sunt, qui opinentur Diaboli malitia id factum esse, qui cernens Domini constantiam, ueritus fuerit id quod erat, esse scilicet illum filium Dei, tentaueritque per mulierem impedire negocium, quo instrumento ad maxima mala olim usus fuerit. Pilatus autem postea quàm nuntium uxoris audiuit, ait illis, [utrum uultis uobis è duobus dimittam?] at illi, qui iam uitiati fuerant persuasione sacerdotum & seniorum, [responderunt, Barabbam. dixit illis Pilatus, quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus?] arbitrabatur fortasse nouam hanc turbam aduenisse, ut unus de more liberaretur, & daretur eis Barabbas, quem audiuissent à senioribus postulatum. quare arbitratus hanc non fuisse inimicam Christo, rursus petit, quid uellent fieri Iesu, neque aduerterat, illam corruptam fuisse sacerdotum persuasione, quo tempore uxoris nuntium audiebat, uerum isti, [dicunt simul omnes, crucifigatur. Videns autem Pilatus, quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua manus lauit coram populo dicens. innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uidebitis.] arbitrabatur Pilatus satis à se factum, cùm, quibus potuerat cunque modis, conatus esset Iesum liberare, atque iccirco lauat manus, ut innocentiam suam declaret. & sanè si odio, ac furori Iudæorum

Mar. 15. Mat. 27. Mat. 27. ibidem. ibidem.

dæorum comparetur, innocens posit iudicari. is enim propensus semper fuit in Iesum, illi uerò neque tantam Domini afflictionem miserati, neque rationibus tanti Romanorum præsidis molliti, pertinaci odio in Domini cæde postulanda perseuerarunt, sed hoc tamen ad innocentiam non fuit satis. oportebat enim, ut sciens Iesum innoxium esse, & inculpata uita hominem, forti animo obsistere, & nullius hominum uel contemplatione, uel metu à iustitia transuersum, quod dicitur, digitum recedere. idem multis sæpe accidit, qui pro iustitia quidem laborant, sed demum, uel potentiorum metu, uel amicorum contemplatione uicti, arbitrantur satis illud esse, quòd hactenus obstiterint, etsi demum cesserint defatigati. ij meminerint, se cum Pilato partem habituros.

Mat 27. [Et respondens uniuersus populus dixit, sanguis eius super nos & super filios nostros.] O ingentes inuidiæ faces, quam uerum est, quod

Pro. 27. ait Salomon, [*ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, impetum autem inuidiæ ferre quis poterit?*] non uerentur, sibi ac posteris suis tam ingens malum imprecari, modo in crucem agatur Chri-

Mat. 27. stus, & ne sibi quidem parcere curant. [Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.] quia rursus flagellorum meminit, fieri potest, ut rursus flagellis fuerit cæsus. nam Romanorum mos erat, ut interficiendos prius uirgis cæderent, cum qua flagellatione sequi potuerunt eadem probra, atque illusiones, quæ dudum acciderant. Verum quod de Dominicæ passionis historia restat, perendie iuuante Deo absoluemus. interea hæc meditantes quæ dicta sunt, cogitantesque innocentem Iesum Iudæorum inuidia damnatum, ut agatur in crucem, accingamur ad eum imitandum, & quoniam, quemadmodum ad

Heb. 13. Hæbreos scriptum est, [*Iesus ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est, exeamus ad eum extra castra, opprobrium eius portantes. non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*] in quam, idem ipse, qui nunc ad mortem crucis damnatus pro nobis est, per eandem crucem, si eum sequi uoluerimus, perducet, Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto est Deus super omnia benedictus in secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO XLI.

De paſsione Domini Seruatoris.

QVAE duabus ſuperioribus orationibus de Seruatoris noſtri, & Domini Ieſu Chriſti paſsione à uobis audita, & à me dicta ſunt, ſatis quidem eſſent ad unumquenque animandum, & confirmandum ad extrema quæque pro tanto ac noſtri amantiſsimo Domino, non ſolum ęquo animo, ſed etiam libentiſsimo perferenda. cui enim noſtrum ad tam humilia, tamque probroſa deſcendere unquam continget, in quæ unigenitus ille Dei patris pro nobis à ſceleratis & impijs deductus eſt? ſed quę reſtant uidenda, Colophonem (quod dicitur) rebus imponent, & omnes patientiæ, & humilitatis, & obedientiæ numeros ſun t habitura, quæ, quoniam grandis adhuc reſtat uia, iam aggrediemur. uos uerò non ſolum attentis animis adeſtote, uerum etiam ueſtra me prece iuuatote, ut eum affectum induam, qui dicendis tanta pietate rebus eſt conſentaneus. [Acceperunt autem (inquit) Ieſum. at is baiulans crucem ſuam exiuit in eum locum, qui dicitur Caluariæ, Hebraicæ autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc atque hinc, medium autem Ieſum.] *Ioa. 19.* Dudum cæſus flagris erat, quę adhuc recentia ſentiebantur, nec uerentur crudeles ita afflictis humeris crucem imponere, quam ferat, ut plagæ recrudeſcant. neque ſatis fuit, ſi ageretur in crucem, niſi illam etiam ferret, in maius & pœnę & probri incrementum. res enim erat execranda crux, de qua ſcriptum eſt, [*execrandus omnis qui pendet in ligno.*] *Deu. 21.* ſed hanc execrationem Chriſtus pertulit, ut nos redimeret ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio. uerum & hoc multò antea ſignatum fuit, nam & Iſaac, qui Chriſti figuram tulit, cum duce- *Gen. 22.*

retur immolandus, struem lignorum portauit, quibus erat imponendus, ut fieret holocaustum. in qua historia, etiam illud quadrat, quòd etsi ductus fuerat Isaac ad immolandum, euasit tamen, immolato ariete pro illo, sic cum Dominus Iesus & Deus & homo esset, Diuinitas nihil passa est, humanitas ad tempus obnoxia fuit passioni. Ducitur ergo ferens crucem, ut faceret,
Esa. 9. quod predictum olim à propheta fuit, [*cuius imperium super humerum eius.*] nam imperium eius à cruce profectum est. quia e-
Phi. 2. nim [*factus est obediens usque ad mortem crucis, Deus extulit illum in ingentem celsitudinem, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.*] in qua cogitatione meminerimus præstare & ip-
Mat. 16. si, quod idem Dominus à nobis petit, cum ait. [*qui uult uenire*
Luc. 9. *post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.*] neque defatigemur, neque enim quisquam nostrum, quamuis grauissimis pœnis afficiatur, proximè accedere ad eius dolores poterit. Neque satis fuit ad probrum, ferre crucem, in quam agendus esset, uerum ad contumeliæ incrementum, atque ut uideretur sceleratior, duo illi latrones comites adhibentur, mediusque inter eos ponitur, tanquam latronum princeps. & is,
Mat. 21. qui dudum asello insidens tam honorificè acceptus a turbis fuit,
Mar. 11. & appellatus filius Dauid, & Rex Israel, nunc inter latrones cru-
Ioa. 12. cem ferens ab eadem turba è ciuitate eijcitur, ut hostis Dei. Ferebat ergo crucem. uerum quia ob flagella debilis effectus erat, credibile est, illum non potuisse tam festinè ingredi, quàm milites uoluissent, qui, quoniam tardior iam erat hora, moram ini
Mar. 15. quo animo ferrent, quare cum habuissent [obuiam Simonem quendam Cireneum reuertentem è uilla, patrem Alexandri & Rufi, adegerunt eum, ut ferret cru em post Iesum.] hæc filiorum huius Simonis commemoratio facile mihi persuadet, & patrem & filios esse amicos Domini, eiusque apostolorum. beatus sanè occursus, qui utinam & mihi contingat, ut aliquo pacto liceat huius crucis esse participem. neque enim mihi facile persuadeo, etsi dicat Euangelista, milites uim adhibuisse ei, ut ferret crucem, illum eam uim inuitum pertulisse, neque Dominum Iesum uoluisse, ut pretiosum lignum illud, quod salutem attulit mundo, suis hume-
Luc. 23. ris sine ullo fructu ferret. [Sequebatur autem illum multa turba populi

&

& mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.] populus quidem uidetur secutus, ut cerneret impleri, quod acclamarunt, cum dixerunt, [crucifige, crucifige eum.] mulieres uerò pię erant, & quæ uiuentem amauerant, etiam moriturum lacrymis prosequebantur, ipsis etiam apostolis animosiores. quod & uobis mulieres faciendum est, sed id agere non potestis, nisi eum ametis. & amoris indicium in plerisque uestrum nullum reperio, sed inimicitiarum potius, atque odij. nam infinitus ille uester mundus muliebris, ac tam multi sumptus in uestibus, qui in Christi fratres esset impendendus, & pictæ genę ad prouocandam hominum lasciuiam, manifestissima sunt, non amoris sed inimicitiæ in Christum argumenta. quòd si cum hac mente & his moribus passionem Domini defletis, quid est aliud, quàm sub persona risus, ut quidam de hęredis fletu dixit. quare, si cum fructu lamentari cum hisce pijs mulieribus, & largiri uestro Domino ac Seruatori lacrymas uultis, cogitate nunc ac firmo proposito statuite finem imponere his uanitatibus, alioqui si priorem mentem retinere in animo est, pro certo habetote, uos cum illo partem non esse habituras. sed uideamus, quid illis Dominus dixerit. [Conuersus autem (inquit) ad illas Iesus dixit. filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super uobis ipsis flete, & super filiis uestris. quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent, beatæ steriles, & uentres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?] non displicebat quidem Domino, illa mulierum misericordium pietas, qua Dominum deflebant, & lamentabantur, sed ostendit, sibi magis dolere (ò indefessam charitatem) quod cernebat Iudæis euenturum ob scelus, quod patrabant. nam & dudum hoc malum defleuerat. sic enim scribit Lucas, *Luc. 23.*

[*uidens ciuitatem fleuit super eam dicens. si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undique, & solo æquabunt, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.*] quare? [*eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.*] cum ergò hæc uerba paulò ante dixisset, distinctéque mala euentura commemorasset, contentus fuit nunc admonuis- *Luc. 19.*

ſe tantam futuram calamitatem, ut beatæ uocandæ ſint mulieres eo nomine, quo alioqui infelicisſimæ exiſtimantur, quæ uidelicet fuiſſent ſteriles, nec genuiſſent, aut ſi genuiſſent, mortuus eſſet partus, ut lactare illum opus non fuiſſet. hæc certe cum per ſe infelicia ſint, ſi res beatæ ob expectata mala ſunt exiſtimandæ, intelligere poterant, quanta calamitatum Ilias immineret, ob quas etiam optabilior futura eſſet mors, quàm uita, ut rogandi ſint montes, ut cadant ſuper eos, & colles, ut eos operiant. [quia ſi in humido (inquit) ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?] accepta eſt ſimilitudo à lignorum combuſtione, quæ dum humida ſunt. difficilius ardent. quòd ſi ignis in humidis ac uiridibus uim habet, multò profectò magis in arida ſæuiet. ſic ſi aduerſus innocentisſimum, in quem pœnæ uim nullam habere debuerant, tam crudeliter ſæuitur, quid ijs fiet, qui tanquam ligna arida apta incendio ſunt? quod exemplum nobis uehementer eſt metuendum. neque mirum cuiquam uideatur, quod ſum dicturus, ſed loco admirationis uelim ut formidetis. uereor enim ne ęquè graues pœnæ nos maneant, quanquam illæ fuerunt ſupra quàm dici posſit, grauisſimę. nam ut cætera taceam, quæ Iudæis acciderunt, tam ingens fames Ieroſolymam inuaſerat, ut certaſſe inter ſe armis domeſtici dicantur, ſi quid eſculenti temere ad manus ueniſſet, filij ex ore parentum cibum rapere, nec fratrem fratris miſereri, nec ſororem ſororis. multi bubulum fimum mandere conati ſunt, alij cloacas rimari, ciboſq; inde obſcœnos ſibi quærere. coria ſcutis detracta, & calceorum aluta fuit multis cibus, fœnique laceramenta quibuſdam uictui fuere. quare perijt interim tanta uis mortalium inedia, ut Annius Eleazari filius, qui medio tempore obſidionis ad Titum tranſfugit, centum quindecim millia cadauerum in urbe elata dixerit, ferturque deſuncta tali aut ſimili clade ad ſexcenta hominum millia Romanis Ieroſolimæ aſſidentibus. iſta uos terrent? neque uerò id iniuria. ſed audite cur dixerim, metuere me, ne eadem clades nos maneat. ſi ij, quorum maxima pars ignorabat ueritatem rei, & ob ignorantiam potius quàm ob malitiam peccauerunt, necem Domini poſtulantes, tam crudeliter fuerunt tractati, quid nos meremur, qui, cum agnoſcamus, cum [*omnis lingua confiteatur, quòd Dominus eſt Ieſus Chriſtus*,] tam

Luc. 23. *Phil. 2.*

tam iniurij in Christum sumus, & quotidianis probris illum afficimus? contemplamini uestra facta, si non uidentur ij, qui Christum confitentur, in illius interitum, si fieri posſit, conspirauisse. quid enim non illius honori anteponitis? ubi quid temporarij lucri, aut humani honoris occurrerit, nulla Christi, eiusque doctrinę ac præceptorum cura subit. quæ res multò illi maiorem parit contumeliam, quàm ipsa crux peperit. nam ex crucis perpesſione in illam euasit celsitudinem, in qua nunc est, at ex iniquis Christianorum factis malè audit inter gentes, neque ullum alium ex eo fructum refert. quare iure non solum pares Iudęis pœnas, quas adhuc luunt uagi, ac per orbem dissipati, sed maiores etiam meremur. quamuis aliud multo molestius uereor. quodnam illud est? ne maxima pars hominum tam perditè uiuentium, in Geennam conijciatur, quod malorum omnium extremum ac summum est. nam temporariæ pœnæ si longę, leues sunt, sin magnę, breues. at illę in inferno & maximę sunt, & finem non habebunt. [Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus, & dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum. & cum gustasset, noluit bibere.] & hic crudeliter nimis se gesserunt contra Dominum Iesum. nam mos erat dare ijs, qui in crucem agendi essent, uinum, recreandi hominis & aliquantum leuandi doloris gratia, qui mos ex Salomonis documento uidetur fuisse introductus. ipse enim docere uolens, cui esse usui uinum deberet, dixit. [*noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare uinum, neque principum est sicera. date siceram pereunti, & uinum ijs, qui amaro sunt animo, bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur.*] sicera Hebręa uox est, & ebrietatem significat. poniturque pro uino & quauis re, quę ebrietatem afferre posſit. iubet ergo siceram dari pereunti, ut inebriatus dolorem minus sentiat. hi ergo crudelisſimi pro optimo uino, quod recreare afflictum debuisset, [dederunt ei uinum cum felle mixtum,] quod prędictum à propheta fuit, qui ait. [dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.] [*at ille cum gustasset, noluit bibere.*] non quòd recusaret illud pati, qui multò esset grauiora & passus & passurus adhuc, sed fecit & hoc docendi nostri gratia, ut scilicet parati simus quidem ad perferenda mala omnia, quę nobis ab hostibus inferantur, uerum cum in nostra est potestate, recipere

Mat. 27.

Matt. 27

Psal. 38.

Matt. 27

pere illa uelimus, necne, esse illa recusanda. has Domini angu-
Pro. 23. stias uellem cogitarent ij, qui [*student*] ebrietati, atque (ut Salomon ait) *calicibus epotandis*,] neque contenti eo, quod naturę necessitati satis sit, ad ęquales interdum haustus alter alterum inuitant. contemplentur hic filium Dei, quem credibile est ingenti siti laborauisse, ut qui tota nocte ab impijs sacerdotibus & ministris fuisset fatigatus, & à pręside flagellis cęsus, ac uarijs modis diuexatus, nunc cum sitim sedare optauisset grato aliquo poculo, fel uino permixtum reperisse, quod recusare fuerit coactus. nostis autem quàm uehementer lædere soleat sitis, ut eius perpessio pro ingenti tormento habeatur. multò uerò magis, si cum alijs calamitatibus coniuncta sit. huius facti memoria animum uestrum subeat inter pocula, & parcite superuacuis potibus, quin potius sitienti adhuc in fratribus suis Christo suam partem reseruate. Hoc facto agitur in crucem Iesus, teterrimum & crudelissimum supplicij genus. fodiuntur clauis manus ac pedes, quę partes ob neruos & musculos, quibus plenę sunt, acceptum dolorem ad præcordia transmittunt, & conuulsionem illam pariunt, quam Græci spasmum appellant, & impletum est,
Psal. 21. quod dictum fuerat per prophetam. [*Foderunt manus meas, & pedes meos*,] atque ad maioris ignominiæ incrementum addide-
Mar. 15. runt ei socios, [duos latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris,]
ibidem. ut ipse latronum princeps existimaretur. [ut impleretur quod scriptum
Luc. 23. erat, & cum iniquis deputatus est.] [Iesus autem dicebat, pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant.] in medijs doloribus, & in ipsa manuum & pedum perfossione rogat patrem, ad quem, tametsi idem cum patre posset, omnia referebat, ut eis ignoscat, quia nescirent quid
1. Cor. 2. facerent. [*si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*] Vbi rursus sunt, qui non solum in ipso offensionis sensu, uerum etiam post mensium, & annorum spatia nequeunt ad ignoscendum inflecti, & tamen à Christo cognomen acceptum audent circumferre? cernitis exemplum eius, cuius fidem profitemini? cur ergo tam diuersa, atque adeo contraria illi uia ingredimini? hoc non est in Christum credere, sed potius negare, dum factis ipsis tam contrarios uos illi declaratis. si quis enim uestrum blandis uerbis diceret, se episcopum amare, & interea tum uerberibus, tum probris illum insectaretur, quis illius uerbis crede-

bis crederet? sic [*qui dicit, noui eum* (ait Ioannes apostolus) *& praecepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est.*] quare addit [*qui dicit, se in eo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*] Quàm uerò tempestiuè interpellare pro nobis incipit Dominus, & praeterea fiduciam praebere ijs, qui post maximas offensiones conuerti ad eum uoluerint. tempestiuè admodum sacerdotis officio fungi cœpit, cuius officium erat precari pro peccatis populi. [Ignosce (inquit) illis, quia nesciunt, quod faciunt.] dicet fortasse aliquis eorum, quos hic reprehendi. si is, qui me laesit, ob ignorantiam peccauisset, facilè ignouissem, sed sciens & uolens hac me iniuria, atque hoc damno affecit. non ita est ò homo, non ita est. etiam cum prudens quis, ac sciens peccat, in maximis tamen uersatur tenebris ignorantiae. quis enim intelligens, quantum mali peccatum homini afferat, & in hac, & in futura multò magis uita, trahi se ad peccandum pateretur? nemo profectò. quare ignoscendum semper est, & ignorantiae ignoscendum. [Scripsit autem & titulum causae Pilatus, & posuit super crucem, erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. hunc ergo titulum multi legerunt. quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus, & erat scriptum Hebraicè, Graecè, & Latinè. dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum, noli scribere rex Iudęorum, sed quod ille dixerit, rex sum Iudaeorum. respondit Pilatus, quod scripsi, scripsi.] quod ait, Pilatum scripsisse titulum causae, significat, in eo titulo declarari causam, cur in crucem esset actus, uidelicet ob regnum, quod dixissent, illum sibi usurpauisse. at pontifices intelligentes, hoc in Iudaeae gentis probrum redundare, si rex eorum in crucem fuisse actus diceretur, petebant mutari titulum illum in alium modum, sed uolente Deo perstitit Pilatus in sententia, & nesciens Diuinae seruiuit dispensationi. oportebat enim, ut, qui uerè esset rex, non solum Iudaeorum, uerum & omnium, titulo suo honestaretur. quòd autem inscriptio tribus linguis facta fuerit, uidetur illud fuisse in causa, quòd credibile est, multos ethnicos ad diem festum conuenisse ob celebre festi illius diei nomen, qui ethnici Graeca & Latina lingua potissimum uterentur. & Hebraea ob ipsos Iudaeos fuerat apponenda. neque uerò id sine mysterio accidit, cum omnes nationes, omnesque linguae, quarum hae praecipuę erant, regem illum fuissent agniturae. Hebraea ob legem in ea scriptam, & ob uetustatem praestabat, quam primam omnium fuisse est

Luc. 23.

Ioa. 19.

admodum

admodum uerisimile. quare Ioannes Euangelista primam illam posuit. Græca in omnibus ferè gentibus uersabatur. Latina in pretio erat ob Romanum nomen. iustum ergo erat, ut hic titulus tribus hisce linguis inscriberetur, & agnosceretur Iesus omnium Dominus, non Iudæorum tantum. [*an Iudæorum* (ait Paulus) *tantum Deus? nonne & gentium? sanè & gentium.*]

Rom.3. Ioā.19. Milites ergo cum crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partis, unicuique militi partem, & tunicam. erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totum. dixerunt ergo inter se, ne scindamus eam, sed

Ps.21. sortiamur de illa cuius sit. ut scriptura impleretur dicens. partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem.] Mira prophetarum diligentia, qui, ut solidiora nos fundamenta ueritatis haberemus, non contenti meminisse diuisarum uestium, seorsum etiam posuerunt sortem positam super tunicam. pepercerunt autem tunicæ, ob continuum eius contextum, quo etiam significabatur, non decere in Christiana republica scissuras esse, sed seruandam unitatem, atque concordiam, qua in primis Christus honestatur tanquam ueste quadam, quam qui scindere uolunt, sæuiores eos esse ipsis militibus, qui eum in crucem egerunt. Et milites quidem hęc fecerunt, hoc est, diuiserunt sibi uestimenta eius, & nudum cruci affixerunt, quo facto erecta est crux, & in altum sublatus Iesus, quod ipse prędixerat futurum, cum significaret,

Ioan.12. qua morte esset moriturus. [*& ego* (inquit) *si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me.*] hoc est, homines ex toto orbe terrarum. hoc signum, quod antea horroris, ac probri plenum fuerat, ubi illud sua morte consecrauit Iesus, tam gloriosum euasit, ut reges ac principes terrę nil agnoscant honestius, neque gloriosius. in hoc profligatę sunt aduersarię potestates, & factum est,

Col.2. quod ait Paulus ad Colossenses scribens, [*& uos cum essetis mortui per delicta & per præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit è medio affixum cruci, expoliatosque principatus & potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum.*] sed huius crucis gloriam in aliud tempus prędicandam reseruemus. nunc

Mat.27 negocio, quod instat, incumbamus. [Prætereuntes autem conuicia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes. tu ille, qui destruebas tem-

plum Dei,

plum Dei, & in triduo ædificabas, ferua temet ipsum, si filius Dei es, descendt de cruce. similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant. alios saluos fecit, semet ipsum non potest saluum facere. si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. confidit in Deo, liberet eum nunc si uult, dixit enim filius Dei sum.] Addunt crudelibus pœnis probra crudeliora, ipsi crudelissimi. obijciunt templi ruinam, & eiusdem promissam ædificationem. quod falsum esse, iam ostensum est. rident, quòd se dixisset filium Dei, quem, si id uerum fuisset, non putabant fieri posse, ut Deus permitteret tam probrosa morte affici. qua in re ijdem ipsi non aduertunt, se ea probra ingerere, quæ prædictum erat, illos in ipsum inculcaturos. sic enim scriptum est in eo psalmo, qui manifestissimè de Christo loquitur. [*Omnes uidentes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput. sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.*] quod uerò pollicentur, se credituros ei, si descendat de cruce, hoc deridendo potius uidentur dixisse, quasi dicerent, ostendat nunc potentiam suam, cum clauis est cruci affixus, neque ullam sibi posthac afferre opem potest, nedum alijs. sed qui tantam eius maiestatem, ac potentiam in miraculis uiderant, neque crediderant, ne tum quidem credidissent, si descendisset de cruce, quod multò fuisset minus, quàm cum quatriduanum Lazarum à mortuis suscitauit, neque tamen conuersi ad tam ingens miraculum sunt. hæc probra & conuicia meminisse oportet, cum à proximo quopiam malè audimus. sic enim fieret, ut nihil tam graue conijci in nos posset, quod non æquo, ac libenti etiam animo portaremus, gloriaremurque tanti regis in hac parte socij esse meruisse. [Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.] Matthęus & Marcus generatim de latronibus scribunt, quòd probra coniecissent in Iesum, quamuis fieri possit, ut unus tantum id egisset, neque eiusmodi loquendi mos ab usu dicendi abhorret. at Lucas explicatius historiam hanc tractans ita scribit. [unus autem de ijs, qui pendebant facinorosorum, conuicia dicebat in eum dicens. si tu es Christus, serua teipsum & nos. respondens autem alter increpabat eum dicens. ne tu quidem times Deum, qui in eadem damnatione es. & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus. hic uerò nihil mali gessit.] Primum obserua, duos hosce latrones humanum genus repręsentauisse, quod totum cum peccauerit [*omnes enim* (inquit) *peccauerunt, & egent gloria Dei,*]

Psal. 21. *Ioa. 11.* *Mat. 27.* *Luc. 23.* *Rom. 3.*

Dei] merito omnes in latronum numero censendi sumus. uenit autem Iesus, ut totum hoc genus seruaret, atque ob hanc causam in horum latronum medio uoluit collocari. uerum seruari non potest, qui peccatum suum non agnoscit, seque dignum ultione, ac pœna non intelligit. hunc signauit latro ille, qui conuicia in Iesum dicebat, neque uel damnatione, in qua erat, permouebatur, ut resipisceret. uoluisset quidem seruari, icirco aiebat,
Luc.23. [Serua te & nos.] sed contumeliose non piè hoc petebat. quod idem & falsis Christianis accidit, qui uellent quidem salutem assequi, cum interea non cessent in Christum esse contumeliosi. reliqui in altero latrone signabantur, qui & Christi innocentiam & sua facinora agnoscebat. quare aiebat. [Et nos quidem iustè damnamur, nam digna factis recipimus, hic uerò nihil mali gessit.] & quo pacto id sciebat? poterat audiuisse famam eius sanctitatis & miraculorum. deinde audiuerat illum, quo tempore cruci affigebatur, patrem rogasse pro ijs, qui clauis illum eidem cruci affigebant, ut illis ueniam daret, quod summæ perfectionis et animi cum Deo coniunctissimi indicium est. sed plenum miraculi est, quod sequitur.
ibidem. [Et dicebat (inquit) ad Iesum. Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuum] cernit nudum hominem, clauis ita affixum cruci, ut moueri se non posset, de quo nihil expectabatur, nisi ut iam iam extremum clauderet diem. audit omnes conuiciantes, probris impetentes, & audet mentionem regni facere, creditque illum regnaturum. hoc omni admiratione maius est. uides quàm tempestiuè fides uim exerere suam cœperit? quo tempore desperatum Christi negocium credebatur, eo ipso tempore fides admirabilissimum hoc opus protulit. latro petit, ut Iesus eius meminerit, cum uenerit in regnum suum. si Christus innocens, ac iustus est, consentaneum est, ut regnum quoque eius iustitię sit plenum. quem ergo tibi, qui latro es, locum in illius regno tibi polliceris? illum ergo esse regem, ac post crucem regnaturum, spiritus sanctus proculdubio animo eius illapsus docuit, qui etiam spem iniecit salutis, ac misericordiæ adipiscendæ, quam eo fidentius expectare
Luc.23. ab eo poterat, quòd illum audierat rogasse patrem, ut ijs remitteret, qui illum in crucem agebant. Dominus uerò quid? [Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.] cernis uera confessio quantum
ibidem. pariat boni, & quàm proxima paradiso sit crux? [hodie, inquit, ubi primum

ubi primum hæc crucis dispensatio peracta fuerit, [mecum eris in paradiso.] quis posthac crucem abhorreat, atque adeo quis non in eam potius agi concupiscat? cum ab ea mox in paradisum sit recipiendus, & eum paradisum non ubi serpens mulieri insidiatus totum genus nostrum perdidit, sed de quo scribit Paulus. Gen. 3.
[*scio hominem in Christo raptum fuisse in paradisum, & audiuisse arcana uerba, quæ non licet homini loqui.*] Obserua uerò mysterium. sexto die factus est primus Adam, qui serpentis uersutia à paradiso eiectus fuit ob uetiti ligni contactum. sexto item die secundus Adam serpentis, hoc est, peccatoris, cuius figura in æneo illo serpente designata fuit, forma recepta, in lignum actus & in mortem datus, paradisum homini restituit. in hoc nouissimo homine dissoluitur primus ille ac uetus, ut reformetur, ac nouus fiat, idque per crucem, sine qua uetustatem nostram abijcere minimè possumus, neque ueterem hominem deponere cum uitijs & concupiscentijs, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. horremus crucem? intueamur paradisum, ueterem nostram hæreditatem, in quem non nisi per crucem sumus restituendi. [Erat autem hora ferè sexta.] [stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius Mariæ Cleopæ & Maria Magdalenæ. cum uidisset ergo Iesus matrem ac discipulum astantem, quem diligebat, dixit matri suæ. mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo. ecce mater tua. & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.] Et hoc erat doloris additamentum Domino, cernere charissimam matrem & dilectum discipulum, & reliquos charos sui gratia angi, ac lamentis affligi. exemplum uerò præbuit curandorum parentum, cum in summo uitæ discrimine grauissimisque tormentis matrem non est oblitus. & alibi quidem uidetur, non curauisse carnis cognationem, cum dicentibus quibusdam, [*mater tua & fratres tui foris stant, uolentes loqui tibi. ipse respondit. quæ est mater mea & qui sunt fratres mei? qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic frater meus & soror & mater est.*] & in nuptijs cum mater ei dixisset. [*uinum non habent,*] respondit, [*quid mihi & tibi est mulier?*] quam etiam non matrem sed mulierem appellare consueuerat ob eandem causam, ut spiritualis cognationis maiorem doceret habendam esse rationem. non tamen iccirco neglexit filij officium, cum opus fuit;

Marginal references: 2.Cor.12; Gen.1.; Col.3.; Ephe.4.; Luc.23.; Ioa.19.; Mat.12.; Mar.3.; Luc.8.; Ioan.2.

exercere. alloquitur ergo primò matrem, eique indicat, quem pro filio posthac sit habitura, ut hoc solatio dolorem, quo premebatur, lenire posset. is autem erat, quem ipse diligebat, Ioannes uidelicet, qui hanc historiam scribens, modestię gratia nomen obticuit suum. neque hoc contentus Dominus, discipulum alloquitur, eique matrem commendat, neque id simpliciter, sed uult ut illam pro matre habeat. Quàm uerò beata res est, iuxta crucem esse, atque illi adhęrere. ecce enim discipulus, quia cęteris fugientibus ipse perstat, efficitur frater Christi, & eius mulieris filius, quę Deum peperit. contemplare interea, quo pacto in cruce omnia agantur sine turbatione. precatur pro inimicis, latroni paradisum pollicetur, curam gerit matris, implere scripturas curat. sic nimirum & nobis usu ueniet, si huic cruci afficiamur. prius autem, quàm eam assequamur, turbę nnnquam deerunt, pauores, tędia. at ubi in eam agimur, ac seriò amplectimur, omnia mox cum tranquillitate peraguntur. [A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. & circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna dicens. Eli Eli lamma azabthani. quod est, Deus meus, Deus meus, cur dereliquisti me?] tenebrę illę, quę tunc factę fuerunt, non erant iuxta naturę ordinem, cum scilicet luna suis motibus propinqua facta soli, obijcit se inter solem aspectumque nostrum, ne solis lumen de more ad terram porrigatur. nam eo tempore cum Dominus in cruce esset, quartadecima erat luna, neque deliquium solis naturę ordine fieri poterat. erat ergo hoc supra naturam, ut ea hora tenebrę super uniuersam terram fierent, quemadmodum olim sub Mose totam Ægyptum occupauerunt. & iustum sanè erat, ut, cum sol iustitię Christus in summo uitę discrimine uersabatur, sol lumen suum occultaret. uideant nunc Iudæi, qui signum è cœlo prius à Domino Iesu Christo postulauerant, magnificum è cœlo signum datum, ne excusare possint, cur non in illum credant. sed tenebræ illę arguebant Iudęam gentem in erroris & incredulitatis tenebris uersaturam. hoc autem [à sexta hora] cœpisse fieri narrant Euangelistę, qua hora Dominus in tanta uersabatur afflictione, ut uideretur fuisse à patre destitutus, quod pulchrè quadrat cum mysterio. sexto enim die, ut superius dictum est, factus est homo, crediturque, illum sexta hora de uetito ligno

Mat. 27. Psal. 21. Exo. 10. Luc. 11. Mat. 27. Gen. 1.

gno comediſſe. qua igitur hora Dominus hominem condidit, eadem hora & lapſum curauit. [& circa horam nonam,] qua & mortuus eſt, [clamauit Ieſus uoce magna dicens, Deus meus, Deus meus, cur dereliquiſti me?] uerba nimirum illa, quę Dauid, qui figuram Chriſti prętulit, in eius pſalmi initio poſuit, quem de paſſuri Chriſti myſterio edidit. in quo pſalmo etiam reddit cauſam, cur ſe deſtitutum lamentaretur. nam addit. longè es à ſalute mea, & à uerbis rugitus mei. non ergo deſperantis uerba ſunt, ſed ſignificantis, quanto eſſet in angore. in quo cerneret, Deum illum eſſe uoluiſſe, neque eum eripere. quare in eodem pſalmo ſequitur. [*Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.*] quòd itaque hic uidetur queri, quòd derelictus à patre fuerit, ut uideatur non impetraturus liberationem, quam magnis clamoribus poſtulet, non impatientiam aliquam, aut diffidentiam hęc uerba prę ſe ferunt, ſed Chriſti ueram humanam naturam, ueramque eius declarant paſſionem. ſicut cum antea rogauit patrem, ut, ſi fieri poſſet, auferretur ab eo calix, non recuſabat calicem, ſed oſtendebat, ſe uerè ſentire hauriendi calicis dolorem. [Quidam autem illic ſtantium, cum audiſſent, dicebant. Eliam uocat iſte, & continuò currens unus ex eis, cum acceptam ſpongiam impleſſet aceto, impoſuit arundini, dabatque ei, ut biberet. cæteri uerò dicebant, ſine, uideamus an ueniat Elias liberaturus eum.] Milites qui eum circunſtabant, Romani erant, neque Hebręam linguam callebant, uerſantes tamen inter Hebręos, audierant celebre nomen Elię prophetę. cum ergo audirent Ieſum dicentem. [Eli, Eli.] arbitrati ſunt, illum uocare Eliam, & curioſitate quadam expectabant, num ueniret Elias ad liberandum eum. & ob hanc cauſam poſita ſunt Hebręa uerba, ut, cum audiremus illos dicentes. [Eliam uocat iſte,] intelligeremus erroris cauſam, quod intelligere non potuiſſemus, niſi Hebrææ uoces poſitę fuiſſent. quòd uerò uolente uno porrigere potum, alij prohibuerunt, ut cernerent, num ueniret Elias, id fecerunt, ne per illum potum ante moreretur, quàm ueniret Elias. dabatur enim interdum uinum, ut celerius ex uulnere morerentur. & fortaſſe ob hanc cauſam is, qui porrigere potum uoluit, id fecit, ut ante moreretur, quàm ueniret Elias ad eum liberandum. [Poſtea ſciens Ieſus, quòd omnia conſummata iam eſſent, ut conſummaretur ſcriptura, dixit, ſitio. uas igitur erat poſitum aceto plenum, illi uerò impleuerunt ſpongiam aceto, & hyſopo impoſi-

tam

Mat. 27.
ibidem.
Pſal. 21.
ibidem.
Mat. 27.
ibidem.
ibidem.
Ioa. 19.

tam admouerunt ori eius.] Vide constantem animum Domini Iesu. sitiebat proculdubio. multæ enim afflictiones, & multus profusus sanguis parere sitim consueuerunt. quę sitis quantum per se excruciare hominem soleat, nemo uestrum ignorat. & tamen ostendit Euangelista, non dixisse Iesum, se sitire, ut biberet. nam illam sitim perferre pro nobis non recusauisset. uerum ut scriptura consummaretur, quæ

Psa. 68. ait. [*in siti mea potauerunt me aceto.*] uide qualem fructum uinea illa reddit, quam ita magnificè, & tantis cum mysteriis tran-

Psal. 79. stulit ex Ægypto, de qua scriptum est [*uineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam.*] Esaias uerò præuidens

Esa. 5. futuram huius uineæ ingratitudinem, dixit. *uinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. & sepsuit eam, & lapides eiecit ex ea, & plantauit uineam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit, ut faceret uuas, & fecit labruscas.*] ecce enim pro uino fel & myrrham & acetum ei porrigunt. hoc pro fertili terra, quam tot annos possederant, pro ingentibus uineis, & suauissimis uinis, quę terra illa protulerat, rependunt tanto muneratori. audiebat mater unigenitum illum æterni patris sitientem, & neque uel exigua frigida aqua recreare illum poterat. cogitate uos matres, si quæpiam uestrum cerneret filium suum charissimum inter alias angustias siti laborantem, neque posset illi opitulari, quàm uehementer excurciaretur, & rem sibi morte ipsa acerbiorem existimaret. cerno uos ob hanc Christi afflictionem multum commoueri, uerum quid dicturę estis, cum monstraro uobis, tantum abesse, ut uino uel grato aliquo liquore Iesum recreare paratæ sitis, ut etiam amariora aceto, & felle pocula illi frequentissimè porrigatis? quo id tandem pacto inquitis? quoties Christi fratres fame ac siti confici potius toleratis, quàm malitis quicquam imminuere de sumptibus, quos in uestes & pompas, & uestrum muliebrem mundum impenditis, toties amarissimum illi fellis potum datis, & longè amariorem illo, qui passionis suę tempore oblatus illi fuit. cernite hic Iesum pro uobis uestraque salute siti confici, & eundem nihilò minus sitire quotidie in fratribus suis, & quam opem, si morienti interfuissetis, ei attulissetis, eandem fratribus illius afferto te. nam

Mat. 15. professus est, se in eis illa accipere, cum dixit, [*quod uni ex minimis*

nimis meis hisce fratribus fecistis, mihi fecistis.] hæc non tam hac hora sunt cogitanda, quàm ubi uos animus inuitat ad repetendas priores uanitates. tunc enim in sitientem Iesum oculi sunt coniiciendi. quod si ex animo feceritis, nihil dubito, fore, ut meliorem posthac mentem induatis, quàm hactenus sit factum. eadem & uobis uiri dicta existimate, qui & sitientem, & esurientem, & nudum Christum quotidie cernitis, & nulla erga illum misericordia commouemini, dum temperarijs lucris & comparandis diuitiis toti incumbitis. si declarare uultis, uos nunc sitientis Christi ex animo misereri, factis hanc misericordiam ostendite, & me posthac ad alendos Christi fratres animosius adiuuate. sed reuertamur ad sitientem Iesum. Sitit fons uitæ. sitit is, qui in deserto produxit aquam ex petra huic ingrato populo, qui nunc ei acetum reddit. sitit, qui dixit. [*qui credit in me flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ*] is qui dixit Samaritanæ. [*si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, da mihi bibere, petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.*] quis non optet dare huic potum, ut accipiat aquam, quæ fiat ei fons aquæ salientis in uitam æternam. O sæuam gentem. cernis illum oblitum iniuriarum, tanquam ab amicis petere ut bibat, & tu nondum pœnis illius satiata acetum porrigis. idem ipsum ij faciunt, qui cernentes Christum in pauperibus sitientem, aspera illi uerba respondent tanquam acetum, deridentque, & mendicitatem obijciunt, cumque exigua re Christum habere debitorem possent, inimicum habere malunt. Vis gratissimum etiam poculum præbere Christo, & quod ipse maximè sitit? remitte si quid habes aduersus proximum tuum. hoc illum insigniter recreabit. hæc ingens illius est sitis, ut mandata eius seruemus, quorum summa est charitas, ut mutuò inter nos diligamus, sicut ipse dilexit nos. sitit sitim nostram, ut sitiamus & petamus ab eo potum quo inebriemur [*& satiemur ab uberibus consolationis eius.*] ipse enim inuitat. [*si quis sitit ueniat ad me & bibat.*] & in Epithalamio. [*comedite amici mei & bibite, & inebriamini charissimi.*] [Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est,] cernis quanta ei fuerit cura implendi, omnia, quæ scripta de illo erant? quibus impletis, quæ ad eius perferendas passiones pertinebant. dixit, [consummatum est.] hoc est, impleta iam sunt omnia. tantum pœ-

Deu. 8.
Ioa. 7.
Ioa. 4.
Esa. 66.
Ioa. 7.
Can. 5.
Ioa. 19.
ibidem.

narum

narum datum est Iudæis, quantum abundè satis illis esse potest. ecce rursus omnia cum tranquillitate animi fieri, perinde quasi nihil pateretur, cum tamen in grauissimis uersaretur tormentis. sic nobis est faciendum, perferenda sunt omnia æquo animo, quæ cernimus à cœlestis patris uoluntate proficisci, quibus per-
ibidem. actis & nos dicere possimus cum Iesu. [consummatum est.] neque reliquum aliud sit, quàm ut securi in manus patris spiritum no-
Luc. 23. strum commendemus. sic enim & ipse fecit. nam [clamans uo-
Ioa. 19. ce magna dixit. pater in manus tuas commendabo spiritum meum. & inclinato capite emisit spiritum.] Quod magna uoce clamans expi-
Ioa. 10. rat, confirmat id quod antea dixerat. [*potestatem habeo ponendi animam meam.*] non enim expectauit, dum consumpta naturali ui, spiritus ipse sua sponte deficeret, sed ipso clamore indicauit, multum adhuc uirium superfuisse. non ergo sicut communes homines, sed magna cum potestate expirauit. commendat autem spiritum patri, cui cum usque ad mor-
Phili. 2. tem obediens fuisset, atque omnia semper ad eum retulisset, iustum erat, ut hinc discedens, à patre, à quo missus fuerat, etiam discedendi peteret potestatem, tantum non dicens. pater, qui me misisti ad operandam salutem generis hominum, iam consummatis omnibus, bona cum tua uenia, afflictus spiritus exiens ad te ueniet, quem scio te libentissimè suscepturum. In hac autem sui spiritus commendatione commendatæ sunt & nostrę, omniumq; fidelium animæ, ne posthac Diabolus in eas habeat potestatem. hoc imitari deberent Christiani, & hæc uerba proferre, cum morti proximi sunt. hęc enim nobis ad imitandum sunt proposita. uide enim, ut hæc in ipsis nascentis ecclesiæ initijs accuratè fuerint obseruata. nam beatus ille prothomartyr Stephanus, cum se mor-
Act. 7. ti proximum intelligeret, dixit, [*Domine Iesu accipe spiritum meum.*] & præterea imitatus etiam fuit eum in postulanda pro lapidanti-
ibidem. bus uenia. nam [*positis genibus rogauit dicens. ne statuas illis hoc peccatum.*] audire enim duntaxat Domini nostri Iesu Christi facta, ac dicta, nec præterea dare operam, ut ea imitemur, nihil est
Luc. 12. aliud, quàm grauiorem nobis condemnationem accersere. [*seruus enim sciens uoluntatem Domini sui, & non faciens, uapulabit*
Luc. 23. *multis.*] [Pater (inquit) in manus tuas commendo spiritum meum, & hęc dicens expirauit.] eodem & uno tempore commendat spiritum patri, &

tri, & expirat, neque enim ueretur, ne commendatum non habeat pater, quem sciret nunquam ab eius uoluntate recessisse. dudum dixerat, cur eum pater reliquisset. quod ut intelligeremus, non à diffidentia aliqua fuisse dictum, sed ad declarandam nobis suorum dolorum magnitudinem. nunc omni cum fiducia in manus patris tradit spiritum. Idem & nobis fiat pater, ut, quemadmodum commendatum habuisti spiritum filij tui, ita & nostrum in supremo uitæ die accipias, intuens in faciem Christi tui, qui iccirco naturam accepit nostram, ut in eo peccatis nostris ignosceres, & in eo intuereris quod nobis deest. hic perfectissimè uoluntatem tuam impleuit, hic [*peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*] neque hoc solum, sed [*peccata etiam nostra tulit in corpore suo super ligno, & eius liuore medicatum est nobis.*] ipse obiectu sui uultus operiat & abscondat, quicquid offendere te in nobis potest. memineris te dedisse illum ob hanc causam, ut [*sit propitiatio pro peccatis nostris, & sit iustitia nostra, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.*] *Esa. 53.* *ibidem.* *1. Ioa. 4.* *Ioa. 3.*

[Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usque ad imum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.] *Mat. 27.*

Peracto officij munere, quod mandatum ei à patre fuerat, iam incipit declarari, quod ait Paulus. [*propter quod*, uidelicet ob mortem crucis. *Deus extulit illum in ingentem celsitudinem.*] iam enim incipit declarari, quis ille sit, in quem tam impiè sæuierunt, cœlum ipsum in mœrentis morem, perinde quasi regem suum miseraretur, tenebras offudit mundo, terra contremuit, & petræ sensu omni carentes, tanquam sensu præditæ scissæ sunt. uelum templi, quod sanctum sanctorum à reliqua parte seiungebat, scissum est in duas partes, quasi templum ipsum Domini sui mortem deflens, scinderet uestimenta sua. quin & huius facti sensus (quod multò est admirabilissimum) ad mortuos peruenit. [multa enim corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt,] ut significaretur, mortem Christi uitam nobis peperisse, eamque immortalem. sicut in terræ motu, atque in petrarum scissione, significatum fuit, terrenos antea animos ad huius crucis prædicationem esse permouendos, & lapidea gentium corda scindenda, ac *Phi. 2.* *Mat. 27.*

mollienda. Hic meminisse oportet, quod ad Hebræos scribitur. [*qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore ualido, & lacrymis offerens, exauditus est pro reuerentia. exauditus est,*] cum ipse absolutè petijt exaudiri. nam cum petijt patrem, ut, si posset fieri, transiret ab eo calix, non absolutè hoc petijt, sed sub conditione. nunc uerò cum sine ulla conditione commendat spiritum patri, mox declarauit pater, quanti filium faceret. quibus docemur, quo nos pacto geramus, cum aliquid à cœlesti patre petendum est. reliqua enim omnia, quæ ad hanc uitam pertinent, sub conditione postulanda sunt, uidelicet si eadem sit patris uoluntas, salus uerò spiritus absolutè commendanda. certiores enim nos in exaudito filio, fecit, uelle se eam habere commendatam, in cuius humeros iccirco posuit nostra omnium peccata, ut in eo etiam nobis remitteret, quicquid peccauissemus. hæc fiducia nunquam est deponenda, si etiam in eas interdum calamitates incidamus, ut à Deo uideamur esse derelicti. nam non derelinquit in finem, neque pudefacit in æternum. Facta autem hac spiritus commendatione eodem & uno tempore inclinato capite illum emisit. quod autem primum inclinat caput, deinde expirat, significatio fit, illum omnia cum potestate fecisse, ac pro arbitrio animam posuisse. nam in nobis contrarium fit. primum enim expiramus, deinde inclinamus caput. at is prius inclinauit caput, deinde exspirauit. ex quibus manifestatur, ipsum fuisse Dominum mortis, & omnia secundum potestatem fecisse. Vt
Mat.27. autem significaret pater, se filij uocem exaudiuisse, ecce ad eius
mortem [uelum templi scissum est in duas parteis, à summo usque ad
imum, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt, & post eius resurrectionem uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Et centurio, & qui cum eo erant, uiso terremotu & ijs, quæ fiebant, & quòd clamans exspirasset, timuerunt uehementer, & dicebant. uerè filius Dei erat iste. & centurio glorificauit Deum di-
Luc.23. cens, uerè iustus erat homo iste, & omnes turbæ eorum, qui simul accesserant ad spectaculum istud, & uiderant, quæ contingebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, spectantes hæc, inter quas erat Maria Mag-
Mar.15. dalene & Maria Iacobi parui, & Iose mater, & Salomæ, quæ etiam cum esset in Galilæa, secutæ fuerant illum, & ministrauerant ei. aliæque complures, quæ simul ascenderant cum eo Ierosolymam.] Vide primum, ut

etiam

etiam moriens Dominus & in ipsa spiritus emissione, salutis hominum oblitus non sit. clamans enim exspirauit, ut audientes excitaret ad fidem, & peccati sui pœnitentiam, quod sanè cessit ex sententia. nam centurio & alij, quos Euangelistę commemorant, pœnitentia ducti conuersi sunt. deinde obserua, quanta sit uis inuidiæ & malè affecti animi. nam ij, qui in causa fuerant, cur Dominus ageretur in crucem, hæc eadem inspiciebant, neque tamen compuncti ac permoti ulla ex parte sunt, cum eos odium atque inuidia excęcauisset, ut uidentes non cernerent, & audientes non intelligerent, quemadmodum per Esaiam dictum antea fuerat. noti uerò eius omnes procul stabant. fieri enim potest, ut ad eius clamorem milites accurrerint, suspicati nequid innouaretur. quare & mater & reliqui noti secedere iussi sunt. [*Iudæi ergo, quia parasceue erat*, hoc est, præparatio ob sequentem sabbati diem. ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur.] nefas enim putabant, si sacro sancto ac celeberrimo illo die cadauera eorum, qui in crucem acti essent, uisa super terram fuissent, præsertim cum in Deuteronomio scriptum sit. cadauer appensi in patibulo non deberet in ligno permanere in alterum diem, sed eodem die sepeliri, ut cadauer execrandum à superficie terrę tolleretur. & causam addit, [*quia execratus à Deo est, qui pendet in ligno.*] consueuerant enim soli facinorosi in crucem agi. quare Paulus hunc citans locum ait, Christum factum pro nobis execrationem, dum scilicet sceleratus, & cum sceleratis reputatus est. ne ergo remanerent ea corpora in cruce sabbato, petierunt frangi eorum crura, ut uidelicet citius morerentur, & mortui tollerentur. [Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo, ad Iesum autem cum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius fodit, & continuò exiuit sanguis & aqua.] Exspirauit Dominus ante, quàm uenirent milites ad frangenda illius crura. non quòd exhorruisset hanc pœnam, qui multò grauiora fuisset passus. sed primum ut ostenderet, se uolentem non autem inuitum ista pati, & habere uitę suæ ac mortis potestatem. deinde ut implerentur scripturæ, quemadmodum mox Euangelista addit. sequitur enim. [& qui uidit, testi-

Esa. 6. *Ioan. 19.* *ibidem.* *Deu. 21.* *ibidem.* *Gal. 3.* *Ioa. 19.*

testimonium perhibuit, & uerum est testi monium eius, & ille scit, quòd ue-
Exo.12. ra dicit. facta sunt enim hęc, ut scriptura impleretur. os non comminuetis
Nu.9. ex eo. & rursus alia scriptura dicit. uiderunt, in quem pupugerunt.] Quod
Zac.12. ait, [qui uidit, testimonium perhibuit] ipse est Ioannes, qui hęc scri
psit, affirmatque, se ista oculis suis conspexisse, non ab alijs nar-
rata accepisse. ostendit autem per hæc uerba, se res narrare om-
ni obseruatione atque attentione dignas. siue totam passionis
Dominicæ historiam spectes, siue hæc quæ postremo loco dixit,
ut de eo quod ex persosso latere fluxit sanguis & aqua, & cur
non eius fregerint crura. nam quod ad sanguinem & aquam
pertinet, uidetur idem Ioannes Euangelista in sua epistola myste-
1.Io.5. rium declarauisse, cum dixit. [*hic est, qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.*]
Exo.14. uidetur enim alludere ad Mosen, qui per aquam uenit, cum il-
lo duce per mare transijt populus, quod baptismi figura fuit. ue
nit ergo per aquam solum Moses, qui significauit quidem figu-
ra quadam ablutionem hominis, non tamen exhibuit re ipsa san
ctificationem, quia defijt sanguis. at Iesus Christus non solum
attulit baptismum significantem ablutionem peccatorum, ue-
rum etiam obtulit sanguinem, quo nos redempti sumus à pec-
catis nostris, quo ipse baptismus accipit efficaciam. eadem figu-
Nu.20. ra fuit in petra, qua à Mose percussa fluxerunt aquæ, ut biberent
homines & iumenta, hoc est, magni & parui. de qua Paulus ait.
1.Cor.10 [*bibebant autem de spirituali consequente eos petra. petra autem etat Christus.*] mysterium item aliud aperitur, quod attigit Paulus,
Ephe.5. cum de uiro & uxore loquens citauit uerba Geneseos, ostendit-
que mysterium ingens ibi delitescere Christi atque ecclesiæ. sicut
ergò de latere Adæ dormientis formata est Eua uxor eius, sic è
latere dormientis in cruce Christi (nam mors illa tanquam exi-
guus somnus fuit) fluxerunt mysteria, quibus significaretur, ec-
clesiam illi tanquam sponsam uiro fuisse copulatam. ubi etiam
obserua, ex primo Ada os unum ereptum fuisse, quo Eua for-
mata fuit, ex secundo uerò nullum os ablatum, neque quic-
quam ex eius fortitudine, quæ per ossa significatur, fuisse im-
minutum. non enim debilitabitur tentatione suæ sponsæ, sed
contra potius ipse eam corroborabit. pascet illam, non ab ea pa-
scetur, & sponsa uiri sui alimento nutrietur. cuius rei contra-
rium

rium accidit in priore Ada, qui sponsæ suæ cibo interijt, quo & ipsa mortua fuit. quantis uerò hæc plena mysterijs sint, ipse Paulus indicauit, cum dixit. [*mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christum & in ecclesiam.*] dixi (inquit) hic magnum latere mysterium, at ego interea quantum assequi possum, [*dico in Christum & in ecclesiam,*] quasi opinetur, altiora etiam subesse mysteria. Cum uerò ait Euangelista. hæc fuisse facta, ut scriptura impleretur, duo scripturæ testimonia profert, quorum alterum est. [*os non comminuetis ex eo.*] hoc testimonium acceptum est ex ea historia, in qua ritus ostenditur edendi illius agni, qui in paschate immolabatur. inter cæteras ergo cerimonias erat, ut, cum agnum comederent, os eius nullum confringerent. &, quod ad literam quidem pertinet, præcipiebatur, ut festinantes comederent agnum, ut recordarentur festini, ac trepidationis pleni exitus ex Ægyptiaca seruitute, quæ festinatio efficiebat, ut non esset ocium confringendi ossa illius agni. ut ergo admoneremur, Dominum esse illum uerum agnum, cuius figura præcessisset in illo ab Hebræis immolato agno, cum egrederentur ex Ægypto, factum est, ut Domini crura non frangerentur. quoniam uerò per ossa robur & constantia significatur, & fideles omnes membra sunt Christi, significari etiam & hoc potest, etsi fidelium caro affligatur, eos tamen in suo robore esse conseruandos, sicut scriptum est, [*custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex ijs non conteretur.*] Alterum testimonium, hoc est, [uidebunt in quem pupugerunt.] in Zacharia est, ubi sic legitur, [*aspicient ad me, quem confixerunt.*] hoc est, per totum mundum erunt, qui me aspicient, & agnoscent, quòd propter eorum peccata transfixus & mortuus sim. quibus in uerbis inuenitur non solum humanitas, sed etiam Diuinitas Christi. nam cum prius dixisset, [*effundam spiritum gratiæ,*] quod non est nisi Dei, mox subiecit. [*aspicient ad me, quem confixerunt.*] Sed quando prędixit propheta futurum, ut homines in eum inspicerent, quem confixissent, immoremur paulisper in eius contemplatione, neque enim frustra hoc à propheta sumus admoniti. quod intelligens Paulus solebat in suis prædicationibus in hac speculatione diutius immorari. quare dicebat Corinthiis. [*nihil arbitratus sum scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc*

ibidem. *Ioan.19.* *ibidem.* *Exo.12.* *Nu.9.* *ibidem.* *Exo. 12.* *Psal.33.* *Zac. 13.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* 1.Co. 2.

hunc crucifixum.] hæc autem una ac præcipua eſt uia, qua ad ip-
Ioa. 12. ſum trahamur, quod ipſe teſtatus fuit cum dixit. [*ego ſi exalta-
tus fuero à terra, omnes traham ad me ipſum*.] ut ergo trahamur
ad ipſum, in hac eius exaltationis contemplatione immoremur.
nam trahi non poſſumus ad illum, quin & nos à terra altius eue-
hamur. Aptè uerò hanc exaltationem, hoc eſt, in altum eue-
ctionem, appellauit. quid enim non magnificum & excelſum in
ea non extitit? quid non actum, quod non omnem ſuperet homi
num & potentiam & ſapientiam? erat crux ignominię plena res,
qua nihil ignominioſius imprecari perditiſsimo cuique homines
conſueuerant, cum dicebant, abi in malam crucem. & cum ma
ximo ac teterrimo ſupplicio dignum aliquem exiſtimabant, cru-
cem eſſe meritum aiebant. & hoc inſtrumento uſa eſt Dei ſapien
tia ad inſtauranda cœleſtia, atque terreſtria. & ſanè omnium mi
raculorum maximum mihi uideretur, potuiſſe hac tam aliena à
ſenſibus hominum uia eoſdem homines ad ſalutem trahi, niſi
Deu. 32. exploratum iam eſſet, manum Dei excelſam, & non hominem
1.Cor.1. feciſſe hæc omnia. [*Prædicamus* (ait Paulus) *Chriſtum crucifixum
Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, eiſdem autem
uocatis Iudæis pariter & gentibus Chriſtum Dei potentiam & Dei ſa
pientiam*.] Iudæis promiſſus erat Chriſtus, ſed non in tanta hu-
militate uenturum expectabant. iccirco impegerunt, & eorum
Eſa. 8. uitio factus eſt [*illis lapis impactionis, & petra offendiculi*,] dum
1.Pe. 2. plus nimio ſapere ſibi perſuaſi, & ſuam iuſtitiam uolentes conſti
Rom.10. tuere, iuſtitiæ Dei ſe non ſubiecerunt, & hæc quidem Iudæis.
1.Cor.1. gentibus uerò quid? [*gentibus* (inquit) *ſtultitiam*.] nam gen-
tium philoſophi nulli rei aſſentiri patiebantur, quæ non ratio-
nibus à ſe excogitatis conſentiret. nullam ergo rationem in-
ueniebant, cur huic philoſophiæ ac crucis prædicationi ha-
benda eſſet fides, arbitrabanturque ſupremam ſtultitiam eſſe,
credere, Dei filium ita ſe demiſiſſe pro ſalute hominum, ut
in crucem agi ſe fineret, cum ſatis eſſe poſſet ſola Dei uolun-
tas ad noſtrum genus ſeruandum. aut ſi omnino aliqua uia
uti uoluiſſet, non hac tantæ ignominiæ plena fuiſſe utendum. ſed
Eſa. 55. non legerant, opinor, quod Deus per prophetam dicit. [*non enim
cogitationes meæ cogitationes ueſtræ, neque uiæ meæ uiæ ueſtræ. quia
ſicut altiores ſunt cœli terra, ſic altiores ſunt cogitationes meæ cogita-
tionibus*

tionibus uestris, & uiæ meæ uijs uestris.] re enim uera hominum sapientia inueniendis Diuinis consilijs impedimento est, tantum abest, ut ea assequatur. quemadmodum infantium cogitationes uirilia consilia impedire consueuerunt, iccirco factum est, quod dixit Deus. [*perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*,] & contraria prorsus eorum opinionibus uia res peracta est, neque id iniuria. [*postquam enim in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, uisum est Deo per stultitiam prædicationis*, hoc est, per prędicationem, quę stulta sapientibus huius seculi uisa est, *saluos facere credentes*.] & demum compertum est, Christum esse Dei potentiam contra Iudæorum opinionem, qui in cruce infirmitatem potius intuebantur, quàm ullius potentię signum. Et Dei sapientiam, contra gentium fastum, qui nihil sapiens existimabant, nisi quod suis ipsi opinionibus metirentur. per Christum enim in crucem actum, summa est & potentia & sapientia Dei declarata, qua & princeps huius mundi eiectus, & humana omnis potentia, ac sapientia subacta est. ut dicere cum Paulo liceat. [*ubi sapiens? ubi scriba? ubi disputator huius seculi?*] quod idem & de potentia dici potest, cum potentia omnis sub fidei iugum iam olim acta fuerit. quàm enim uerum hic deprehenditur, quod ait Paulus, cum de hoc mysterio loqueretur. [*quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod imbecillum est Dei, fortius est hominibus.*] hoc est. id, quod in factis Dei existimatum erat stultum (nam, ut idem Paulus ait) [*sermo crucis pereuntibus stultitia est*] summa esse sapientia intellectum fuit, & quod imbecillum iudicabatur, agnitum est, omnem hominum superasse fortitudinem. ò sapientiam, ò potentiam, quæ tamen olim deliniata fuit, quamuis non ante intellecta, quàm is eam aperiret, qui dignus fuit aperire signacula. [*sicut Moses* (inquit) *exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.*] quis existimasset, fieri posse, aut quæ ratio persuadebat, ut per aspectum ænei serpentis, percussi homines à serpentibus curarentur? & tamen hoc & sapientia & uirtus Dei perfecit. præmissum ergo illud fuit, ut, cum audiremus, Deum misisse [*filium suum in similitudine carnis peccati, ac de peccato condemnauisse peccatum*,] fidem huic philosophiæ haberemus.

Es. 29.
1. Cor. 1.
ibidem.
ibidem.
ibidem.
Ioan. 3.
Nu. 21.

mini, domus spiritualis.] hic lapis utrunque parietem coniunxit & Iudæorum & gentium in unam fidei conspirationem, [*fecitque* Ephe. 2.
ex utrisque unum (ut ait Paulus) *ut duos conderet in semetipso in unum nouum hominem. faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam.*] Hæc admiranda in hac cruce peracta sunt. in quam ante quàm Christus ageretur, nil mirum erat, si eam homines auersabantur, & & exhorrescebant. postea uerò, quàm Christus eam suis membris honestauit, suo cruore dedicauit, res exoptanda non fugienda facta est. quis enim non in eius amorem rapiatur, cum audit, quæ ex ea sint consecuta? uide enim quid dicat Paulus, ad hoc ipsum nos adhortans. [*Hic sit in uobis affectus* (inquit) *qui fuit in* Phil. 2.
Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & figura inuentus ut homo, humiliauit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. quid ergo? *propter quod & Deus extulit illum in summam sublimitatem, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus, in gloriam Dei patris.*] Cernis admirandos huius arboris fructus, & stultæ sapientibus huius seculi philosophiæ maiestatem? ubi enim, non ista, sed his longo interuallo proxima reperies? huic prędicatę crucis stultitiæ omnia, cœlestia, terrestria, & inferna subijciuntur. O' uerè Diuinam philosophiam, & quę non nisi à mentibus, quæ in Dei & eius consiliorum familiaritatem receptæ sint, percipi potest. hoc autem dixi, ut ij admoneantur, qui ingenio & eruditione præditi, quamuis Christum profiteantur, in huius tamen philosophię consuetudinem non ueniunt suo uitio propterea, quòd in prophanis studijs consenescunt. neque unquam uenit illis in mentem, Christianę philosophię maiestatem cum philosophorum somnijs conferre, & contemplari, quàm ingens sit inter utraque differentia, & quantnm hæc omnibus philosophorum inuentis antecellat. non pudet, homines, qui Christi fidem profitenrur, tota uita in literarum studijs uersari, & uarias studij literarij facultates profiteri, & ab eius philosophia, cui nomen dederunt, tam esse alienos, ut nun-

quam, aut quàm rarisſimè illi operam dent? quis Platonicum, aut Ariſtotelicum ſe unquam appellare auſus fuit, qui in Platonis, atque Ariſtotelis libris ſtudioſiſsimè non ſit uerſatus? & Chriſtianum audebit ſe appellare, qui nihil minus, quàm Chriſti philoſophiam, & ſcripturæ ſacræ uolumina, quæ illam tractant, per totam uitam nouerit? expergiſcimini, mihi credite, tandem aliquando, & intendite oculos in hanc crucem, & in ea
1.Cor.1. contemplamini admirandum opus Dei, quo uidelicet pacto [*ſtultam fecerit Deus ſapientiam huius ſeculi*,] à qua poſt tantam agnitam ueritatem, tam parum prudenter, ne dicam impudenter, at-
Zac. 12. toniti pendetis. [Videbunt (inquit) in quem transfixerunt.] quid uidebunt? non ea ſolum quę diximus, ſed omnia degendæ humanę uitę exempla, in primiſque exactiſsimæ obedientiæ formam, quam ſequi recuſare nemò iure poteſt. quis enim tanta regia, aut imperatoria poteſtate prędítus eſt, qui ſe cum Dei filio,
2. Mac. qui Dominus eſt uniuerſorum, per quem facta ſunt omnia, cui
14. cœleſtia, terreſtria, & inferna flectunt genu, conferens, non agnoſcat, ſe uermem potius eſſe quàm hominem, atque iccirco nullam ſibi ignominiam recuſandam, ut à Dei pręceptis non recedat? quis paupertatem poſthac exhorreſcat, cum uideat, filium Dei, non ſolum per totam uitam, ita inopem uixiſſe, ut non ha-
Matt. 8. buerit, ubi caput reclinaret, uerum in morte etiam nudum in cruce pendere? quis non ad liberalitatem, atque ad profundendas diuitias animetur, cum cernat Chriſtum tam profuſam præ ſe liberalitatem tuliſſe, ut nihil ſibi prorſus reſeruauerit? ueſtes tradidit crucifixoribus, corpus lacerandum inimicis, matrem diſcipulo, ſpiritum patri. inuictam etiam patientiam docuit, qui nunquam neque ob acerbiſsimas pœnas, neque ob probroſas contumelias, & uel principum uel inſani uulgi furorem deſponderit animum, uel leuiter obmurmurauerit, aut acerbius protulerit uerbum. Aſpiciant in hunc primi generis noſtri, & parentes & peremptores, & intueantur, quas dederit pro illis pœ-
Gen. 3. nas. appetierant eſſe tanquam Dij, ſcientes bonum & malum, hic Deus infra omnium hominum humilitatem ſe deiecit, ut do-
Eſa.7. ceret reprobare malum & eligere bonum. illi iniuſtas manus extenderunt ad uetitum lignum, hic innocentes ſuas manus ligno affigi, ut eorum culpam dilueret, paſſus eſt. illi nuditatem,

quam

quam peccando contraxerant (nisi enim peccauissent, non fuisset ulla nuditas, cum innocentiam pro ueste honestissima habuissent) obtegere conati sunt, hic nudus in cruce pendet, ut nuditatis nostræ pudorem sua obtegeret innocentia. illi excusauerunt peccatum, hic, [*qui peccatum non fecit*,] non recusauit tanquam Esa. 53.
peccator ac latro, in medio latronum, ueluti eorum princeps execrando mortis genere confici, quo quid dici, aut cogitari maius potest? In hunc aspiciat omne hominnm genus, & ij præsertim, qui sua omnia commoda, & suis omnibus indulgere uoluptatibus uolunt, qui diuitias & potentiam appetunt, & esse alijs superiores, cogitentque, num locum habituræ sint eorum opiniones, cum hic iudex erit, qui tam contraria ingressus est uia, & eam ut sequeremur admonuit. quàm multi sunt, qui facultates, honorem, uitam ipsam exponunt pro amato scorto, siue ambiti honoris gratia, aut ulciscendi sui studio, res nullius, aut certè quàm minimi momenti, à quibus nihil demum aliud adipiscuntur, quam supremum interitum, & in Geennam relegationem. nos uerò, qui uocati sumus, ut simus filij Dei, qui si quid hic pro Christo patimur, expectamus, ut immenso cum fœnore nobis rependatur, & exigua hęc certamina in conspectu orbis terræ, & hominum, quot sunt, quotque fuere, ac futuri sunt, celebranda & co ronanda magnum aliquid arbitramur, aut amittere, aut sponte reliquisse ea, quæ omnino amittenda, ac relinquenda sunt? Intuemini hunc & uos mulieres, aspicite in faciem Christi uestri, & uidete faciem illam, in quam aspicere angeli cupiunt, quæ cœlum & eius incolas exhilarat, sputis ac cruore fœdatam, idq; uestri gratia. & cogitate, quæ uos tanto amatori uestro, quanta cum ingratitudine rependatis. ipse liberandi uestras & omnium hominum animas gratia, conspui & fœdari Diuinam suam faciem passus est, uos uestras facies fucis & pigmentis componitis, ut formosiores uideamini, in uestram & aliorum perniciem. laquei factæ estis ad eas animas perdendas, pro quibus Christus mortuus est. quàm diuersa ingredimini uia, & aliena ab ea, quam de sanctis mulieribus legimus, quæ Dominum sequebantur. illę unguenta quidem parabant, sed quæ in Domini Iesu obsequium impenderent. uos unguentis ac pigmentis uarijs abutimini uestro ornando corpori, & prouocan-

dis ad laſciuiam hominibus. illæ facultates ſuas inſumebant alendo Domino, eiusque neceſsitatibus miniſtrando. uos quicquid pecuniarum ad ueſtras manus uenit, ueſtiendo & ornando ueſtro corpori miſerè diſperditis. intuemini, quoties hæc libido ueſtium & uani cultus intemperantia mentes ueſtras inuadit, intuemini inquam hunc, qui pro ſalute ueſtra nudus pendet in cruce, ſaturatus probris, & dolorum plenus, & pudeat tam ingrata, atque adeo tam impia illi hactenus facta rependiſſe. mutate hanc mentem, mihi credite, ut fructus redemptionis eius participes & uobis eſſe liceat. ne hic ipſe, quem redemptorem ue-
Mat.16. ſtrum nunc in cruce intuemini, ſeuerisſimus demum, cum in gloria patris ſui uenerit, iudex in uos animaduertat, tradatque ſempiterno igni cruciandas, qui proculdubio uos manet, niſi meliorem animum induatis. Videat hunc etiam princeps huius ſeculi, idque diligentisſimè, num quicquam ſuum in illo queat reperire. ſi uel exiguum quid illius ueneni, quod in primo homine ſeminauit, atque in illius poſteris excoluit, cernere in hoc posſit. aſpiciat & mundus, qui quoniam bonus non eſt, neminem inueniri bonum arbitratur. nullam in hoc inueniet maculam. non enim propterea patitur, quòd mundus aut princeps huius mundi uitioſum quicquam in eo habeat, ſed ob eam
Ioa. 14. tantum cauſam, ut agnoſcat mundus, quòd diligit patrem, &, ſicut mandatum dedit ei pater, ſic facit. diſcat mundus non recuſare mortem, quæ iubente Deo ob peccata illi debetur, cum cernit filium Dei ſine ulla ſua culpa illam fuiſſe perpeſſum, ut diſcamus hoc exemplo bene atque utiliter mori, & cœleſtis patris obſequi uoluntati. diſcamus ferre æquo animo peccatores, cum nudam innocentiam pati cernimus, neque quicquam conqueri, ſed paratam eſſe ijs benignè facere, qui eam tam crudeliter affligunt, tantaque cum ignominia interficiunt. nulla eſt in hoc priuata animi perturbatio, qui in medijs pœnis non obliuiſcitur beneficio afficere eos, qui tanta illi irrogant mala. quare non habet in ſe quicquam, quod ad mundum pertineat, aut principem huius mundi. qui mundus non alienis ſolum ſed amicis etiam ſuis hoſtis eſt pernicioſisſimus, & non iniuſtis ſolum, uerum etiam huic iuſtisſimo, & à quo iuſtitia omnis profecta eſt, infligere pœnam uult. hæc uitia in Seruatore Chriſto non ſunt,

qui non sua quærit, sed solam patris gloriam, & nostri generis salutem. Intuere hunc & tu pater æterne. ostendere enim (quæ tua tamen benignitas fuit) tibi hominem possumus sine macula & culpa, qui legem omnem tuam seruauit, ut quoties peccata nostra te ad iustam iram prouocant, aspicias in faciem Christi *Ps. 83.* tui, quo tanquam obiecto clypeo obtegere facinora nostra possumus, & gloriari, aliquem nostrum legem tuam impleuisse. hic os est ex ossibus nostris, & caro de carne nostra. caro & *Gen. 2.* frater noster est. hunc dedisti caput ipsi ecclesiæ. ne dedigneris nos membra tanti capitis agnoscere, & quicquid minus rectè à membris actum est, huius capitis contemplatione condona, à quo tanta lux proficiscitur, ut omnes membrorum tenebras facile expellat, & solam illius lucem liceat intueri. contemplare quantas à planta pedis usque ad uerticem pœnas dederit, &, quemadmodum propheta ait, reddiderit duplicia pro omnibus *Esa. 40.* peccatis nostris. & quidem hac etiam in parte digni sumus, in quos omnem sæuitiam exerceas. nos enim illum tam crudeliter tractauimus, & iniurij in illum fuimus. sed ne quæso obserues quod à nobis factum est, sed quod ipse est passus, & quàm ob causam passus sit, nempe ut peccata nostra in suo corpore ferret, *1. Pet. 2* ac suo liuore nobis mederetur. non ergo patratum à nobis scelus, sed bona eius uoluntas ante conspectum tuum ueniat, immo uerò tua ipsius. tu enim es, qui sic dilexisti mundum, ut *Ioa. 3.* non peperceris unigenito tuo, sed pro nobis omnibus illum tradideris. ecce pater nos, pro quibus tanta fecisti, & pro quibus uoluisti Christum tuum pati, hic supplices atque in terram proiecti iacemus. populus hic tuus & oues pascuæ tuæ miserandis *Psal. 78.* clamoribus tuam implorat misericordiam. & ego, quem illi pastorem præfecisti, eius nomine legatione fungor apud te Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. intuere populum *1. Pe. 2.* acquisitionis, quem redemisti tibi. peccauit hic peccata magna & grauia, sed patere, ut dicam & ego cum seruo tuo Mose, [*aut remitte eis peccata eorum, aut si non facis dele me de libro* *Exo. 32.* *tuo quem scripsisti.*] non deest causa, cur eis fias propitius, si aspicias quàm abunde Christus tuus satis pro eis fecerit. erexerant caput, & oculos sublimes arrogantia & honorum appetitione habuerunt, pro hoc peccato unigenitus tuus spinis pro

appe-

appetito à nobis diademate, atque adeo Diuino honore, perfossum habet caput, & demissos oculos, & faciem sputis ac sanguine conspurcatam. lingua eorum peruersa locuta est, pro-
Ps. 139. pter hoc pertulit, ut hostes eius aduersus eum acuerent linguas suas. uictus intemperantiæ, & comessationibus, atque ebrietatibus operam dederunt, hic potum habuit acetum cum felle mixtum. manus rapina ac cęde fœdauerunt, hic perfossis manibus affixus pendet in ligno. cor eorum cogitauit cogitationes pessimas, huic militis lancea ad cor usque penetrauit. pedes ueloces habuerunt ad currendum in malum, hunc perfossi ac clauis constricti pedes immotum detinent. hi uestium pompa ac uanitatibus multis te offenderunt. at filius tuus nudus hic pendet opprobriis saturatus. toto corpore iniustitiam exercuerunt, hic iustus toto corpore pœnas luit. has intuere pater, & earum contemplatione quicquid hactenus peccatum à nobis est, condona, & impendentia flagella, quæ pro eisdem peccatis sumus meriti, misericors ac benignus auerte. inspira præterea eam mentem, quæ seruos tuos, & seruos redemptionis Christi tui decet. au-
Eze. 36. fer, quemadmodum iam olim fuisti pollicitus, cor lapideum de
Ps. 50. carne nostra, & da nobis cor carneum, & spiritum rectum innoua in uisceribus nostris, & fac, ut in præceptis tuis ambulemus, ut nos simus tibi in populum, & tu sis nobis in Deum, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO XLII.

Habita in Dominica prima quadragesimæ. De ieiunio, oratione, atque eleemosyna.

ECCLESIA Christi, optima credentium mater, semper quidem toto anno alimenta suppeditat, quibus fideles & nutriri & crescere posint, sed illud ei accidit, quod alicui matri accidere solet, quæ aliquot filios habeat, quorum pars minus sit obsequens parentis consiliis, atque præceptis, hos illa studiosius curat, quibus magis timet, ne prauis eorum moribus pessum eant. sic nimirum pia mater ecclesia, quę maximam filiorum partem cernit parum curare ea monita, quę per totum annum illis proponit, ad componendam uitam, & mores optimos conseruandos pertinentia, certum anni tempus constituit singulari quodam apparatu, ut efferę etiam quæuis mentes trahi ad rectam & honestam uitam posint. hoc autem est quadragesimę tempus, quæ in ipsis nascentis ecclesię primordijs instituta fuit, ut esset quædam ad festa paschalia præparatio, quibus multa hominum millia quotannis regenerari in Christo consueuerant. Sed operæ prętium est contemplari quanta cum sapientia apparatus iste sit factus. nam huius rei ignoratio efficit plerunque, ut homines fructum inde non percipiant, dum non cogitant, quę sibi ab ecclesia ipsorum salutis gratia proponuntur. primum ergo sciens ecclesia scriptum, omnis peccati initium esse superbiam, primo ipso quadragesimę die contrariam superbiæ uirtutem introducit, nempe animi submissionem, & propriæ cuiusque humilitatis considerationem. quare aspergit cinere fidelium capita, & ea uerba commemorat, Eccl. 10.

quibus

quibus Deus ipse, cum primorum parentum arrogantiam mi-
Gen. 3. nuere uoluit, usus fuit. [*puluis es* (inquiens) *& in puluerem reuerteris*.] quamuis enim homo ex anima constet ac corpore, atque animæ dignitas longissimo interuallo superet corporis humilitatem, quia tamen homines externum duntaxat splendorem
Psal. 44. quærunt, neque unquam illud prophetę cogitant, [*omnis gloria filiæ regis in interioribus est*,] iccirco admonet, quæ sit corporis origo, & eius finis, nempe puluis. hæc una cogitatio nonne idonea esset, ad totum hominem immutandum? quis enim apud se reputans, cui rei quotidiani sui labores seruiant, cui splendorem uestium, & equorum numerum paret, ciborum tam uaria genera conquirat, honores uenetur, externę uidelicet huius pompæ gratia, & honestando pulueri, quis inquam hæc secum reputans, non continuò ad se redeat, & insatiabilem habendi appetitum deponat, quæ insatiabilitas ob hanc unam causam animum hominis occupat, ut suppetant, quæ ornando pulueri satis esse possint? quę mulier hæc eadem cogitans, ferat tam multas pecunias disperdere, ut puluerem ac cinerem uestiat? quòd si acutius contemplere, corpus nostrum longe abiectius est puluere. nam puluis nihil in se fœtidum habet, at uerò humanum corpus, non solum ubi post mortem computruit, & uermium cibus factum est, uerum etiam uiuens, quantam circunfert putredinem? quàm omni ex parte sordes profert, ac fœtorem non ferendum? quis nostrum non sarcinam stercorum (honor sit auribus) semper secum fert? & rem tam sordidam, tamque abominandam tanti facere tolerabitis, ut in eam tempus omne, studia uestra omnia, omne laborem, omnes facultates insumatis? Hoc iacto comparandæ humilitatis fundamento, eadem mater ecclesia tria proponit facienda, quæ præcipua sunt omnium rectè factorum instrumenta, ieiunium uidelicet, orationem, atque eleemosynam. & ieiunium quidem, atque eleemosynam in memoriam reuocat, cum Seruatoris Christi uerba citat, de ieiunio loquentis, & ad-
Mat. 6. hortantis, ne recondamus nobis thesauros in terra, sed in cœlo. ad orationem uerò inuitat, dum nouis quotidie precationibus utitur in templo ad fidelium ædificationem. Hæc autem tria pulcherrimo nexu coniungi, multa sacrarum scripturarum loca de-
Tob. 12. monstrant. uide enim quid dicat Tobias. [*bona est oratio cum ieiunio*

iunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.] Esaias quoque hæc copulat, ut necessario cohærentia. cum enim respon disset Dominus, cur eorum ieiunia non aspexisset, adiecit. [*nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes iniquitatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. frange esurienti panem tuum; & egenos uagosque induc in domum tuam. cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te. clamabis, & dicet, ecce adsum.*] sic Christus apud Matthæum hæc tria coniunxit. nam hæc tribus illis, quæ in mundo sunt, opponuntur. nam concupiscentiæ carnis ieiunio, concupiscentiæ oculorum, quæ est auaritia, eleemosyna, & fastui uitæ, humili ac pia oratione medemur. uel, oratione, quod in Deum com missum est, eleemosyna quod in proximum, ieiunio, quod in seipsum peccatum est, expiatur. ratio uerò, cur ita cohæreant, ut tanquam indissolubili uinculo connectantur, est hęc. cum enim oratio sit erectio mentis in Deum, si corpus grauetur crapula & ebrietate, non potest attollere sese animus, & in Deum erigi. recte enim quidam poëta dixit.

Esa. 58.

1. Ioa. 2.

corpus onustum
Hesternis uitiis, animum quoque prægrauat una,
Atque affligit humo Diuinæ particulam auræ.

cum item precemur Deum, ut propitius peccatis nostris sit, ac benigne nobis sua misericordia faciat, qua fronte id agere possumus, si immisericordes in proximum quenque fuerimus, & charitatem erga Deum non exerceamus? [*at si quis habens substantiam huius mundi, uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*] minime uerò conuenit, cum ipsi inter nos abiecti neglectique simus, postulare, ut Deo chari simus, & ab eo diligamur. cernis ergo tria ista necessario esse coniungenda. Hunc huius sanctæ matris ecclesiæ morem ego imitari cum debeam, præter illa totius anni monita, & Diuinæ legis interpretationem, qua identidem gregem Christi mihi creditum alere studeo, dabo operam, ut per hosce dies accuratius ea tractentur, quæ dixi ab ecclesia nunc esse proposita. & primum moneo, ut humilitatem atque animi submissionem amplectamini, quæ bonorum omnium fun

1. Ioa. 3.

damentum est, atque in primis pacis. quam ueluti hæreditatem Christus suis reliquit, & parandæ & conseruandæ instrumentum singulare. si enim quis diligenter inspiciat, inueniet bella, lites, dissidia, contentiones, ex eo oriri, quòd in nos non descendimus, neque humilitatem nostram contemplamur, & hunc puluerem, quo constamus, & in quem sumus resoluendi, nunquam cogitamus. quod si faceremus, nihilò minus miraremur, cum homo aduersus hominem insolescit, quàm si cerneremus puluerem aduersus puluerem insurgere atque inflari. Deinde ieiunij uobis cura habenda est, quod multam uim habet ad ueniam & misericordiam à Deo impetrandam, quod admonet idem Deus cum ait. [*conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu.*] quemadmodum enim per crapulam & ebrietatem ac ciborum intemperantiam animus sese obliuiscitur, atque à Deo recedit, sic per cibi & potus abstinentiam redit in se, & Deum incipit agnoscere, quod nisi esset homini apprimè necessarium, non fuisset primis ipsis parentibus imperatum, cum præceptum eis fuit, ut ab esu ligni scientiæ boni & mali abstinerent, quæ ieiunandi species est. & sanè si scripturas sacras perscrutemur, inueniemus ieiunium multa à Dei benignitate impetrauisse, & egregium ad omnia rectè facta instrumentum, & hoc usos fuisse homines summo cum fructu, quoties iratum Deum placare uellent, quod cum sæpe aliàs, tum in Niniuitis cernere est, qui urbis euersionem ieiunando euaserunt. quid enim non efficit, aut non assequitur? ieiunium preces ad cœlum defert, eas quasi alarum remigio fulciens, ieiunium domorum incrementum, sanitatis mater, adolescentiæ pædagogus, ornamentum senum, bonus itineris comes, tutus simul habitantium contubernalis. non suspectas uir habet nuptiarum insidias, cum ieiunantem uxorem uiderit, neque zelotypia mulier uritur, uiro ieiunium amplexante. quis ieiunans domum suam unquam imminuit, aut fœnore sese & ære alieno implicauit? in ieiunio nullum animal mortem deflet, nusquam sanguis, nusquam cædes ab insatiabili uentre in animalia sæuiens, cessat coquorum machæra, mensa simplicibus atque à natura paratis contenta est. & sabbatum quidem Iudæis datum est, [*ut iumentum* (inquit) *tuum, seruusque requiescat.*] sit ieiunium sabbatum nostrum,

Ioe. 2. *Gen. 2.* *Ion. 3.* *Deu. 5.*

nostrum, & laborum quies, qui per totum annum ministrantibus seruis continui sunt, quanquam & iucunditatis occasio etiam ipsi corpori ieiunium est. ut enim sitis iucundiorem efficit potum, famesque præcedens mensam cibosque condit, sic ieiunium, in quo fit tot lautitiarum intermissio, escas facit optabiliores, & uicissitudo habere secum fere iucunditatem solet. quare si quis appetibilem parare mensam uelit, ieiuniorum uicissitudinem amplectatur. Reliqua item duo instrumenta accuratius, quàm toto reliquo anno exercenda sunt. quare præter quotidianas ac priuatas & eleemosynas & precationes, decernemus, quemadmodum & superioribus hisce duobus annis est factum, ut quarta dominica quadragesimę solennis hoc in loco fiat oblatio in peccatorum uestrorum remissionem. tribus uerò diebus ante dominicam palmarum, solennnis item fiet precatio, quę die noctuque perseueret eo ordine, quem superioribus annis meministis fuisse seruatum. Interea eos moneo, qui uitioso more semel duntaxat per annum peccatorum exhomologesim facere consueuerunt, si fructum aliquem ex eadem confessionę facere cogitant, & non ui, quemamodum uidentur hactenus fecisse, addducuntur, non tam ut eorum purgentur conscientiæ (nam si hoc quęrerent, non continuò ad eadem relaberentur) quàm ne ea nota inurantur, quòd à cęterorum fidelium cętu sint separati. moneo inquam, ut uel per mensem ante pascha emundent per confessionem conscientias suas, atque eo temporis interuallo dent operam, ut omni conatu à peccatis abstineant, sic enim duo fient bona. primum hæc erit aliqua ad eucharistię communionem accipiendam præparatio, deinde hęc horum dierum cura, quam quis adhibebit, ne peccet, efficiet, ut reliquo anno exiguo negocio caueat peccata. nam qui per mensem integrè, atque ut Christianum hominem decet, uiuere studet, addet alterum, & tertium, atque ita breui consuetudine, intellecta uoluptate, ac iucunditate & gustu, quem affert uita cum uirtute coniuncta, non solum nullus labor erit à peccatis abstinere, sed contra potius laboriosissimum, ac molestissimum iudicabit, rursus sub peccati tyrannidem agi. qui uerò ad ultimos usque quadragesimę dies exhomologesim hanc prorogat, ac postero die ad eucharistiæ sacramentum accedit, pri-

aciem aduersus eos, qui eorum saluti maximè student, & quantum studium adhibere debuerant, ut morbum aperirent medicaturis, tantum adhibent, ut fugiant curationem. ita robusti sumus contra nosmet ipsos, & ad nos circumueniendos ingeniosi. aut enim seruilem in modum peccatum occultamus, tanquam latentem, ac uitiosum morbum in intimis animę abscondentes, perinde quasi hoc etiam magnum Dei oculum latere posit, si homines lateat, aut excusamus excusationes in peccatis, rationes, quę nostris affectibus patrocinentur, excogitantes, aut occluden tes aureis in morem aspidis surdę, & obturantis aures suas, conamur non audire uocem incantantium, neque curari medicaminibus sapientiæ, quibus animi morbus tollitur. aut postremo quicunque audaciores sumus, etiam aperte prę nobis impudentiam ferimus, nudo, quod dicitur, capite in omnem iniquitatatem præcipites. O' stuporem, aut si quod est nomen huic uitio magis proprium. & quos amare tanquam benefactores oportebat, hos ueluti inimicos ulciscimur, odio prosequentes arguentes in portis, & sanctum sermonem abominantes, arbitramurque maiore iniuria eos afficere, qui bene nobis uolunt, si nosmet ipsos quàm maximis afficiamus malis, sicut ij, qui in furorem, ac phrenesim uersi proprias carnes lacerant, illas proximorum consumere arbitrati. Verum ut, unde dicendi initium fecimus, illuc se referat oratio, eadem mater ecclesia, sciens plurimam uim habere exempla ad permouendos animos, exemplum proponit Seruatoris Christi, qui ut nos doceret præcipuum esse præparationis genus ad omnia rectè facta ieiunium, ante quàm prędicandi Euangelij munus aggrederetur, quadraginta dierum præmittere ieiunium uoluit. quo peracto & tanquam oleo quodam in modum athletarum unctus, aduersus luctatorem procesit. à quo uarijs modis tentatus, scripturæ sacrę testimonijs omnem superauit tentationem, in hac etiam parte nos admonens, quibus modis aduersus Diabolum dimicandum sit, nempe Diuinæ legis auctoritate, & consideratione, quid Deus nobis in ea lege præcipiat, à quà transuersum digitum non sit recedendum. quæ res quantam uim habeat, intelligens Petrus aiebat. [*firmiorem habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.*] quòd sicui grauis uidetur perpes-

Psa. 57. Matt. 4. 2. Pet. 1.

sio

ſio tentationum, & diuturna cum Diabolo colluctatio, intueatur
Matt.4. beatum tentationis finem. [*tunc reliquit eum* (inquit) *Diabolus*, *& ecce angeli accedebant, & miniſtrabant ei*.] idem & nobis uſu
1.Pet.5. ueniet, ſi [*fortes* (ut idem Petrus ait) *in fide*] generoſè aduerſario obſiſtamus, iuuante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO XLIII.

Habita in Chriſmatis confectione. De triplici ſpecie olei ſacri.

CERNO myſteriorum, quæ hodie celebrantur, ignorationem, in cauſa plerunque eſſe, cur fructus ex eis minimè percipiatur, quare libet breui oratione ea nunc, uobis interpretari, ut alacriores quotannis, & frequenti conuentu, qualem hic etiam hodie intueor, ad horum repetitionem redire ſtudeatis. Triplex hodierna die fratres chariſsimi fit olei conſecratio, quorum unum uocatur infirmorum, alterum catechumenorum, tertium Chriſma. & infirmorum quidem oleum cur inſtitutum in eccleſia ſit, ex apoſtoli Iacobi uerbis liquet. ſic enim ait. [*infirmatur quis inter uos, accerſat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. & oratio fidei ſanabit infirmum, & eriget eum Dominus, & , ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*.] quibus uerbis declarat apoſtolus, hunc ungendi infirmi morem inſtitutum fuiſſe non ad animę ſolum, uerum etiam ad corporis ſanitatem reparandam. qua in re uenit mihi in mentem deflere horum temporum ignorantiam, aut potius amiſſam fidem. tantum enim abeſt, ut homines ad hęc remedia accurrant, ut plerique omnes reſiliant, & ea auerſentur, tanquam impendentis iam mortis ſigna, non inſtrumenta ſanitatis, atque illa relicta certa comparandæ ſalutis uia, & omnium bonorum

bonorum fonte Deo, ad humana auxilia se recipiunt, rem nimirum & incertam & fragilem. quibus illud Ieremiæ dici potest. [*duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non ualent aquas.*] neque illud cogitant, quod ait psaltes. [*Domini est salus.*] & rursus. [*qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu uitam tuam.*] moneo itaque uos, ut correcto hoc errore, discatis, ubi uera & certa sit salus, atque ad eam cum ea fide, quæ Christianum hominem decet, accurratis. Alterum oleum uocatur catechumenorum, quo uidelicet ecclesia utitur ad ungendos catechumenos, hoc est, eos, qui ad fidem Christi erudiuntur, & instituuntur. tertium est Chrisma, quæ dictio unctionem significat, & quamuis cuiusuis olei natura uim ungendi habeat, hoc tamen ob excellentiam sic uocatur, quòd eo ad præcipua quædam utatur ecclesia, præsertim ad confirmandos fideles, ut, qui regenerati ad uitam sunt, roborentur ad pugnam. ab hac chrismatis appellatione Christus nomen deducit. quo nomine appellabantur & reges & sacerdotes, nam & ij ungebantur, iccirco Christi uocabantur, unde dictum est, [*nolite tangere Christos meos.*] & frequenter hoc nomen in ueteri lege obuium est. Verum, cum oleo, ut diximus, & reges & sacerdotes ungi solerent, hoc pręcipuè fuit consentaneum fieri in Seruatore nostro & Domino Iesu Christo, qui summus & rex & pontifex fuit. nam de regno ipse in psalmo dicit. [*ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.*] in cuius regni testimonium adiectum est. [*postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos.*] de sacerdotio quoque eius idem propheta ait. [*iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.*] & ad Hebræos. [*habentes pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filij Dei, teneamus professionem.*] & rursus. [*Christus accedens pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neque per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.*] Hunc ergo summum & regem & pontificem ungi oportuit, sed quemadmodum & regnum

Iere. 2. Psal. 3. Ps. 102. Ps. 104. Ps. 2. ibidem. Ps. 109. Heb. 4. Heb. 9.

ORATIO XLIIII.

De resurrectione Domini nostri Iesu Christi.

SVPER *montem excelsum ascende tu Sion euangelizatrix, attolle in fortitudine uocem tuam Ierusalem euangelizatrix.*] uolo enim in hac huius temporis lætitia, ut orationis meæ principium sint Esaiæ uerba. qui ubi mentionem facit Euangelij, eiusque mysteriorum, non contentus fuit sublatione uocis, nisi etiam in montem, eumque excelsum ascenderetur, ut exaudiri ab omnibus tantæ res possent. Et sanè cum omnia Christianæ philosophiæ mysteria digna sint, quæ in editissimo loco prędicentur, tum illud, quod hodie celebramus, hoc honore est dignandum. quo uidelicet Iesus Christus Dei filius ruptis doloribus mortis ad uitam resurrexit immortalem, &, cum primitiæ dormientium fuerit, certam nobis spem reliquit eiusdem assequendæ immortalitatis. quod quantum sit, si scire uultis, referte oculos ad illa tempora, quibus pręter hanc exiguam uitæ umbram, nulla præterea alia agnoscebatur. quem enim tunc rerum statum fuisse credendum est? quas hominum cogitationes? cum dicerent, [nos ubi decidimus] (ut quidam eorum poëta dixit, [*puluis & umbra sumus.*] non habebant, quo porrigerent suam spem, ultra hos huius somnij terminos. quod siqui rari inter eos fuerunt, qui animorum immortalitatem crederent, non tamen felicem in immortalia futura corpora animę reditum agnouerunt. quin potius cum hæc prædicatio uulgari cœpta fuit, ij in primis ista deridebant, qui censebantur inter philosophos præstantissimi. nunc uerò cum patefacta hęc ueritas est, & tam solidis nixa fundamentis, qui fieri potest, ut quicunque ex animo Christum confitetur, & eius philosophiam est amplexatus detineri

Esa. 40.

1.Co.15.

iam ualeat huius scenę, uel desiderio, uel cogitatione? atque illud est, quod apostolus, eos, qui iam crediderant, admonens
Col. 3. aiebat. [*si consurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. superna curati, non quæ super terram.*]
Phil. 3. & alibi. [*conuersatio nostra in cœlis est, ex quo Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humile nostrum, ut conforme sit corpori eius glorioso.*] Surrexit ergo Iesus Nazarenus, qui crucifixus erat. libet enim uti uerbis angeli, qui iucundissimum hoc nuntium afferens mulieribus, non
Mar. 16 contentus dixisse, [*Iesum quæritis* (adiecit) *Nazarenum crucifixum.*] ut quę irrogata in titulo crucis uidebatur ignominia, in eius resurrectione in maximam gloriam commutaretur. & sanè nunc crucis memoria non solum iucundius fit, uerum etiam utilius, quàm ubi eum uidimus tam sęua patientem. nunc enim fru-
Heb. 2. ctus crucis intelligitur, cum uidemus [*Iesum* (quemadmodum ad Hebręos scribitur) *propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*] cui enim uideri possit crux res fugienda & auersanda, cum tam ingens gloria ex ea consequatur? ob hanc causam ad
Heb. 12. eosdem Hebræos scribitur. [*deponentes omne pondus* (hoc est, sollicitudinem rerum huius uitę, quæ animum deprimit suo pondere) *& circunstans peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in ducem fidei & consummatorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque ad dexteram sedis Dei sedet.*] Horrendum erat intue-
Ps. 44. ri speciosum illum forma præ filijs hominum, impiorum sputis conspurcatum, alapis cæsum, cruore fœdatum, cœleste caput spinis perforatum, manus ac pedes acutissimis clauis ligno crucis affixos, probra ac conuicia in illum coniecta, innocentissimum inter sceleratos ac latrones positum. uerum ubi oculos refers ad gloriam, quam resurgendo est assecutus, beatas illas pœnas, & gloriosam crucis ignominiam iudicabis. hoc ergo Dominicæ resurrectionis tempore ista ante oculos sunt habenda, atque iden-
Luc. 24. tidem cogitandum, si oportuit pati Christum, ut inde sequeretur resurrectio & ingressus in gloriam, eos multum aberrare, qui alia
Esa. 53. uia se felicitatem assecuturos esse arbitrantur. oportuit illum, [*qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,*] pati, atque hoc pacto gloriam assequi, nos uerò, qui omni ex parte sordibus pec-

catorum scatemus, arbitramur, fdre, ut in delicijs ac uoluptatibus per totam uitam degentes, eandem gloriam adipiscamur? decipimur, si hoc credimus, nosque met ipsos seducimus. Vide uerò quàm rectè dixerimus, nunc quàm maximè ad crucem esse oculos intendendos, nam & Paulus de paschate uerba faciens, Dominicæ mortis fecit mentionem. [*pascha* (inquiens) *nostrum immolatus est Christus*,] quia nimirum ex ea immolatione, & illius gloria & nostra liberatio profecta est, atque ut huius rei memoriam infixam animo haberemus, adiecit, [*itaque festum celebremus*.] cum enim ocium ista desiderent, atque illud ocium festis diebus pręstari soleat, dixit, festos dies esse celebrandos. at quo pacto? [*non in fermento ueteri, neque in fermento malitiæ ac nequitiæ, sed in azimis synceritatis & ueritatis*.] uitiosa ergo superiorum temporum corruptela, quæ per uetus fermentum significatur, abijcienda est, ac synceræ uitæ posthac incumbendum. quod facile Deo iuuante fiet, si per hosce dies studium adhibueritis, ut purificationem, quam per exhomologesim peccatorum, & eucharistię sacramentum comparastis, retineatis, & dicatis cum sponsa, [*laui pedes meos, quomodo rursus inquinabo eos?*] & profectò miseranda res est, eum, qui pretiosam aliquam uestem habeat, curare summopere ne sordidetur, quòd si forte aliqua sordes ei quępiam illinantur, mox dare operam ut auferantur, & posthac cauere accuratius, ne idem accidat. in animæ uerò, quæ pluris quàm totius mundi adeptio est facienda, puritate aut curanda, aut, ubi parta est, conseruanda, tam esse supinum. ecquę enim cura, ecquod studium, ecqui labor hactenus adhibitus est, ne in eadem quotannis peccata relabamini? non pudet in re, quę sola æstimanda ab homine est, tam stultè oscitare? non saltem formidatis iram Dei, cum hoc non pœnitentia, sed pœnitentiæ simulatio, non in uestram curationem, sed in Dei redundet ignominiam? quid enim est Deum irridere, si hoc non est? quotannis à Deo peccatorum ueniam petere, atque ad eadem peccata sine ullis retinaculis reuerti? hoc sanè est, quod me terret uehementer, quodque efficit, ut ingentem ego, nisi hunc abusum tollatis, castigationem & ultionem expectem, & illis parem, aut maiorem etiam, quæ olim interdum maximè terrifica acciderunt, cuius rei causam superiore oratione,

1.Cor.5.

ibidem.

ibidem.

Cant. 5.

tionibus impedire curabit, ne exeatis ex Ægypto, & ab eius ser-
uitute liberemini. uerba enim Pharaonis repetet, dicetque [*creuit hactenus populus, quantò magis si ocium habuerit à terrenis curis?*] ibidem.
quare nullum non lapidem mouebit, ut ocium hoc auferat, & prohibeat, ne Diuinis studijs uacetis. excitabit temporarias molestias atque afflictiones, cogetque ut culpam in episcopum uestrum reijciatis, & aduersus eum murmuretis. at ille quid faciet? nimirum quod Moses, qui reuersus ad Dominum ait. [*Domine cur afflixisti populum istum? quare misisti me? ex eo enim tempore quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer ex tuo nomine, afflixit populum tuum, et non liberasti eos.*] ibidem.
Dominus autem quid? [*nunc uidebis* (inquit) *quæ facturus sum Pharaoni. per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta eijciet eos de terra sua.*] Exod. 6.
hoc est, propter plagas multas & ualidas cogetur tandem dimittere eos. sic qui perstiterit, sentiet demum subactas aduersarias potestates. pollicitus enim est Dominus ipse uictoriam, cum dixit. [*confidite, quia ego uici mundum.*] Ioan. 17.
At ubi ex Ægypto educti fueritis, & peccata, quibus sub Diaboli tyrannide detenti fuistis, reliqueritis, demerso Pharaone & eius exercitu in mari rubro, non continuò in terram promissam ingressus patebit, sed interiacet uasta heremus & ingens solitudo, ingruent tentationes, quibus exercendi estis. sic enim admonemur per quendam sapientem. [*fili* (inquit) *accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.*] Eccl. 2.
tunc enim maximè furit Diabolus aduersus nos, cum cernit uelle nos uiriliter agere, & facta Christiano homine digna exercere. uerum in hac solitudine non relinquemur soli, neque sine auxilio, sed manna cœlestis cibus nobis quotidie subministrabitur, quod carnales quidem homines fastidiunt, maluntque in Ægypto sedere super ollas carnium. at ij, qui iam gustauerunt, quàm suauis sit dominus, experiuntur panem illum omne delectamentum in se habere, & omnis saporis suauitatem. Exo. 16.
educetur aqua de petra, de qua Paulus ait. [*Petra autem erat Christus.*] 1. Cor. 10.
qui deducet nos ad aquas refectionis, cum tentationum æstu fatigari nos sentiet. aderit erectus æneus serpens aduersus ignitorum serpentum uulnera. nam qui Christum in crucem actum & tanquam peccatorem tam grauia pro nobis passum studiosè contemplabitur, antiqui serpentis ictus facile superabit.

ingens etiam solatium præbebit promissa terræ expectatio, terræ fluentis lac & mel, hoc est, omnis delectationis & suauitatis ple-
Rom. 8. næ, quam cogitans Paulus aiebat.[*non sunt pares afflictiones huius*
2.Cor.4. *temporis ad gloriam, quæ reuelanda est in nos.*] et alibi. [*momentanea leuitas afflictionis nostræ, mire supra modum æternum gloriæ pon*
ibidem. *dus parit nobis.*] quare? [*dum non spectamus ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur. nam quæ uidentur, temporaria sunt, & quæ non ui-*
2.Cor.5. *dentur, æterna. scimus enim, quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus domicilium non manu factum, æternum in cœlis.*] Quis obsecro ad tam admiranda ac tam felicia promissa non animetur ad molestissima queque alacriter perferenda, atque in hac solitudine æquo animo interea degendum? si temporarij lucri cupidos non fatigant continui per totam uitam labores, ut aliquas pecunias comparent, quibus demum sæpe numero ne fruuntur quidem, & quæ interdum in æternum Geennæ ignem homines conijciunt, quid non laborandum esset pro beata illa æternitate adipiscenda, quæ bona omnia secum est habitura, & ea bona, quæ
Esa. 64. [*nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.*
1.Cor.2. *quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum?*] hanc fidem si tota mente, atque omni animo complectamur, omnibus profecto ten-
1.Ioa.5. tationibus erimus superiores. [*hæc.n. est uictoria* (ait Ioannes apostolus) *quæ uincit mundum, fides nostra. quis est enim qui uincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei?*] dicet aliquis. ego hoc credo, nec tamen uinco mundum, at argumentum contra te potius faciendum est, dicendumque, propterea argui, te minimè credere, quòd mundum non uincas. nam quod discipulus ueritatis dicit, falsum esse non potest, eum uidelicet uincere mun-
ibidem. dum, *qui credit quòd Iesus sit filius Dei*,] quod cum à te non fiat, argueris non hoc credere. fides hęc, de qua Ioannes loquitur, non in sermone est, sed in uirtute, neque eius generis, quam omnes
Ti.1. circunferunt, qui fatentur se nosse Iesum, factis autem negant. at is, qui credit uerè, Iesum esse filium Dei, huius philosophiæ maiestatem contemplatus, totus in eius amorem rapitur, & in il-
Mat.13. lius negotiatoris Euangelici morem. [*inuenta una pretiosa margarita, uadit & uendit uniuersa quæ habet, & emit eam.*] hoc effi-
Act.4. ciebat, ut in ipsis nascentis ecclesiæ primordiis, fideles uenderent

possessio-

possessiones omnes, & earum pretium ad pedes apostolorum proiicerent. hoc efficiebat, ut non solum uiri, sed etiam teneræ uirgines omnia tormentorum genera fortissimè perferrent. hæc fides quia nunc deest, sumus ad omnia rectè facta ineptissimi. non enim ad interiorem hominem penetrat, sed exteriores duntaxat aureis circunsonat, atque iccirco fit, ut tunc etiam, cum innouari singulis annis hoc paschali tempore arbitramur, uetus semper fermentum resideat, neque unquam azymi reperiamur. Quare si animus est serio posthac agere, illud prçstandum est, quod admonet Petrus apostolus, cum ait. [*deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes & inuidentias, & omnes obtrectationes. tanquam modo nati infantes, lac illud rationale, quod dolum nescit, concupiscite, ut per illud crescatis.*] uidete quàm exactam à nobis uitę rationem apostolus postulet. iubet ut eam innocentiam prę nobis feramus, quę in nuper natis infantibus conspici solet. ij enim nulla malitia sunt prçditi, nullum excogitare dolum sciunt, non simulare, non inuidere, non obtrectare, nulli malum pro malo reddere, neminem odio prosequuntur. hoc idem Christiano homini est præstandum. iccirco uult nos, tanquam modo natos infantes, lac rationale, hoc est, animi non corporis appetere. quod ei mihi simile uidetur, quod à propheta quodam dicitur [*ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis eius, ut mulgeatis & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.*] nam hæ ueræ, aut solæ potius deliciæ sunt, sed non intelliguntur sine experimento. at experiri non potest, nisi qui paret consilijs prophetę dicentis, [*uacate, & uidete, quòd suauis est Dominus.*] & ob hanc causam uidetur addidisse Petrus, [*siquidem gustastis, quod suauis sit Dominus.*] quod ut accuratius prçstemus, admonet nos dignitatis nostrę, & ait. [*ad quem accedentes lapidem uiuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo uerò electum ac pretiosum, ipsi quoque tanquam uiui lapides ædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.*] quemadmodum enim alibi admonemur, corpora nostra esse membra Christi, sic cum hic dixerit, Christum esse uiuum lapidem, addit. [*& nos tanquam uiuos lapides* ędificandos in spiritualem domum, hoc est templum, in quo tanquam in templo offerenda sint spiritualia sacrificia,

Margin notes: **1.Pet.2.** (beside "deponentes omnem"); **Psa. 33.** (beside "uacate"); **1.Pet.2.** (beside "siquidem gustastis"); **ibidem.** (beside "ad quem accedentes"); **1.Cor.6.** (beside "corpora nostra"); **1.Pe. 2.** (beside "& nos tanquam")

crificia, quę uerè accepta Deo ſunt. atque illud eſt, quod
Rom.12. Paulus ait. [*obſecro uos per miſerationes Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuentem, ſanctam Deo placentem, rationalem cultum ueſtrum.*] & alibi ab eodem Paulo admonemur, nos eſſe ueluti ſacrata Deo templa, in quibus ſpirituales quotidie
1.Cor.6. hoſtię immolentur. ſic enim ait. [*neſcitis quòd membra ueſtra*
1.Cor.3. *templum ſunt ſpiritus ſancti.*] & rurſus. [*neſcitis quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in uobis? ſiquis templum Dei uiolauerit, diſperdet illum Deus. templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis uos.*] quæ uerba quem non moueant, ac prouocent ad præſtandam omnem uitæ perfectionem, & cauendum nequa impuritas tantæ maieſtatis templa uitiet. ſi enim quis templum hoc, manibus hominum conſtructum uiolare auderet, ſacrilegus ab omnibus iudicaretur, & dignus qui maximis afficeretur pœnis, multò certè grauiora ſupplicia merentur, qui uiua Dei templa, in quibus,
Act.17. [*non autem in manu factis templis Deus habitat,*] audent uiolare. Quæ cum ita ſint, unuſquiſque ueſtrum operam det, ne tam inerter, quàm hactenus factum eſt, uiuat, ſed deponens, quemadmodum admonet apoſtolus, iuxta priorem conſuetudinem.
Ephe.4. [*ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiſcentias erroris, renouetur ſpiritu mentis ſuæ, & induat nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate ueritatis.*] iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre et ſpiritu ſancto eſt honor et imperium ſempiternum Amen.

ORATIO

ORATIO XLV:

De ascensione Domini.

CVM ad nascentis ecclesiæ tempora animum refero, beatos ego illius temporis episcopos iudico, tametsi in quotidianis mortibus uersarentur, dum cogito ingentum fructum, qui ex eorum labore prædicandi consequebatur. primum enim exiguo tempore maxima hominum multitudo ad fidem Christi adducebatur, deinde ij, qui credidissent, summi repente euadebant, & qui heri ac nudius tertius ligna & lapides adorauerant, & parum à beluis distabant, mox agnita nostra hac ueritate, in angelicam quandam naturam transferebantur. nunc uero illi ipsi, qui Christo nomen dedere, tam alieni à Christianis moribus sunt, ut multo tempore ac maximo labore opus sit ad illos reuocandos, & per quam exigui reperiantur, qui uitam, cœlesti huic philosophiæ, quam tamen profitentur, consentaneam degant. utriusque autem tam diuersę rei causam cum peruestigo, hanc esse inuenio, quòd priores illi, quemadmodum superiori oratione leuiter attigi, ueritatem hanc Euangelicam tota mente atque omni animo & intimis sensibus percipiebant, eamque cum illa philosophia, & eo uitæ genere, in quo antea uersati fuerant, conferentes, intelligebant, hanc unam esse, in quam esset incumbendum. audiebant enim ex Euangelica prædicatione, cœlestem patrem misisse unigenam filium ad perditum genus nostrum reparandum, qui filius accepta in utero uirginis carne, nasci in stabulo atque in præsepe collocari ille omnium Dominus non sit dedignatus. uitam præterea duxerit docendi nostri gratia ita pauperem, ut, cum uulpes foueas habeant, & uolucres cœli nidos, ipse tamen non haberet, ubi caput suum reclinaret. demum cum per totam uitam docendis Euangelicam doctrinam hominibus laborasset, in crucem agi ac teterri-

Gal. 4.
Luc. 2.
Matt. 4.
Luc. 9.

rimum & crudelissimum mortis genus perferre, ut salutem nobis compararet, inter duos latrones positus, non recusauit. audiebant præterea, quantam secum gloriam afferret ista crux, cum post hæc omnia resurrexerit ad immortalem uitam, & in cœlum ascenderit, naturamque nostram ad Dei patris dexteram collocarit, dataque sit ei omnis potestas in cœlo & in terra, & Deus illum in tam ingentem celsitudinem extulerit, [*ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus.*] hæc harum rerum maiestas illos permouebat, excitabat, inflammabat ad maxima quæque ac præclarissima facta, in primis quæ ad contemnendas opes atque adeo ipsam uitam, dicebantque cum Paulo. [*charitas Christi urget nos, æstimantes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut & qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*] Cernis plenam pietatis ratiocinationem? & quàm pulchras excogitarent causas, cur sui ipsorum obliti, illi uni uiuere studerent, cui uitam omnem referre deberent acceptam? hinc fiebat ut uenditis facultatibus omnibus earum pretium ad apostolorum pedes proijcerent, turpe existimantes, se puluerem & cinerem in diuitijs ac splendore uitæ degere, cum is, [*per quem omnia facta sunt*] tam humilem ortum habere, & tam contemptam uitam ducere uoluerit nostri gratia. omnia tormentorum genera læti perferebant, memores quid suus Dominus pro ipsis fuerit passus. & hæc quidem ut præstarent, sola pro meritorum Seruatoris Christi contemplatio persuadere idonea erat. uerum cum accedebat tam ingens tantorum præmiorum pollicitatio, quid non & facere & pati parati esse debuerant? ante agnitam hanc ueritatem, nihil habebant quod certius sibi de futura uita pollicerentur, cum parum idoneos haberent auctores, quibus tanta in re fidem habere possent. hic uerò audiebant Paulum, in quo Christus loquebatur, dicentem. [*Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori caritatis suæ.*] & rursus. [*momentanea leuitas huius afflictionis mirè supra modum æternum gloriæ pondus parit nobis. dum non spectamus ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur. nam quæ uidentur temporaria sunt, at quæ non uidentur,*

Marginal notes: *Matt.* 28 — *Phil.* 2. — 2. *Cor.* 5. — *Act.* 4. — *in Sym.* — *Phil.* 3. — 2. *Cor.* 4.

tur, æterna. scimus enim (nam hic philosophicis opinationibus non est 2. Cor. 5
*locus (quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destru-
ctum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manu fa
ctum, æternum in cœlis.]* promissa tam felicia quę uel marmorea saxa non molliuissent, atque ad hanc amplexandam philosophiam non traxissent? nunc uerò homines penè nascuntur Christiani, & nomen Iesu cum lacte nutricis bibunt, & tamen ad senectam perueniunt sine ullis in Christiana philosophia progressibus. quamobrem? quia nunquam ea, quæ dudum dicebamus, animo uersant, non curant filios suos his imbuere cogitationibus, nihil aliud unquam nisi terram & terrena negocia tractant. ecquis enim uestrum est, qui, exempli gratia, huius diei admiranda mysteria contempletur, ac domum suam doceat idem facere? quid autem excogitari maius potest, & quod detinere animos nostros magis idoneum sit, quàm quòd hoc ipso die Iesus Christus Dei filius acceptam hanc naturam nostram super omnes cœlos ad patris dexteram collocauerit? quis hęc attentè meditans non continuò humiles omnes abijciat cogitationes, & suę dignitatis recordatus maiora sibi, & præstantiora, quàm hactenus fecerit, incipiat polliceri? diceret enim, cum mihi in Christo iam in cœlum assumpto cœlum ipsum assignatum sit, quid posthac his terræ angustiis esse contentus potero? si tota terra cœlo comparata puncti instar est, quid in huius puncti particula comparanda ac possidenda omnem uitam stultus occupo? quis ad regnum inuitatus pateretur, se uilissimi tugurioli amore, regno priuari? quod si faceret, stupidum illum ac sine sensu omnes iudicarent. terrenum ergo quis regnum hoc pacto despiciens tam acriter reprehenderetur, æternum uerò in cœlo regnum maxima hominum pars ita negligit, ut nunquam de eo cogitet. atque adeo humillima quęque illi anteponat, & & nemo hanc stupiditatem admiratur. si quis liberos habet, ac spes est, se dignitatem aliquam insignem illis adepturum, eos ad illam format, sępe illos eius dignitatis admonet, ad uirtutem & rectè facta adhortatur, ut illa dignitate magis honestentur. at immensa cœli spatia proposita omnibus sunt, regnum & magnitudine & dignitate infinitum, cui totius terræ imperium si comparetur, puerorum lusus uideri possit, & parentes filios quotidie

non exstimulant ad illud adipiscendum, non admonent, ne sua inertia tantum bonum amittant. quin ab hoc officio præstando plerique omnes tam sunt alieni, ut nihil ab ijs distent, qui pręter hanc uitam nihil præterea aliud superesse existimauerunt. Mutate hos mores obsecro, mihi credite, & tanto muneri, ac tam profusæ liberalitati ingrati esse desinite. contemnamus has ineptias & hęc somnia, nos, quibus tanta rerum maiestas fuit declarata. cur inuentis frugibus glande uescimur? ueniat nobis in
Col. 3. mentem, quid admoneat Paulus fideles omnes. [*si consurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, superna curate, non quæ super terram.*] obseruate mirum dicendi modum. non enim dixit, si Christus resurrexit, præparate
ibidem nos ad eandem resurrectionem adipiscendam. sed dixit. [*si resurrexistis unà cum Christo.*] nam resurgente Christo, existimare debemus, nos etiam cum illo resurrexisse, & illo ascendente in cœlum, & nos simul ascendisse, & cum illo consedere ad patris dexteram, quod apertè idem Paulus ad Ephesios scribens testatur,
Eph. 2. cum ait. [*Deus, qui diues est in misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui ob delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Iesu.*] neque id iniuria, cum enim caput nostrum Christus sit, meritò & nos illius
Col. 3. membra ibidem, ubi caput sit, esse memoramur. [*Si ergo resurrexistis unà cum Christo,*] illa in cœlo uita immortalis, non hæc
ibidem. quæ mors potius est, curanda relinquitur. quare adiecit. [*superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens.*] caput (inquit)
Eph. 1. uestrum iam in supernis regnat, [*super omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro.*] & po-
Matt. 6. testis in hæc humilia, & exigua demittere oculos? nonne ubi thesaurum habent homines, ibi & cor habere consueuerunt? at quis maior thesaurus hominibus esse potest, quàm ut natura hęc no-
Col. 3. stra ad Dei patris dexteram sit collocata? [*Superna curate* (inquit) *non quæ super terram.*] sed qui fieri potest (dicet aliquis) ut in terra degentes, ea, quę in terra sunt, non curemus? audi quod se-
ibidem. quitur. [*mortui enim estis.*] audiant hoc, quibus graue uidebatur, quod à me dudum ex Euangelio recitatum fuit, cum admo-

neret

neret Dominus, non esse de crastino cogitandum. hoc, quód hic dicitur, multò est maius. nam qui mortuus est, ne de hodierno quidem die est solicitus. uidete uerò quàm exactam à nobis philosophiam requirat Euangelica doctrina. uult enim, ut existimemus nos mortuos esse in hac quę uidetur uita. quod si ita est, intueamur quænam sit mortuorum conditio, atque ad eam nos accommodemus. mortuus opes non curat, honores non ambit, non splendorem uestium, non seruorum greges, non splendidas domos. iniuria aut contumelijs affectus non ulciscitur. quam unquam uidimus mortuam mulierem uelle fuco pingi genas, monilia, gemmas, sericum, argentum, aurum corpori circumponi? hæc autem omnia nunc quęritis, quia non agnoscitis professionem uestram, & quamuis Christum ore fateamini, factis tamen negatis. quid enim ethnicę mulieres, & quę Deum non agnoscant, facere dissolutius aut impudentius possent? qui mores reperiri possunt uitiosiores ijs, qui nunc in omnibus & uiris & fœminis esse deprehenduntur? ubi maior habendi cupiditas, aut potius rabies & furor? ubi maior ambitio? ubi in uictu & cultu luxuria intemperantior? apud quos ethnicos grauiores inimicitiæ, odia, dissensiones unquam repertæ sunt? & tamen Christianos appellare nos audemus, qui, cum audiamus ex Paulo nos esse mortuos, ita tamen uiuimus, quasi de nulla alia unquam uita, quàm de hac mortali mentionem factam esse audierimus. oporteret nos hęc uerba meminisse, quoties nostri nos sensus inuitant ad tam dissolutum uitę genus, quod nunc usurpant homines. nunquam enim fieri posset, ut cum hac recordatione tam monstrosam uitam tamque à Christiana professione abhorrentem agerent. [*Mortui* (inquit) *estis*.] tantumne? [*immo & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo*.] cum dicitur, uos esse mortuos, non hoc dicitur, ut finis uester sit mors, sed ut ab hac uitę umbra, atque adeo potius umbra mortis, ad eam, quæ uerè uita est, oculos attollatis, quod tandiu facere prohibemini, dum his somnijs affixi estis. [*uita ergo uestra abscondita est cum Christo in Deo*.] id, quod absconditum est, extat quidem, licet minimè cernatur. sic uita nostra iam parata est, suo tempore reuelanda. in hunc modum & alibi dicit. [*non sunt pares afflictiones huius temporis ad gloriam, quæ reuelanda est*.] quia iam extat quidem,

Matt. 6

Col. 3.

Col. 3.

ibidem.

Rom. 8.

quidem, sed abscondita est, & quasi quodam uelamine obtecta, quod cum auferetur, tum denique cernetur. sed quando hęc
Col. 3. erunt? [*cum apparuerit Christus uita uestra, tunc & uos apparebitis cum illo in gloria.*] non dixit tantum, [*cum apparuerit Christus,*] sed [*Christus uita uestra,*] ut discamus ab illo uno pendere. quid
Iob. 2. est enim appetentius uita? [*pellem pro pelle* (inquit) *& omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua.*] quòd si uitam amamus, uni Christo inhęrendum est, qui est uita nostra. at ei non hęrent ij, qui contraria omnia illius pręceptis faciunt, & longe diuersa
Col. 3. ingrediuntur uia ab ea, quam ipse docuit. [*apparebitis* (inquit)
Mat. 13. *cum illo in gloria.*] qua gloria? cum [*fulgebunt iusti sicut sol.*] cum
Phil. 3. [*transfigurabit corpus humile nostrum, ut conforme sit corpori eius glorioso.*] quàm admiranda species, quàm felix spectaculum, cernere humana hęc corpora solis splendorem æquantia. miseret me uestræ sortis mulieres, quę cum summum uestrum bonum speciem corporis arbitremini, tam ingenti pulchritudine sitis destituendę ob inanem ac momentaneum splendorem & uestium & pictarum genarum, quibus rebus cum Christum uitam uestram offendatis, non intelligitis, uos incomprehensa illa pulchritudine uestro uitio perpetuo esse priuandas. qui dolor, qui pudor erit uester, cum cernetis fœminas, quæ in hac uitæ scena temperanter se gesserunt, & illos fucos, illum infiniti mundi muliebris ornatum ob Christi amorem neglexerunt, ęquare solis lucem, & eam pulchritudinem in ęternum conseruaturas, uos uerò ob paucorum dierum uanitatem, turpissimam speciem cum Diabolo & angelis eius in perpetuum habituras? non enim admittet Christus, nisi quos agnoscet. at uos, quę aliam faciem inducitis, quàm eam, quæ ab ipso creata est, quo pacto agnoscet? rectè enim
Luc. 13. uobis dicet. [*amen dico uobis, nescio uos.*] quare dum tempus est, dum spatium uobis resipiscendi datur, abijcite hos adulterinos mores, & date operam, ut & uobis huius tantę gloriæ quam hic commemorauimus, esse participes liceat. [*Cum apparuerit* (inquit)
Col. 3. *Christus uita uestra.*] huius futuri aduentus in hodierna etiam historia facta mentio est. sic enim in Actis apostolorum legitur.
Act. 1. [*cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt. uiri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet,*

ſic ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum.] hic Ieſus in hac ipſa natura, quam nunc uidiſtis aſſumi in cœlum, rurſus ueniet, iudicaturus uiuos & mortuos, & redditurus unicuique ſecundum opera ſua. ueniet cum poteſtate magna & maieſtate, uallatus exercitibus angelorum. cernemus naturam noſtram in eam celſitudinem ſublatam, qua maior haberi non poteſt. quàm delectabit eos, qui ſocij afflictionum in hac uita eſſe, & crucem poſt Chriſtum ferre non recuſauerunt, cernere regem ſuum tanta gloria honeſtatum, humaniſsimis uerbis eos alloquentem, atque ad æterni conſortium regni inuitantem? quanta rurſus eorum erit ignominia, qui tunc demum intelligent, quanto in errore uerſati ſint, dum ob temporaria commoda, & exiguam uoluptatem, & ambitum honorem, quæ omnia ſommo quàm ſimillima ſunt, ueris illis bonis priuari ſe, & pręterea ad ſempiterna incendia ſentient relegari? quibus tormentis cruciabitur impiorum animus, cum cernent ſe tam ingentem Dei erga ſe contempſiſſe beneficentiam? intuebuntur iudicem illum Dei filium, qui pro eorum ſalute homo factus ſit, atq; adeo nouiſsimus potius uirorum, qui acerbiſsimam, & pleniſsimam ignominię mortem, ut nos ſeruaret, pertulerit, hunc inquam in illa maieſtate intuebuntur, quem ita contempſerunt, ut uiliſsima quęque illius honori ac uoluntati prętulerint, & ea ingratitudo ipſa Geenna, in quam relegabuntur, uidebitur grauior. Hæc identidem commentemur chariſsimi, & ſæpius uerſemus animo, ut cum apparuerit Chriſtus uita noſtra, non ſit illius aduentus nobis terrificus, ſed optandus, & a ppareamus cum illo in gloria. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Mat. 16. *Luc.* 21. *Eſa.* 53. *Col.* 3.

ORATIO

ORATIO XLVI.

De die sancto Pentecostes.

SI ecclesię, quemadmodum à me non semel audiuistis, prouidentissimæ matris instituta, & quæ per totum annum proponit fidelibus, obseruarentur, non admodum multis aliorum adminiculis egerent homines. satis enim essent illa ad unumquenque instruendum, & formandum, ut aliquando in uirum perfectum euaderet, & [*in mensu-*
Ephe. 4.
ram,(quemadmodum ait Paulus)*plenæ ætatis Christi*.] prętęrquam .n. quòd septimo quoque die, qui Dominicus appellatur, iubet ocium agere ab externis occupationibus, & uacare Deo. quod ut facilius ac commodius unicuique liceat, noua semper ex Euangelio & reliquis scripturis sacris profert documenta, ac spiritualem cibum, quo interior homo nutriatur, & spiritualia accipiat incrementa, addit præterea solennes multos dies, præsertimque memoriam repetit eorum beneficiorum, quibus maximis genus nostrum affectum est, ex Seruatoris Christi aduentu, & admirandis mysteriis inde profectis. sed uideo maximam hominum partem ita à uia Dei, & ab ea religione, quam profitentur, auersos, ut ne intueri quidem curent, ac cogitare, quid hi tam solennes dies uelint, sed eos duntaxat expectent, ut ludis, & iocis, & epulis, & quouis perdito uitæ genere dissoluantur. ita miseri eos dies, qui salutis comparandę gratia propositi ab ecclesia sunt, in animarum suarum perniciem conuertunt. quare, quod semper faciendum episcopo est, si etiam tam monstrosi abusus non essent in ecclesiam introducti, multò nunc magis prętare cogor, ut scilicet huius diei uobis aperiam mysteria, & quanto munere genus nostrum hodie donatum fuerit. Hoc.n.die præstitit Deus, quod multò ante per Ieremiam prophetam pollicitus fuerat, cum
Ier. 31. dixit. [*ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Iacob, et domui*

mui Iuda fœdus nouum. non secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus*. sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit* Dominus*. dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt in populum. & non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum dicens. cognoscite* Dominum*. omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait* Dominus.] Hoc testamentum per Christi aduentum allatum, hodie confirmatum est, cum adueniente spiritu sancto, non in tabulis lapideis, sed in ipsis apostolorum cordibus lex Euangelica inscripta fuit, & ex eorum prædicatione tanta ueritatis lux orbem impleuit, ut uerissimum appareret, quod per hunc prophetam dictum fuit, fore scilicet, ut omnes à minimo usque ad maximum Deum agnoscant. nam quæ olim ne summi quidem ac doctissimi uiri nouerant, ea nunc etiam idiotis peruia facta sunt, ubi primum hic [*spiritus Domini repleuit orbem terrarum.*] ut omnes, quemadmodum dixit Dominus, à Deo docti esse uideantur. Huius sancti spiritus aduentus & per Ioelem prophetam promissus fuit, quod & Petrus Iudæos admonuit, cum admirandum illud factum ebrietati ascriberent. sic enim dixit. [*Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem uniuersi, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea. non enim, sicut uos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est per prophetam* Ioel, *& erit in nouissimis diebus, dicit* Dominus, *effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. & quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt.*] Hic ergo spiritus promissus iam olim per prophetas fuerat quidem, uerum, ut capaciores huius fierent discipuli, discessurus ab eis Dominus, aliquoties in ultima cœna eius fecit mentionem, ut cum dixit. [*rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere.*] uide uerò pulchra mysteriorum arcana. hic cum passurus erat, neque dum intelligebatur eius maiestas, dicit se rogaturum patrem,

Marginal notes: *ibidem.* — *Sap.* 1. — *Act.* 2. — *Ioel.* 2. — *Ioan.* 14.

trem, ut paracletum mittat. sed post resurrectionem, quo tempore ascensurus erat ad patrem, non dixit, rogabo, sed, [*mittam promissum patris mei in uos.*] iam enim capaciores erant, & cœperant maiora de Christo intelligere. uerum, ut ad ea, quæ in cœna acciderunt, reuertamur, reddidit rationem, cur post suum ab eis discessum accepturi essent hunc spiritum paracletum. & ait. [*ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam. si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. si autem abiero, mittam eum ad uos.*] dum mortalem (inquit) hanc carnem præfero, neque uos crescere intelligentia potestis, neque mundus certior fieri potestatis meæ. at cum abiero, spiritum illum paracletum mittam, quo duce ad altiorem rerum intelligentiam eritis uos aptiores, & magnificentissimis signis declarabitur mundo, me uerè Deum esse, qui post discessum ab hominibus meum, tam manifestam meæ Diuinitatis significationem faciam. hęc autem omnia me adhuc præsente non aptè fient. Neque hoc contentus Dominus, adiecit, quę facturus esset ille spiritus, & dixit. [*& cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. de peccato quidem, quia non credunt in me. de iustitia uerò, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.*] Tria (inquit) argumentis apertissimis demonstrabit. primum omnium, mundum peccasse in me, dum tantę ueritati credere recusauit. deinde quòd iustus fuerim, atque omnino innocens, qui ob hanc iustitiam meam ad patrem, ab aspectibus hominum sublatus, profectus sim, cui rei testimonio erunt ea, quæ in nomine meo per spiritus sancti aduentum fient. postremò declarabit, condemnatum esse principem mundi, cum imperium omne illius per totum mundum sublatum cernetur. & hæc quidem, & aliquot huius generis alia in ultima cœna de spiritus sancti aduentu admoniti à Domino apostoli fuerunt. post resurrectionem uerò rursus prædixit, eos post paulò accepturos uirtutem superuenientis spiritus sancti in se, iussitque, ut sederent in ciuitate Ierusalem, donec induerentur uirtute ex alto. quod & fecerunt. nam, ut in Actis apostolorum legitur, conspectò illius in cœlum ascensu, reuersi sunt Ierosolymam, & ascenderunt in cœnaculum, ubi omnes perseuerabant unanimiter in deprecatione & obsecratione.

Luc. 24. — *Ioan. 16.* — *ibidem.* — *Act. 1.* — *ibidem.*

cratione. [*cum uerò compleretur dies pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco, & factus est repente de cœlo sonus, tanquam impetu uenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes.*] Quod ait, hoc factum fuisse eo die, quo complebatur dies pentecostes, quę uox quinquagesimam significat. uidelicet quinquagesimo die ab agni paschalis immolatione, plenum mysteriorum est, ut ueritas figurę responderet. sicut enim ab exitu ex Ægypto, cum paschalis agnus immolatus fuit, interfuerunt quinquaginta dies usque ad datam legem in monte Sina, sic ab immolati pro nobis innocentis agni Christi, atque ad immortalem uitam suscitati die usque ad hunc, intercesserunt quinquaginta dies, atque hoc quinquagesimo in monte Sion data est in cordibus fidelium hęc noua lex, ubi pro tonitruis ac fulguribus, quæ in Sina acciderunt, sonitus hic è cœlo est factus. qua in re primum obseruandum est, quibus detur gratia spiritus sancti, nempe ijs, qui se pręparent, pręcationibusque ac obsecrationibus operam dent, atque inter se sint unanimes. nam spiritus sanctus, sicut scriptum est, separat se à cogitationibus, quę sunt sine intellectu. quòd autem repentinum sonitum factum dicit, idque è cœlo, hoc factum fuit etiam, ut signo illo excitarentur omnes, atq; concurrerent, & pręterea, ut, cum corporis sensu sonum illum percepissent, calumniæ occasio auferretur. si enim cum hoc tam manifesto sonitu ausi sunt quidam ebrietatis arguere apostolos, & rem tam admirandam ita impudenter calumniari, quid non dixissent, si hic apparatus non præcessisset? è cœlo autem hic sonitus uenit, ut intelligeretur, opus hoc eius esse, qui in cœlum assumptus dudum fuerat, Diuinęque uirtutis, quemadmodum & in mari rubro, flante uento orientali uehementi, mare exsiccatum fuit. Rectè uerò, cum spiritus, siue flatus, & ignis etiam mentio facta fuit, addita particula est illa, [*tanquam,*] uidelicet, tanquam spiritus, & tanquam ignis, nequid sensibile de spiritu sancto opinaremur. quòd uerò adueniente spiritu sancto, factus est sonitus [*tanquam aduenientis uenti uehementis.*] aptè congruit. cum enim uentus spiritus appelletur, rectè in spiritus sancti aduentu exterior sonitus uenti auditus est, ut, quod in credentium cordibus faciendum erat, exteriori etiam signo declararetur. sic et Dominus, cum post resurrectionem dare eis spiri-

Act. 2. — *Sap. 1.* — *Act. 2.* — *ibidem.*

Ioan.20. tum sanctum uoluit, [*sufflauit in eos, & dixit eis. accipite spiritum sanctum,*] exteriore spiratione significans, quod interius accipiebant. Sed ex hoc Ioannis loco, quem nunc citauimus, dubitauerit quispiam uestrum, si tunc Dominus dedit discipulis spiritum sanctum, quid opus fuerit hoc nouo eiusdem spiritus sancti aduentu. uerum si illius loci uerba cum ijs, quæ de hac spiritus sancti missione mentionem faciunt, conferantur, non erit difficile quæstionem omnem soluere. nam apud Ioannem sic le-
ibidem. gimus dixisse Dominum. [*sicut misit me pater, & ego mitto uos. hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis. accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*] illic ergo, quam accepit à patre potestatem, eam apostolis impertiuit. iam enim accingi eos oportebat ad negocium regni. uerum, quia regnum hoc alterius est conditionis, quàm cætera huius mundi regna, uires etiam ac potestatem ab eis diuersam, atque huic regno consentaneam tradidit. quare dedit eis potestatem remittendorum peccatorum. nam ij sunt huius regni hostes. at in hoc spiritus sancti aduentu corroborati fuerunt apostoli & maior quædam, atque, ut sic dicam, consummata donorum plenitudo facta est, quemadmodum etiam promissum illis
Luc.24. à Domino fuerat, cum dixit, [*uos sedete in ciuitate Ierusalem do-*
Ioan.16. *nec induamini uirtute ex alto*] & alibi. [*multa habeo uobis dicere, sed non potestis ea portare modo. cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.*] sed reuertamur ad historiam
Act.2. [*Et repleuit* (inquit) *totam domum.*] ut esset domus illa tanquam piscina, quæ pro aqua repleretur spiritu, & fieret, quod dixerat
Act.1. Dominus, [*baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.*]
Mat.3. & Ioannes Baptista de eo dixit, [*ille uos baptizabit spiritu sancto & igni.*] hoc autem & copiæ & uehementiæ indicium fuit. domus autem illa mundi typum gerebat, qui & ipse implendus esset totus Euangelica philosophia. ignis uerò non impleuit domum, ne
Act.2. forte nimius stupor effugere, ac domo exire coëgisset. [*et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.*] hoc est tanquam igneæ linguæ. *& sedit super unumquenque eorum.*] centum uiginti uidelicet igneæ linguæ uisę sunt, ut huius philosophiæ uehementia declararetur. nam & externa philosophia linguam habet, atque adeo tota lingua est, sed sine igne. nihil enim permouet humana corda,

corda. at nostra quid? [*ignitum* (inquit) *eloquium tuum uehementer.*] & duo illi discipuli. [*nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas?*] ignis etiam figura apparuit, ut ostenderetur, spiritum quoque sanctum esse Deum. nam scriptum de Deo est. [*Deus tuus ignis consumens est.*] & in ea etiam forma Mosi in rubo apparuit. sedisse quoque hic legitur. [*super singulos eorum.*] significans stabilitatem ac soliditatem huius doni in apostolis futuram. [*et cœperunt loqui uarijs linguis.*] cum uitio hominum dispergendi erant ijdem homines in uarias terræ parteis, linguarum confusio immissa in eos fuit, ut alter alterum non intelligeret. nunc uerò cum in unam fidem cogendus erat mundus contrarium factum est, ut scilicet multæ linguæ in unum conuenirent. [*cœperunt ergo loqui uarijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis.*] quòd ait, [*eloqui,*] in Græcò est ἀποφθέγγεσθαι. quasi apophthegmata quædam essent, ac selectiores sententiæ, quæ uarijs illis linguis proferebantur. [*Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi uiri religiosi ex omni gente, quæ sub cœlo est.*] religionis ac pietatis suæ indicium præferebant, quòd relicta patria & facultatibus & domo, uenerant Ierusalem ad habitandum, ut secundum patrias leges, ter per annum sisterent se coram Deo. [*Facta autem hac uoce conuenit multitudo, & confusa est, quoniam audiebant, unusquisque lingua sua illos loquentes. stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes inter sese. non ne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus eos, sua quisque lingua, in qua nati sumus.*] Confusa est multitudo, hoc est, commota & turbata, nec sine causa. arbitrabantur enim, hanc rem negocium sibi pariturum ob ea, quę in Christum fuerant ausi, & conscientia illorum animos concutiebat. & homicidę quidem illi ita affecti erant. at pij mirabantur, qui, cùm Galilæos illos agnoscerent, cernerent tamen linguis tam diuersis loquentes. & apostoli quidem intelligebant, quæ loquerentur, uidelicet, illa Dei magnalia, licet fortasse nescirent, quę essent illæ linguæ. at ij, qui audiebant, intelligebant, exempli gratia, Scytha, Indus, Persa, quòd Scytharum, aut Indorum, aut Persarum idiomate apostoli loquerentur. [*alij uerò subsannantes dicebant, musto pleni sunt.*] ij uidentur quidem intellexisse rem uti erat, sed ob impudentiam aut odium ebrietati hoc ascribebant. quo enim pacto

Ps. 118. *Luc. 24.* *Deu. 4.* *Exod. 3.* *Act. 2.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *Act. 2.* *ibidem.*

poterat res tam admiranda ebrietatis nota inuri? quod si intelligebant, dicet aliquis, quo pacto subsannare ausi sunt? at ista exuperantis uitij natura est, ut omnia peruertat, quo uis modo excogitans. quo pacto rem præsentem exagitet. quemadmodum & cum Seruator Christus miracula faciebat, factum quidem non poterant in dubitationem uertere, quod oculis cernebant, sed

Luc. 11. insanè ipsi Beelzebub rem ascribebant, dicebantq; , [*in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.*] uerum ubique uitium uirtuti permistum est. nam pij admirabantur, at hi scelesti subsannabant, & dicebant, musto illos esse plenos. at in Pentecoste mustum haberi non poterat. accipitur ergo hic mustum pro dulci uino, quod maxime inducit ebrietatem. dum uiscositas illa, quæ in dulcedine est, densiores uapores ad concaua cerebri immittit. Hoc exemplum horum subsannantium apostolos & calumniantium, quòd musto pleni essent, eos admonere deberet, qui tam proni sunt, ad omnia passim uitiosè, atque in malam partem interpretanda. nam qui hoc morbo laborant, nunquam tam omnibus numeris hominem absolutum inuenient, cui maculam reprehensionis allinere non audeant. quo quid fœdius, aut magis detestandum accidere homini possit, ac tam ab humana natura alienum? Verum, ut ab hoc, & aliis uitijs omnibus liberemur, ac spiritualibus donis repleamur, quibus in uirtutes & rectè facta maiores semper progressus facere liceat, spiritum hunc sanctum intimis affectibus dari nobis postulemus. ad hunc. n. scripturæ sanctæ gratiarum munera accepta referunt, ita ut nemo (quemadmodum Paulus ait) possit [*dicere*

1. Cor. 12. *Dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum,*] de quo & subdit. [*di-*

ibidem. *uisiones uerò donorum sunt, sed idem spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus, & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus. unicuique uerò datur manifestatio spiritus ad utilitatem. nam. huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uero sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij uero fides per eundem spiritum, alij dona sanationum per eundem spiritum, alij efficaciæ potentiarum, alij prophetia, alij discretiones spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum. sed hæc omnia efficit unus ille, & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuique sicut uult.*] Cernis quantæ sint huius spiritus diuitiæ,

&

& quàm se gerat liberaliter erga nostrum genus? siquis ergo donis eget spiritualibus, spiritum hunc sanctum adeat, [*qui diues* Rom.10.
est in omnes, qui inuocant illum.] siquis etiam in afflictione positus indiget consolatione, ad eundem accedat, qui ob hanc causam paracletus, hoc est, consolator appellatur. is etiam sitim animæ sedat, & arentia irrigat corda. [*siquis sitit* (ait Dominus) *ueniat* Ioa. 8.
ad me & bibat. qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius exibunt aquæ uiuæ. boc autem dicebat (ait Euangelista) *de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*] hic est, qui charitatem donat, [*quod est uinculum perfectionis,*] & quo tota Chri- Col.3.
stiana philosophia constat. [*charitas Dei* (ait Paulus) *effusa est* Rom.5.
in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.] hic est, quem postulare à cœlesti patre in primis iubemur. sic enim dixit Dominus. [*si uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs* Mat.7.
uestris, quantò magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus se?] adolescentes, qui literarum studiis operam dant, & docti euadere quærunt, huic corda sua preparent, & exiguo tempore, quæ cupiunt, assequentur. nam caprarios & ouium pastores, & piscatores imperitissimos homines, repente prophetas, & apostolos, & orbis terræ magistros efficit. & sanè si parentes, qui filios suos honestissimos habere cupiunt, donum Dei agnoscerent, summo studio in hoc incumberent, ut liberos in uia Dei educarent, atque integerrimis ac sanctissimis moribus imbuerent. nam ij soli egregios in optima quæque studia facere progressus solent, dum purgatas mentes percipiendis optimis disciplinis adhibent. impuro enim purum tangere nefas est. nunc Esa. 52.
uero contra fit. nam parentes, qui plerunque & ipsi ab omni probitate sunt alieni, nihil curant hanc uitæ integritatem & Christianos mores in filiis. quo fit, ut quicquid discunt, illud in suam & proximi cuiusque perniciem conuertant, ut nunquam uerè dici possint euasisse sapientes. & ob hanc causam scriptum est. [*in maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in cor* Sap.1.
pore subdito peccatis.] Nos ergo curemus tam salutiferum habitatorem in cordis nostri domicilium introducere. quod quo pacto assequi liceat, docet nos Deus ipse per prophetam, cum ait. [*ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum, & contritu spirito, & tre-* Esa.66.
mentem sermones meos?] componendus est interior homo, & incum-

cumbendum quotidianis precationibus, sanctisque meditationibus, quod fecisse leguntur apostoli, cum illapsus est in eos

Act.1. spiritus sanctus. sic enim scriptum est [*hi omnes erant perseuerantes unanimiter in oratione & obsecratione.*] quod si & nos fecerimus, quæcunque uolumus, assequemur. iuuante. Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre et spiritu sancto est honor et imperium sempiternum Amen.

ORATIO XLVII.

Habita in festo sanctissimæ trinitatis.

PERACTA solenni illorum dierum celebratione qui ad incarnati uerbi consummationem mysteriorum pertinent, uidelicet Dominicè resurrectionis, & eius in cœlum ascensionis, & missi in die sancto pentecostes in corda fidelium spiritus sancti, quemsadmodum Seruator ipse Christus pollicitueis fuerat. hodie sancta Christi ecclesia ad plenè instruendos fideles Christianorom dogmatum ueritatem, sanctissime atque indiuiduæ trinitatis festum diem iubet celebrari. quamuis enim in superioribus illis solennibus diebus, quorum priores duo ad filium, posterior ad spiritum sanctum propriè pertinere uisi sunt, etiam patris maiestas agnosci possit, qui & filium suscitauerit, & spiritum sanctum in filij sui discipulos miserit, quam ob causam non fuit necesse ullum diem seorsum celebrandæ paternæ maiestati assignare. quamuis inquam hæc omnia non sine patre facta sint, ut tamen intelligatur trium personarum una conspiratio, quæ & hęc & omnia alia simul neq; diuisè operetur, sapientissimè hic dies toti simul trinitati sanctissimæ est dicatus, ut pleniorem Christianæ ueritatis agnitionem haberemus. Verum, quando ij, quibus uerba facio, non omnes,

ęquè nostrorum dogmatum capaces sunt, & ego [*sapientibus* (ut Paulus ait) *& insipientibus, hoc est, eruditioribus & minus eruditis debitor sum,*] & fortasse his posterioribus multò magis, quo maiore, uelut imbecilliores, indigent cura. fieri potest, ut bona uestri pars admiretur, cur passim apud Christianos tantus hic dies, qui profectò summus esse omnium debet, cum sanctißima trinitate nihil cogitari maius poßit, minus tamen celebris sit, quàm ij, quos dudum commemorauimus. resurrectionis uidelicet Dominicæ, ascensionis, & pentecostes, & plerique alij. Sciendum itaque est, ecclesiam Christi, cum ex hominibus constet, & eorum mores norit, eorundem hominum moribus sese accommodare consueuisse, quod tamen & ipsum ab ipso summo atque optimo deo edocta fuit, qui ut à nodis intelligi aliquo pacto poßit, humanos affectus induere, dum per prophetas loquitur, minimè dedignatur. alioqui expertes omnes illius intelligentiæ prorsus essent. cupiens ergo ecclesia ad Dei amorem allici homines, sciensque unam hanc aut præcipuam certè uiam esse ad eum amandum, & gratias ei aßiduè agendas, beneficiorum scilicet illius erga nos commemorationem, qui tamen non ob beneficia, quod mercenariorum est proprium, esset amandus, sed quia maximè omnium dignus est, qui ametur, beneficia illa præcipuè celebriora esse uoluit, in quibus magis, & diuina erga nos benignitas elucet, & generis nostri salus constat. quare diem illum celeberrimum facit, quo natus nobis Seruator de uirgine est, quo declaratus gentibus, cum Magi primitię gentium illum adorauerunt, cum resurgens ex mortuis primitiæ factus est dormientium, & certißimam nobis eiusdem resurrectionis spem attulit. cum ascendens super omnes cœlos, naturam hanc nostram ad Dei patris dexteram collocauit. cum per sancti spiritus aduentum corda fidelium in nouam translata sunt creaturam. his contenta ecclesia est, si per ea fideles ad tantum benefactorem amandum inflammentur. sanctißime uerò trinitatis pleniorem celebritatem ad ea tempora reseruat (si tamen tempus illud est appellandum) quibus [*uidebimus, non* uti nunc, *per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem.*] satis esse interim arbitrata, si admoneamur hoc die, Deum quem colimus, unum esse in trium personarum proprietatibus adorandum. Qua in re cogitandum

Rom. 1.

Mat. 2.

1.Co. 15

Eph. 4.

1.Co. 13

tandum nobis est, quantum deo debeamus, qui se ita demiserit ad infirmum, & ingratissimum præterea ac rebelle genus nostrum, ut tantam rerum maiestatem aperire nobis sit dignatus, quod multò est admirabilius, quàm siquis omnium hominum sapientissimus formicam aut pulicem docere, ac se illi declarare conaretur. aliam etiam ob causam nobis gratię deo agendæ sunt maximæ, qui eo tempore nasci nos uoluerit, quo ea mysteria simul declarata nobis sunt, quæ superioribus olim seculis per longa temporum interualla homines acceperunt. nam primum ad duo millia annorum ab orbe condito in maximis, præter ad modum paucos, errorum & ignorantiæ tenebris uersati sunt. & cum electum etiam Abrahę genus, Isreëlitæ uidelicet, iam inclinaret, data fuit lex, quæ patris quidem Diuinitatem apertissimè declarauit, filium uerò subobscurè, & tanquam per figuras & ænigmata, atq; in hac obscuritate ad duo rursus annorum millia perseueratum est. in Euangelij autem promulgatione, filij Diuinitas fuit manifestata, illa uerò spiritus sancti non subitò, ut humanæ imbecillitati consuleretur, quæ res maximas non ita facile uno tempore capere idonea est. non multò uerò post & ipse agnitus est Deus, & interea explosæ hæreses, quæ & filij & spiritus sancti Diuinitati derogare fuerant ausæ. atque ita fugatis turbulentis nubibus serena nobis tempora illuxerunt, ut nobis dici il-

Ioa. 4. lud posit, quod apostolis fuit dictum, [*alij laborauerunt, & nos in labores eorum introistis*.] reliquum est, ut tantis oblatis bonis frui nouerimus. quod tum fiet, si purgatis per uirtutes & recte facta animis, contemplandis cœlestibus hisce mysterijs toti occupabimur. data in primis opera, ut temerariam curiositatem fugiamus, quæ homines olim in pestilentissimas hæreses induxit, dum peruestigare curiosius uolebant, quo pacto pater genuerit filium, perinde quasi nihil esse posset, nisi quod ipsi intelligerent. qui si cogitassent, se ne suam quidem generationem, & admiranda in officina naturę opera non posse idoneis rationibus explicare, desiuissent inaccessam illam filij Dei generationem impiè exagitare. satis abunde esse debet, nobis à Deo reuelatum fuisse, quòd Deus pater Deum filium genuerit, quo uerò id pacto, ne angelis quidem ac diuinis illis mentibus peruium est. nec

Iob. 4. dum pulueri ac cineri, & ijs, qui lutosas inhabitant domos. Si

Abraham,

Abraham, cum non de Deo, sed ad Deum loqui oportuit, quod & ratione carentibus animantibus suo quodam modo licet, iccir co enim dictum est, [*qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis cor norum inuocantibus eum*, tamen deiecit sese, & dixit, [*loquar ad Do minum meum, cum sim puluis & cinis*,] quid faciendum nobis est, cum de ipso Deo uel cogitare, uel multo magis loqui est animus? nam cum percipere Deum intelligentia & cogitatione impossibile sit, multò minus possibile est illum eloqui, si etiam aliquid plus cæteris contingat quempiam diuino munere fuisse assecutum. atque iccirco uidetur Paulus dixisse, se audiuisse [*arcana uerba, quæ non licet homini loqui.*] & merito sane. si enim [*cunctæ res difficiles* (ut ille omnium sapientissimus Salomon dixit) *nec potest eas homo explicare sermone, nec satiatur oculus uisu, nec auris auditu*,] hoc est, ea, quę per hos sensus percipimus, plena ratione non assequimur. & rursus idem Salomon ait. [*intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub cœlo*,] quæ nimirum sensibus subiecta sunt, ne quis eum suspicetur de ijs loqui, quę abscondita sunt ab oculis nostris. si res inquam ita se habet, ut, quemadmodum alibi admonemur, difficile æstimemus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inueniamus cum labore, quis inuestigabit, non dico, quæ in cœlo sunt, sed eum, qui & cœli & omnium est auctor? multo enim stolidius ac monstrosius est, persuadere sibi hominem, posse se de illa incomprehensa maiestate dignum aliquid pertractare, quàm si cerneremus pulicem uelle de hominis natura disputare. Quocirca cum cerno illam huius ætatis temerariam loquacitatem, & eos, qui uno die se theologos profitentur, quibus sufficit tantum uoluisse, ut sapientes euadant, tam absurdum, ne dicam impium morem ferre non possum. cernas enim tam impudenter quosdam de Deo digladiari, ut maiestatem illam pugno conclusisse uideantur. neque intelligunt, quàm paucorum accessus in illa adyta esse debeat, quod olim in Mose fuit demonstratum. legimus enim, cum Deus illi loqui uoluit, plures quidem in montem accersitos fuisse, quorum unus erat Aaron cum duobus filijs eius sacerdotibus, sed reliqui omnes procul adorare iussi sunt, solus uerò Moses propius accedere, ut cum Deo loqueretur. Ob hanc causam

Ps. 146.
Gen. 18.
2. Co. 12
Eccl. 1.
Eccle. 8
Exo. 19.

cum sciam non licere intra nubem penetrare, & cum Deo uersa-
Rom. 12 ri, nisi qui seipsum exhibuerit hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, aut potius factus sit uiuum Dei uiuentis templum, & oportere purgatum eum esse, cui cum purissimis rebus uersandum sit. cumque non minus audituri res diuinas præparati esse debeant, quemadmodum Israëlitis præceptum fuit, ut in tertium diem se præpararent, ut loquentis Dei uocem sine mortis periculo audirent, cernamque maximam uestri partem non illud studium adhibere, afferendis huc purgatis animis, recuso quantum fieri potest, arcana hæc in medium proferre, & mihi & uobis parcens. Verum, quando uobis episcopus datus sum, & episcopi munus est, sanam dogmatum & fidei doctrinam docere populum, qui docendus est seruare illum morem, quem Israëlitis mandauit Deus, cum traiecturi Iordanem erant. prohibebat enim, ut non nimium uel accederent ad arcam, uel recederent ab ea, sicut & ad montem Sinai non permittebantur accedere, nec longius recedere. ut ubique scilicet debitum Deo exhiberent honorem, & nihilò minus ab illo se pendere scirent. iccirco uolo hodie quàm potero breuissimè uobis ostendere, quid in hisce rebus unicuique uestrum faciendum sit, & quousque in sermone de Deo, deque hac sanctissima trinitate sit progrediendum. quam meam orationem attentis animis, quemadmodum facitis, & cum ea reuerentia, quam tantarum rerum maiestas postulat, audire studete tote. Satis esse potest Christiano homini, non solum imperitioribus, & qui è multitudine sint, uerum etiam doctissimo cuique, credere sine ulla alia disquisitione, Deum esse unum, qui tamen in tribus personis, patre & filio & spiritu sancto agnoscatur, ut proprietates quidem separentur, sed diuinitas uniatur, & neque in unum tria permisceamus, ne Sabellij morbo laboremus, neque tria diuidamus, tanquam quæ aliena sint inter se, ac natura differant, ne in Arij insaniam incidamus. cur uerò etiam doctos hoc contentos esse posse dicam, illud in causa est, quòd ista Diuinis auctoritatibus, & doctissimorum pariter ac sanctissimorum uirorum sententijs confirmata sunt, cui utrique rei omnes fidere & possunt & debent. quod non accidit in ijs, quæ ab externis philosophis sunt excogitata, quorum sententiæ cum humanis opinionibus & ratiocinationibus nitantur, nihil mirum

est, si

est, si inueniantur alij, qui ea destruant, quę alij construxerunt. at in nostris non ita, cum nostrorum dogmatum fundamenta à Deo posita sint, super quæ homines item Diuini & à Deo docti ędificauerunt. quæ cum ita sint, quia tamen in hac peregrinatione cupimus aliqua ex parte frui diuinis hisce rebus, & in eis quantum licet uersari, & fit pręterea sæpe, ut uel nostræ cogitationes, uel tentatoris insidiæ, uel externi interdum, & qui nondum fidei nostræ adhæserunt, subijciant quædam, quę dubitationem animis afferant, age, confirmandi uestri causa, aliqua dicamus, quæ plerunque inquiri consueuerunt. Dubitant nonnulli, cum dicimus, Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum, quo pacto tres Dij non sint, manente tamen eadem natura. ut, cum dicimus Petrum hominem, Ioannem hominem, Andream hominem, asserimus quidem unam in tribus esse humanam naturam, sed tamen tres homines esse dicimus, non unum hominem. Sciendum itaque est, quòd cur pater & filius & spiritus sanctus unus Deus sit, non tres Dij, huius coniunctionis ratio est indifferentia. eos enim differentia comitatur, qui uel augent, uel minuunt, ut Ariani, qui gradibus meritorum trinitatem uariantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt. principium enim pluralitatis alteritas est. pręter alteritatem enim, nec pluralitas quid sit, intelligi potest. in tribus nanque rebus, aut genere, aut specie, aut numero diuersitas constat, sed differentiam numero (quoniam nunc id unum propositum est) accidentium uarietas facit. nam tres homines, neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant. nam uel si animo cuncta ab ijs accidentia separemus, tamen locus diuersus est, quem unum fingere nullo modo possumus. duo enim corpora unum locum non obtinebunt, qui est accidens. atque ideo sunt numero plures, quoniam accidentibus plures fiunt. Deus uerò à Deo, nullo differt, nec uel accidentibus, uel substantialibus differentijs in subiecto positis distat. ubi uerò nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas; quare nec numerus. igitur unitas tantum. nam cum tertio repetitur Deus, cum pater & filius & spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo, quod ipsę sunt, si aduertamus animum ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. in numero enim

ro enim quo numeramus, repetitio unitatum facit pluralitatem in rerum uerò numero non facit pluralitatem unitatum repetitio, uelut si de uno telo dicam, unus gladius, unus ensis, unus mucro, hæc unitatum repetio iteratio potius est, quàm numeratio. ueluti si ita dicamus, ensis, mucro, gladius, repetitio quędam est eiusdem, non numeratio diuersorum. ut si dicam, sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicauerim. non igitur, si de patre, & filio & spiritu sancto tertiò prædicatur Deus, iccirco trina numeratio numerum facit. hoc enim illis (ut dictum est) imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. catholicis uerò nihil in differentia constituentibus, repetitio rectius de eodem, quàm enumeratio diuersa uidetur, cum dicitur, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, atque hæc trinitas est unus Deus, uelut ensis, mucro, gladius, unum telum. Non tamen ita dicitur pater & filius & spiritus sanctus, quasi multiuocum quiddam, nam mucro, & ensis, & gladius, & ipse est & idem, pater uerò & filius & spiritus sanctus idem quidem est, non autem ipse. nam si interrogeris, num ipse sit filius, qui pater, id negabis, sed dices tamen, idem esse cum patre. Ex hac re nascitur alia difficultas, nam uidetur, si ita est, non omnino inter eos esse indifferentia, sed hæc quę uidetur differentia, nihil Deo uel addit, uel minuit, uel mutat. hæc enim est sola relatio, quę extrinsecum quendam accessum facit, neque dici potest per prędicationem relatiuum, quicquam rei, de qua dicitur, secundum se addi, uel minui, uel mutari, quę tota non in eo, quod est esse, consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere. quocirca si pater & filius ad aliquid dicuntur, relatio illa nihil eis, uel addit, uel minuit, uel mutat, sed personarum duntaxat distinctionem facit. non enim accessisse dici potest aliquid Deo, ut pater fieret, non enim cœpit esse unquam pater, eo quòd substantialis ei quidem est productio filij, relatiua uerò prędicatio patris. Cogitemus ergo dictum esse, filium quidem processisse ex Deo patre, & ex utrisque spiritum sanctum, & hos, quoniam incorporei sunt, minimè locis distare, quoniam uerò pater Deus, & filius Deus, & spiritus sanctus Deus, Deus uerò quoniam nullas habet differentias, quibus differat a Deo, à nullo

lo eorum differt. differentiæ uerò ubi absunt, abest pluralitas: ubi abest pluralitas, adest unitas. trium igitur idoneè constituta est unitas. sed quia nulla relatio ad seipsum referri potest, facta est quidem trinitatis numerositas in eo, quòd est prædicatio relationis, sed seruata est substantię unitas in eo, quòd est indifferentia uel substantiæ, uel operationis, uel omnino eius, quæ secundum se dicitur, prędicationis. ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem. Et hęc quidem satis sint, quod ad hoc pertinet, ut tutò credamus, Deum unum esse, quem adoramus, licet in tribus personarum proprietatibus eum explicemus, & dicamus, Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum. De filij uerò natiuitate ex patre, si qua similitudo assignari potest, ea mihi pulcherrima uidetur, quæ ex Ioannis Euangelistæ uerbis accipitur, ubi ait. *in principio erat* λόγος. nam Ioa. 1.
Gręca uox est magis grauida sensibus, quàm nostræ, siue uerbum, siue sermonem dicamus. nam λόγος, significat sermonem, rationem, & definitionem, quę omnia pulchrè in filium Dei conueniunt. Sermo. nam ut sermo interiorem animi conceptionem exprimit, sic filius patrem, & quemadmodum sermo, qui nunc à me profertur, est quidam partus eius, qui in animo est; & idem cum illo, sic filius à patre natus. Ratio. quia sic se habet ad patrem, ut ad mentem ratio, quę nihil est aliud, quàm mentis explicatio. definitio. [*qui enim nouit filium, nouit & patrem,*] Ioan. 14.
& qui intelligit animal rationale mortale, intelligit hominem: hęc est enim uerę finitionis natura. compendiosa autem ac facilis demonstratio naturæ patris est filius. De spiritus uerò sancti processione, & filij etiam generatione conati sunt uiri, & sanctitate & doctrina præstantes similitudine qua possunt, aliqnid ad fidelium ędificationem eloqui. & dicunt. [*cum quicquid in Deo est, substantia sit, nullumque de eius natura accidens dicatur, dum pater intelligit seipsum, atque ipsa intelligentia Deus est, hoc pacto generat filium, qui uera eius imago est, & idem cum patre. quia uerò idipsum quod intelligit, necessariò etiam amat, & amor ipse ex eo proficiscitur, quòd ipse se intelligit, & necesse est amorem etiam ipsum Diuinæ esse substantiæ, fit, ut spiritus sanctus, qui amor appellatur, à patre procedat et filio.*] Aliam quoque adhibent similitudinem, fontis scilicet, à quo duo riui proficiscantur, qui tamen

men unum cum fonte ſunt. ſic filium & ſpiritum ſanctum à patre ad nos demiſſos, tanquam geminos fonteis, qui terram noſtram irrigent, unum tamen eſſe cum patre. Sed longum eſt, neque admodum neceſſarium, ſimilitudines omnes, quæ à pijs uiris, ędificandæ eccleſiæ gratia ſunt excogitatę, nunc enumerare. tantum illud admonebo, non poſſe nos ne his quidem ſimilitu-
1. Ti. 6. dinibus aſſequi, quod quærimus. Deus enim eſt, quem audis lucem habitare inacceſſam. ſi enim de ſcientia Dei ait propheta,
Pſa. 138. [*mirabilis facta eſt ſcientia tua præ me*, hoc eſt ſuperans uires meas, *corrobata eſt, & non potero ad eam*,] quid de eius ſubſtantia ac natura eſt dicendum? contenti ſimus, ſiquid ex ſcripturis ſacris haurire licet, quo propius aliquantiſper ad eum aliquo pacto accedamus, ut quod dudum ex Euangeliſta Ioanne diximus, & il-
Pſal. 32. lud etiam regii prophetę, cum ait. [*uerbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum*.] audis hic Dominum, eius uerbum, & ſpiritum oris eius, quę tria, quamuis coniunctiſsima ſint, & ex ea coniunctione in aliquam ſanctiſsimæ huius trinitatis contemplationem deducamur, hæ tamen ſimilitudines tantam ſecum habent etiam disſimilitudinem, ut ue-
1. Co. 13. riſſimum ſemper ſit, quod ait Paulus, nos uidere nunc per ſpeculum in ęnigmate donec autem ueniat, cum uideamus facie ad faciem, & ueniat quod perfectum eſt, atque aboleatur quod eſt ex parte, interea fugiamus curioſitatem. contentus ſum didiciſſe, quòd filius à patre ſit genitus, quodque ſpiritus ſanctus à patre filioque proceſſerit, & præter hoc nihil curioſius peruestigo, ne illud mihi accidat, quod in uocibus uſu uenit, quę cum uehementiores ſunt, ſenſum audiendi auferunt, aut cum aſpectus in ſolis radios intenditur, quos quanto quis intueri accuratius nititur, tantò magis ſenſus lęditur atque hebetatur, & ui cernendi priuatur, dum ultra quàm par eſt, cernere contendit. Audis filii generationem, ne curioſius inquiras, quo pacto ea fiat. audis ſpiritus ſancti proceſsionem, ne ſcruteris quo pacto. non enim inuenies. quod ſi facere uis, & ego à te petam mixturam animę cum corpore, quo pacto res incorporea à corpore detineatur, & puluis cum Dei imagine permixtus ſit. quid ſit, quod te moueat, & quod moueatur. quomodo eadem res & moueat & moueatur. quomodo ſenſus in eodem loco maneat,

neat, & externum sensile ad se trahat. quomodo mens in te maneat, & in alia mente generet rationem. quomodo rationi intellectus se impertiatur. pretermitto quæ sit illa cœli in circuitum delatio, qui stellarum motus, ordo, mensura, congressus, digressio. qui termini maris, unde uentorum flatus, aut temporum uicissitudines, aut imbrium effusiones. si horum nihil ò homo intelligis, nisi mendacem esse Salomonem uis, intelliges fortasse aliquando, quando id, quod perfectum est, fueris assequutus. [*uidebo enim* (inquit) *cælos tuos opera digitorum tuorum*.] qua si suspicetur, ea, quæ nunc cernuntur, non esse ueritatem, sed ueritatis simulachra. si teipsum non intelligis, qui sis, qui de his disputas, si ea non es assecutus, quorum etiam sensus testis est, quo pacto intelligere te Deum posse arbitraberis? hoc profectò supreme est stultitie. age itaque, ex eo, quod iam assecutus es, gratias age, quod uerò adhuc deest, precare ut assequaris. per optimam uite consuetudinem ascende, per puritatem adipiscere quod purum est. uis aliquando theologus euadere, et diuinitate dignus? [*serua mandata*.] actio enim ad speculationem ascensus est. quis hominum est, qui tantum attolli possit, ut Paulum equet, et is tamen fatetur, se per speculum uidere et in enigmate, et futurum tempus, cum uideat facie ad faciem. Interea excellentiorem uobis uiam ostendo. amare studeamus potius, quàm intelligere. nam per amorem ad intelligentiam peruenitur. id enim hic accidit, quod in rerum natura cernitur. cum enim caligo terras occupat, sol radios in terram mittit, quorum calor caliginem fugat, et lux confestim introducitur. sic amor uim caloris habet, qui erroris & ignorantie tenebras fugare idoneus est, & lucem ueritatis introducere, quæ demum est uita æterna, quemadmodum dixit Dominus. [*hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, et quem misisti Iesum Christum*.] ad hanc per amorem peruenitur, quem interea exercere multò melius est, quàm intelligentiam. in hac enim uita humanus amor in Deum humanæ præstat agnitioni. nam Deum nemo uerè agnoscit, uerè autem amant illi Deum quoquo modo agnitum qui omnia propter ipsum contemnunt, & cum Paulo arbitrantur ut stercora. rursus sicut deterius est odisse Deum quàm ignorare, sic melius amare quàm nosse. adde quòd perscrutando Deum, longissimo tempore mi-

Eccl. 1.

Psal. 8.

Matt. 19

1. Co. 13

Ioan. 17.

Phil. 3.

nimum quid proficimus, amando breuissimo plurimum. ob id enim citius, propinquiusque, & firmius amor quàm cognitio mentem cum Diuinitate coniungit, quia uis cognitionis in discretione consistit magis, amoris autem magis in unione. quinetiam ipsi Deo gratius est amari quàm prospici. nihil enim Deo tribuimus intuendo, amando uerò tribuimus quicquid & sumus & possidemus. amantibus ergo Deus seipsum tribuit potius quàm scrutantibus. atqui periculosa interdum est perscrutatio. uide

Pro. 25. enim quid dicat Salomon, [*sicut qui multum mel comedit, non est ei bonum, sic scrutator maiestatis opprimetur à gloria.*] deinde cognitione Dei malè possumus uti, non amore Dei. & amando Deum longè maiorem quàm perscrutando percipimus uoluptatem. & meliores amando efficimur, quàm inquirendo. non enim ex eo quòd agnoscit, sed ex eo, quòd amat, diuinus fit homo. sicut non qui uidet bonum, sed qui uult, fit bonus. & materia non quia lucem ab igne capiat, sed quia calorem, ignis euadit. sic animus non ob lucem intelligentiæ, sed ob calorem amoris diuinus fit. hinc externi quidam dixerunt, animum, Deum inquirendo, purum effici, Deum imitando fieri Deum. & diuinum lumen, non inquisitione paulatim à nobis acquiri, sed perfecta uitæ coniunctione subitò tandem Diuinitus in nobis accendi. præterea cognoscendo Deum, eius amplitudinem contrahimus ad mentis nostræ conceptum, amando uerò mentem amplificamus ad latitudinem Diuinæ bonitatis immensam. illic in nos Deum deijcimus, hic attollimus nos in Deum. noscimus enim quantum ipsi capimus, amamus autem & quantum intuemur, & quantum ultra nostrum intuitum uaticinamur bonitatis diuinæ reliquum superesse. adde postremò, quòd in hac uita amando progredi semper licet, non autem perscrutando, quod in eo signatum mi-

Ioan. 6. hi uidetur, quòd cum ex quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum Dominus saturasset, fragmenta panum non piscium reliquiæ superfuerunt. per panes enim intelliguntur dogmata & mysteria fidei, solidus uidelicet cibus. per pisces uerò, qui quasi condimenta sunt panis, præcepta charitatis. dogmatibus ergo saturamur quidem, sed supersunt adhuc, quæ hic plenè percipere nequimus. at ijs, quę de charitate præcipiuntur, nunquam saturari possumus, nedum ut queant superesse.

nunquam

nunquam enim tantum quis amat, quantum illi est amandum. non decuit ergo ut pisces superessent, quos omnes comedere iubemur, cum præcipitur, ut ex toto corde, tota anima, tota mente, *Deu. 6.* omnibus uiribus diligamus Deum, & proximum nostrum tan- *Matt. 22* quam nosmet ipsos, quod etsi non pręstamus, id tamen ut pręstemus, imperatur. at panum eius integer, hoc est dogmatum curiosior peruestigatio etiam prohibetur. nam [altiora te (inquit) *Eccl. 3.* *ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus, ea cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, uidere oculis tuis.*] Cum ergo amare Deum & ipsi Deo gratius & nobis utilius sit, quàm peruestigare, toti in hoc incumbamus, ut cum toto corde, tota anima, tota mente, omnibus uiribus amemus, eius erga nos bonitatem cogitatione, uerbis, factis celebremus, dicamusque identidem cum propheta. [*benedic anima mea* *Ps. 102.* *Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*] cui in trinitate perfecta est honor & imperium & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

ORATIO XLVIII.

De ueritate & nonnullis filii Dei appellationibus. Tota ferè ex Gregorii Nazianzeni oratione secunda de filio.

NON difficile mihi est, ex hac conuentus uestri celebritate intelligere, quid hodie à nobis expectetis, ut ea scilicet, quę superiori lectione, angustis temporis spatijs circunscripti, persequi non potuimus, ipsa nunc, ut eramus polliciti, in maiore ocio expediamus. etenim, cum ad eum Diuini Pauli locum deinceps interpretandum peruenissemus, ubi ait. [*si ueritas Dei in meo mendacio excelluit in gloriam*
Rom. 3. *ipsius,*] & nonnulla de mendacio, & quid eo loco uellet, dixissemus, relinquebatur (quoniam contrariorum eandem rationem esse uolunt, & alterum alterius collatione lucem accipere, quę res una coniunctionem quandam quamuis contrarijs afferre uidetur) aliquid etiam de ueritate disserrere, si quas forte ex hac peruestigatione rationes inueniremus, quibus etiam intelligi posset, cur
Ioan. 14. Seruator noster Dei filius ueritas appelletur. Sed ante quàm hoc dico, quia nunc primum in hac huius epistolæ interpretatione occasionem nacti sumus, de hisce Diuinis arcanis instruendæ orationis, admonendi sunt hæ nouæ plantationes Academici nostri, quibus rationibus, cum de huiuscemodi rebus tractare uoluerint, uitia, in quæ plerique incidunt, arrogantiæ præsertim & temeritatis euitare possint. Videas enim plurimos, diuersum, atque adeo inter se contrarium iter ingressos, errare tamen, atque id propterea illis usu uenire, quia arte careant, quæ ubi defuerit, illud poëtæ necesse est consequatur, ut *in uitium ducat culpæ fuga.* alius enim, quia Diuina longè humanis cogitationibus
Psal. 17. antecellunt, *posuit,* inquit, *tenebras latibulum suum, & lucem habi-*
1.Tim. 6 *tat in-*

tat inaccessam,] iccirco loqui penitus quicquam de Deo, aut inuestigare formidat. at quomodo paratus hic erit rationem reddere cuiuis poscenti de ea, quę in eo est, fide? nam quod ait Plato, pręcipuum rectitudinis modum se arbitrari, si fateamur, nihil nos de Deo cognoscere, ne de ipsis quidem eius nominibus, quibus ipse se uocat, hoc ad arrogantiam hominum minuendam dixit, non ut eos ab inquisitione deterreat. rursus diuersum huic uitio est uitium longè maius, impudentia quædam hominum, qui nulla habita ratione dignitatis Diuinæ, scire se omnia profitentur, quasi nuper è cœlo uenerint, & per omnes incomprehensę sapientiæ thesauros fuerint peruagati. isti eas de Deo quęstiones commouere non uerentur, quæ si eadem de humanis rebus proponerentur, uix dissolui possent. num pater materia filii sit. num plures potuerit filios generare. uolensne pater filium, an nolens generauerit. an tum genuerit pater filium, cum iam esset, aut cum nondum extitisset. postremo quo pacto generauerit. perinde quasi aut necesse sit, eos omnia scire, aut credituri nihil sint, nisi quatenus illud posit ab eis humana ratiocinatione concludi. Media igitur ingrediendum est uia, ut neque ita abhorreamus à diuinarum rerum inquisitione, ut in turpem imperitiam, & damnosam orationem incidamus, & tamen perniciosam temeritatem, dum maiestatem reuerebimur, declinemus. id uerò assequemur, si Diuini uiri Dionysii Areopagitæ sententiam recordemur, qua admonet, nulla ratione audendum esse quicquam de occulta Deitate loqui, sed ne cogitare quidem, nisi ea, quæ sacræ literæ nobis Diuinitus aperuerunt. nam, & si humanæ nullę uoces, at uerò ne angelorum quidem, quæcunque eę sint, immensam Dei amplitudinem exprimere idoneæ sunt, uoluit tamen ipse Deus, qua est benignitate in nostrum genus, per nota nobis uocabula appellari, seseque ad consuetudinem nostram demittere, ut qualicet, nos ad eum agnoscendum attolleremur, blandas nutrices imitatus, quæ infantem iam ingredi incipientem, dum sustinere aut excipere uolunt, se ipsas demittant necesse est. Quoties igitur in Diuinis libris appellationes aliquas Dei, uel totius simul incomprehensę trinitatis, uel alicuius singillatim personarum reperimus, uis illa appellationum uerborumque disquirenda, & quid in se habeant sententiæ, definiendum est, qui

bus

bus intellectis, quasi gradibus quibusdam ascensus ad altiora
Ioan. 1. præparetur. quem enim non excitet ad quærendum, cur λόγος, ab Ioanne Euangelista appellatus sit filius Dei, quod Platonico etiam
Ioan. 14. Aurelio admirandum uisum est. cur ipse se filius ueritatem, cur
Heb. 1. Paulus eum imaginem & characterem uocet? Age itaq;, ut eò reuertamur, unde digressi sumus, de ueritate uideamus, quam Democritus arbitrabatur in profundo tanquam in puteo abstrusam esse. sed hanc nobis ueritas Christus in lucem protulit, ut apertius aliquid de ea, magisque certum intellige-
Ioan. 18. re homines possint. quam quidem si ipse Dominus à Pilato rogatus, quid esset ueritas, definiuisset, nihil esset nobis modo laborandum. sed uoluit, opinor, sui studiosis materiam,
Gene. 3. exercitationis non deesse, ut in sudore uultus nostri uesceremur pane. Quid est igitur ueritas? si eius definitionem à Peripateticis initijs trahere uoluerimus, nihil præclari aut magni opinor inueniemus, quod huic rei, quam quęrimus, opem ferat. nam cum ipsum uerum idem cum ente esse contendant, non uideo, quid inde commodi accepturi simus. quare alio itinere nobis ingrediendum est. qui siquibus fortasse nouum aliquid dixisse uidebimur, ne, quæso, hoc temeritati ascribant, sed necessitati, atque illud potius meminerint, ea ipsa, quæ nunc uetustissima sunt, noua tum fuisse, cum primum dicerentur. Ego quidem, cum illud cogito, quo pacto ueritatis nomine in sermonis consuetudine uti soleamus, nihil intelligo aliud, quàm idem de eodem significari, ut dici possit, ueritatem esse expressionem eiusdem rei per eandem rem, quod apertius fiet exemplo. Cum mittitur apud Homerum Vlysses cum Phœnice & Aiace Telamonio ab Agamemnone ad Achillem, eiq; ijsdem uersibus ijsdemq; uerbis repetit Agamemnonis tanta tamq; multa promissa & munera, si posita ira in prælium prodire non recusauerit, quid illam eiusdem rei repetitionem aliud dicemus esse, quàm uerborum Agamemnonis ueritatem? simillimè cum duo signa aut tabulæ ita inter se pares sunt, lineamentis, figura, coloribus, cæterisque partibus omnibus, ut discernere ea etiam peritissimi, aut uix, aut nullo modo possint, affirmabimus, alterum esse alterius ueritatem, hoc est, alterum alteri idem esse. Quanquam, si uerum facere iudicium uolumus,

mus, in ijs, quæ condita & creata sunt, minus propriè ueritas, sed similitudo potius appellari debet, ut magis ueritatem similitudinis in utrisque inter se paribus inesse, quàm alterius ueritatem alterum esse affirmemus. sic in illa Vlyssis repetitione uerborum, ueritatem sensuum Agamemnonis rectius dicetur, quàm eadem uerba fuisse, quando non eadem aëris eiusdem percussio, non ijsdem instrumentis effecta est. talis quoque duorum signorum ac tabularum ratio est, ut eiusdem artis ueritas in ambobus, non alterum idem esse alteri existimetur. ut interim prætermittamus, ne exactam quidem similitudinem unquam in quauis creatura, & præsertim in hac corporearum rerum materia inueniri posse, donec ad simplicissimam Diuinæ naturę contemplationem perueniamus. quo cum ascenderimus, tum demum, aut potius tunc solum, quam quærimus ueritatem inueniemus, Christum uidelicet ueritatem esse patris, hoc est idem cum patre. & quod in superioribus exemplis similitudo appellabatur, hic non iam similitudo, sed (ut sic dicam) identitas appellabitur, & expressio paternæ naturæ per filium, qui eidem patri idem est, hoc est, non similem, sed eandem, quæ patris est, naturam habet. Et hanc quidem meam de ueritate sententiam, & si satis confidebam, à ueritate non discrepare, confirmatus tamen sum magis theologi Nazianzeni auctoritate, qui in secunda oratione de filio sic ait. [*ueritas filius appellatur, tanquam unum natura non multa. quod enim uerum est, unum est, mendacium uero in multas disiectum est parteis. præterea ut patris pura quasi sigilli cuiusdam impressio, & character minimè mendax.*] Quod enim dicit *unum natura non multa*, quo alio accipiemus modo, nisi sic filium unum esse cum patre, ut eius adiectio nihil in Diuinitatis natura multiplicet? quę sententia pulchrè cum definitione nostra facit. [*quod uerum est*, ait, *unum est*,] uel quia circa idem duntaxat una est uera sententia, esse uerò falsæ plures possunt. nam si quis interrogetur, bis duo quid faciant, uno tantum modo uerè respondebitur quatuor, cætera uerò, quòd tria, quòd quinque, quòd septem, si etiam in infinitum progrediare, falsa erunt. sic una tantum paternæ expressionis est ratio, filius. aut certè, quia illud eò uerius est, quo simplicius fuerit, ac magis unum, ut tunc uerum aurum dici possit, cum unum sit, hoc est cum purum ac simplex,

simplex, & ab omni terrena alteriusque materiæ concretione purgatum. quod idem filii naturæ est maximè consentaneum. at uerò hæc contemplatio ad illud etiam intelligendum multum lucis affert, quod dicitur, unitatem, & bonitatem unum esse quodque primum patri, alterum filio, tertium spiritui sancto accommodetur. cum enim simplicitas (ut iam dictum est) id efficiat, ut quælibet res magis una sit, sequitur, ut summa unitas nihil sit aliud, quàm summa simplicitas. quò uerò simplicior res est, atque magis una, eo etiam uerior inuenitur, ob eius naturæ simplicitatem, ut non tam dicatur unitas ac ueritas, quàm uera unitas. sed quod uerè unum ac simplex & purum, id maximè bonum, ut de auro dicebamus. relinquitur ergo, id propterea bonum esse, quod uerè unum sit, & quod dicebatur, unitas, ueritas, bonitas, posset unum uerè bonum appellari. Quia uerò personarum distinctio est, unitas patri ascribetur, quippe qui principium sit in trinitate, ueritas filio, ut qui principij ratio uideatur, at spiritui sancto bonitas, quasi qui principij rationalis amor sit, & tamen ob substantiæ naturęque eiusdem coniunctionem, etiam spiritus sanctus ueritas appellatur, sicut scri-
1. Ioa. 5. ptum est. & *spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est ueritas.* Sed fortasse expectatis, dum aliqua etiam in medium proferamus, cur λόγος, dicatur, quando de eo superius fecimus mentionem. ego uerò, ut munificentius, quæ pollicitus sum, præstem, aliquot etiam alias eiusdem filij appellationes connumerabo, deque earum significatione non meam, sed, quò melius satis uestro desiderio fiat, eiusdem Nazianzeni sententiam, ut potero, Latinam faciam. *Videtur mihi* (inquit) *dici filius quidem, quia idem est cum patre secundum substantiam. neque illud solum, sed quod & ex eo sit. at unigenitus, non tantum quia unus ex uno, sed quia etiam uno tantum & singulari modo, non quemadmodum corpora. λόγος, uerò, hoc est, sermo uel ratio, quia sic se habet ad patrem, ut ad mentem ratio. non tantum ob impossibilitatem generationis, sed ob contactum, & uim enunciatiuam. fortasse & aliquis dixerit, quòd sit tanquam definitio ad definitum, quando etiam definitionem λόγος, signi-*
Ioa. 14. *ficat. qui enim nouit (inquit) filium (idem enim est qui uidit) nouit & patrem. & compendiosa ac facilis demonstratio naturæ patris est filius, quæuis enim genitura est eius, qui genuit. sermo tacens. si cui uerò etiam*

etiam dici uideatur λόγος, *hoc est, ratio, quia insit in omnibus, quæ* "
sunt, is non aberrauerit à ratione. quid enim est omnium, quod non "
ratione constet? Sapientia *uerò, tanquam scientia* Diuinarum *& hu* "
manarum rerum. qui enim fieri potest, ut is, qui fecit, rationem igno- "
rare posit eorum, quæ fecit? Potentia autem, tanquam qui seruet ea, "
quæ facta sunt, & præbeat uim, qua hæc ipsa in sua natura contineantur. Imago autem, tanquam eiusdem substantiæ, & quia hoc inde, non "
contra ex isto pater. nam hæc imaginis natura est, imitationem esse ar- "
chetypi, hoc est, exemplaris, & illius cuius esse dicitur, nisi quod hic "
plus est. nam illic quidem immota est imago rei mobilis, hic uero ui "
uentis uiuens, & plus habens indifferentiæ, quàm ad Adam Seth, & "
ad quemuis genitorem id, quod generatur. etenim hæc est rerum sim- "
plicium natura, non hac quidem parte similem esse, hac uero dissimilem, "
sed totum totius imaginem esse, & idem potius, quàm adsimile. Lu- "
men uero, tanquam splendor animarum, quæ & ratione & uita pur- "
gantur. si enim tenebræ ignoratio & peccatum, lumen erit scientia, "
& Deo *addicta uita. Vita autem, quia lumen, & toti rationali naturæ* "
uim præbens, qua constet, atque subsistat. in ipso enim uiuimus, & "
mouemur, & sumus, secundum duplicem aspirationis potentiam, & "
afflatum, dum inde omnes afflamur, quicunque sancti spiritus capaces "
sumus, ac tantum, quatenus os mentis aperuerimus. at iustitia, quia "
distributor est pro dignitate, & diuidit iustè ijs, qui sub lege, & "
ijs, qui sub gratia. animæ quoque & corpori, ut illa impe- "
ret, hoc subijciatur, & melior imperium habeat in deteriorem, "
ne deterior contra meliorem insurgat. Sanctificatio, tanquam purifica- "
tio quædam, ut puritas purum aptius capiat. Redemptio, quia nos in "
libertatem uindicauit, qui à peccato detinebamur, & ipse se pretium "
pro nobis dedit, ut esset orbis omnium terrarum purificatio. Resurre- "
ctio, ut is, cuius munere excitemur, & reparemur ad uitam, qui ob "
peccatum morti fueramus obnoxij. Hæc itaque communia quidem sunt "
eius, qui supra nos, & qui propter nos. quæ uerò priuatim nostra, & "
susceptionis naturæ nostræ, hæc sunt. homo quidem, non ob id solum, ut "
per corpus à corporibus caperetur, alioqui quem capere non sit, pro- "
pter incomprehensam naturam. uerum ut etiam per seipsum sanctifica "
ret hominem, ut qui tanquam fermentum fuerit toti massæ, at- "
que ad se coniungens, & unum efficiens, quod fuerat condemnatum, "
à condemnatione absolueret. totum, quod nos eramus, pro nobis fa- "

LLL ctus

„ *ctus excepto peccato, corpus, anima, mens, per quæ omnia mors in-*
„ *gressa fuerat. Commune, quod ex his constat, est homo. Deus u-sibi-*
„ *lis, ob id quod latebat sola mente comprehensum. filius uerò hominis*
„ *propter Adam & uirginem ipsam, ex quibus factus est, ex eo quidem*
„ *ut progenitore, ex hac uero ut matre, lege, & non lege generationis.*
„ Christus *ratione Diuinitatis, unctio enim ipsa humanitatis est, non ef-*
„ *ficientia sanctificans, ut alios* Christos, *sed totius ungentis præsentia.*
„ *cuius unctionis opus & efficacia fuit, ut homo audiret ungentem, &*
„ *Deus fieret, qui ungeretur. Via, tanquam qui per seipsum nos ducat.*
„ *ianua, ut introductor. pastor, qui in loco pascuæ collocet, & ad aquam*
„ *requietis enutriat, atque inde præcedens & pugnans, propulset im-*
„ *petus bestiarum. qui etiam id, quod errauerat, reuocet, quod perdi-*
„ *tum fuerat, reducat, quod confractum erat, alliget, quod ualidum est,*
„ *seruet, & ad mandram congreget sermonibus scientiæ pastoralis. Ouis,*
„ *tanquam uictima. Agnus, ut integrum quid atque perfectum.* Pontifex,
„ *per quem in conspectum Domini deducamur. Melchisedech, quasi sine*
„ *matre, qua parte est supra nos, & sine patre, quod ad naturam perti-*
„ *net nostram, & tanquam sine genealogia, si superna prospicias. gene-*
„ *rationem enim eius quis enarrabit? & ut rex Salem.* Pax *uerò, hoc et*
„ *tanquam rex iustitiæ, tanquam qui decimauerit patriarchas, cum ma-*
„ *las iam potestates expugnauisset.* Hęc ille. nos uerò eandem uiam in
gressi, demus operam, ut eius sobrietatem & modestiam in tra-
ctandis Diuinis rebus imitemur, ut tantum inuestigemus, quate-
nus sacrorum librorum nobis radius sese obtulerit. à curiosis ue-
rò disceptationibus & nos abhorreamus, & eos, quos iis delecta
ri intellexerimus, deterreamus, id quod idem ipse theologus fa-
ciebat, qui, cum temerariam uideret hęreticorum loquacitatem,
quærentium quo pacto generatus sit filius, uidete, qua eos re-
„ presserit sapientia. *Quo pacto* (inquit) *generatus est filius? non esset*
„ *hæc magna generatio, si posset à te comprehendi, qui ne tuam quidem*
„ *nosti, aut exiguum aliquid ex ea es ingenio consecutus, & quantum e-*
„ *tiam turpe sit dicere. deinde de te omnia intelligere posse arbitraris.*
„ *multum sanè antea laboraueris, quàm inuenias rationes compactionis,*
„ *formationis, quomodo productus in lucem, animæ ad corpus uincu-*
„ *lum, mentis ad animam, rationis ad mentem, motum, incrementa, ci*
" *bi assimilationem, sensum, memoriam, reminiscentiam, cæteraque, qui*
„ *bus constas, et quæ sint utriusque quidem, hoc est, animæ corporisque*
communia,

communia. quæ uerò si iuncta, quæ alterum ab altero mutuetur. quarum nanque rerum perfectio posterior est, horum rationes cum generatione fiunt. dic ergo, quænam eæ sint, & ne tunc quidem audeat de Dei natiuitate philosophari. neque enim tutum est, quandoquidem, si tuam ipsius etiam noueris, non continuo scire poteris & illam Dei. quòd si neque ipse tuam, quo pacto Diuinam audebis? nam quantò Deus homine magis incomprehensus est, tanto Dei natiuitas est incomprehensibilior tua. si uerò, quia tu eam intelligere nequeas, iccirco ne genitus quidem est, perspice quàm multa reperias ex ijs, quæ sunt, quæ nondum intelligentia assecutus es, et præ omnibus ipsum Deum. neque enim, quid sit, habes dicere, etiam si ualde audax sis, & in superuacuis rebus magnanimus. deprime cogitationum tuarum fluxus, & diuisiones, & sectiones, & desine de incorporea natura quasi de corporea cogitare. Et fortasse aliquid excogitasti, dignum Dei generatione. quo pacto genitus est? rursum enim idem ipsum ægrè ferens loquar. Dei generatio est, silentio uenerare. magnum tibi est, didicisse, quòd genitus sit. quo uerò pacto, ne angelis quidem intelligere, nedum tibi, concedemus. uis tandem illud, quomodo, tibi exhibeam? eo nimirum modo, quem & qui genuit pater, & qui genitus est filius, nouit. quod uerò ultra hæc est, nube tegitur, tuam effugiens hebetudinem. Genuit igitur (inquit) filium, qui iam esset, aut qui nondum esset? nugæ. circa me & te hæc locum habebunt, qui tum, quidem aliquid fueramus, sicut in Abrahæ lumbis Leui, tum uerò facti sumus. quare ex entibus quodam modo constamus, atque non entibus, contra quàm in antiqua materia usu uenit, quæ manifestè extitit ex non entibus, tametsi quidam non genitum eam fingant. hic uero id, quod dicimus, genitum esse, idque à principio, perinde est, atque si diceres, est à principio quare ubi ancipitem tuam interrogationem pones? quid enim antiquius illo est. quod est à principio? ut illic collocemus fuisse aliquando filium, aut non fuisse? nam utroque modo illud à principio, dissoluetur. nisi forte & pater tibi, si nos rursus interrogauerimus, num ex entibus aut non entibus sit, periclitetur, aut bis esse, tum id quod prius fuerit tum id quod nunc, aut idem, quod filius patiatur, ut ex non entibus existat, ob ludicras tuas interrogationes, & in arena structuras, quæ ne auris quidem stantibus stent. Ego uerò neutrum horum admitto, & interrogationem tuam dico, absurdam, non ambiguam habere propositionem. quòd si tibi necessarium uidetur esse, ut in qualibet re

" *propositis duobus contradictorijs, alterum eorum uerum sit, secundum dialecticas tuas opiniones, age exiguam hanc meam interrogationem accipe. tempus in tempore est, an non in tempore? siquidem in tempore, quonam isto? aut quod aliud est tempus præter hoc? & quo pacto illud hoc circumplectitur? si uerò non in tempore, quænam est hæc præstans sapientia, introducere tempus sine tempore? Iam huius, ego mentior, da alterum, aut tantum uerum dicere, aut mentiri. non enim utrunque dabis. at fieri non potest, nam uel mentiens uerum dicet, uel uerum dicens mentietur. hoc enim prorsus necesse est. quid ergo miraris, si, quemadmodum hic contraria eueniunt, sic utraque illic falsa esse? atque hoc pacto sapientia tua inanis esse uidebitur. Vnum adhuc ænigma mihi dissoluas. tu cum natus esses, aderas ipse tibi, uel nunc etiam ades, an neutrum? nam si aderas quidem & ades, tanquam aliquis alicui, quomodo unus duo facti estis? si uerò neutrum prædictorum, quo pacto à te ipso disiunctus es? aut quæ disiunctionis est causa? at fortaße imperitiæ est, inquirere, num unum atque idem sibi ipsi adsit, nec ne, quando hæc in alijs, non in uno, atque eodem locum habent? imperitius est, mihi crede, uelle quærere, id, quòd à principio genitum est, esset ne, an non esset, antequam nasceretur. nam hæc ratio ijs conuenit, quæ subiecta sunt tempori.*] Hęc, & alia multa in hunc modum uir ille doctißimus. at aliquantò latius ista sum persecutus, ut eum, quasi uiuum exemplar, ipsi uobis aßiduè proponatis, eiusque non modestiam solum imitemini, sed admiremini etiam ingenium, & eruditionem, quæ nisi summa in eo fuisset, non potuisset profectò tam acutè aduersariorum argutias refutare. hoc sit nobis unum certamen, quotidie eniti, ut in optima quęque studia progressus, quos possumus, faciamus, ne ipsi nobis aliquando defuisse uideamur.

ORATIO XLIX.

Habita, cum ad uillam proficiſcendum fuit.

VNVS *ædificans, & unus deſtruens* (ait qui- Eccl. 34.
dam ſapiens) *quid prodeſt illis, niſi labor?*]
quòd ſi ædificium, quod cœpit conſtrui,
magnificum erat, ac ſplendidum, eius de-
ſtructio multò magis moleſta eſt, præſertim
ſi ſtructura illa iam creuerat, ut paulò poſt
eius abſolutio expectaretur. tunc enim gra
uior uideretur iactura ei, qui ædificij illius
conſummationem auidè expectabat. hęc autem à me, & mei &
ueſtri cauſa ſunt dicta. uos enim eſtis illud ædificium, cui ex-
ſtruendo noctes & dies inuigilo, quod quanti faciendum, &
quàm ingentis ſit pretij, ex eius fundamento & lapidibus, qui
in hac ſtructura collocantur, iudicium eſt faciendum. fundamen
tum eſt Ieſus Chriſtus, de quo apoſtolus ait. [*fundamentum aliud* 1. Cor. 3.
nemo poteſt ponere præter hoc, quod poſitum eſt, Ieſus chriſtus,] qui
etiam in hoc ædificio uocatur lapis angularis, ſicut dicit propheta.
[*lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput an-* Pſ. 117.
guli.] & Eſaias. [*Ecce pono in Sion lapidem, in ſummo ponendum an-* Eſa. 28.
gulo, electum, pretioſum.] Et Petrus apoſtolus. [*ad quem acceden-* 1. Pe. 2.
tes lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum
uerò electum, ac pretioſum, ipſi quoque ueluti uiui lapides, ædifica-
mini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendas ſpiritua-
les hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.] Audiſtis admiran
dum ædificium, in quo Chriſtus fundamentum eſt, & lapis an-
gularis, & uos ipſi lapides eiuſdem ędificij, aut potius templi, in
quo ſpirituales hoſtiæ quotidie ſint offerendæ. quemadmodum
& Paulus ait. [*an neſcitis quòd corpus ueſtrum templum eſt ſpiritus* 1. Co. 6.
ſancti, qui habitat in uobis, quem habetis ex Deo?] & alibi. [*tem-* Eſa. 52.
plum eſtis Dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus, inhabitabo in illis, 2. Co. 6.
& inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.]
Idem

1.Cor.3. Idem Paulus appellat fideles, Dei agriculturam, de qua ſicut & de ædificio eſt ſentiendum, quòd uidelicet quanto in cultura, uel agri, uel horti, uel uineæ magis eſt élaboratum, maius ſtudium adhibendum eſt, ut ſeruetur, & maiorem dolorem facit, tam bene, ac tanta cum cura excultæ rei corruptio, atque perditio. iccirco propheta conqueritur, egregiam illam Iſraëlitici populi uineam ſuo uitio fuiſſe deuaſtatam, & poëtico quodam artificio de

Pſal. 79. ea loquens ait. [*uineam ex Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. repurgaſti ſuperficiem eius, & fixit radices ſuas, & impleuit terram. operuit montes umbra eius, & rami eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ſuas. ut quid deſtruxiſti maceriam eius, & uindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur uiam?*] Comparantur etiam fideles pulchræ ciuitati, iccirco appellatur Ieruſalem fidelium congregatio,

Pſa. 86. & ciuitas Dei, de qua dicitur. [*glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.*]

Ephe. 2. cuius ciuitatis uos ciues eſtis. quemadmodum ait Paulus. [*iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei.*] quòd ſi in pulcherrimæ ciuitatis deſtructione tantus excitatur hominum luctus, quæ eſſe deberet lamentatio, ſi ipſa ciuitas Dei, qua nihil uel pretioſius uel ornatius poteſt excogitari, perderetur? adde quòd & gregis appellationem habet populus

Pſa. 99. Dei, quare dicebat propheta, [*nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.*] cui regendo quantus labor ſit adhibendus, docet ma-

Gen. 31. gnus ille paſtor Iacob paſcendi peritus, cum ait. [*nocte & die gelu & æu præmebar, & fugiebat ſomnus ab oculis meis.*] huius ciuitatis, huius ędificij, huius agriculturę cuſtodia mihi eſt credita, & ſpiritualis Chriſti gregis, cuius curam quantum amet, docuit non ſolum cum animam ſuam pro eo poſuit, uerum etiam

Ioan. 21. cum Petro illum commendauit. ubi non ſemel dixiſſe contentus, ut oues ſuas paſceret, tertio eandem repetiuit commendationem. Et ſanè quidem omnes, quibus animarum cura credita eſt, paſtores ſunt, uerum hoc inter epiſcopum & inferiores paſtores intereſt, quòd alij, qui parochi uocantur, unum priuatim gregem habent cuſtodiendum, at epiſcopus tanquam magnus quidam paſtor eſt, qui plures greges ſub ſe habeat, quorum omnium curę eſt inuigilandum. uerum cum ubique eodem tempore eſſe non poſſit, hoc enim ſolius eſt Dei, maximam quidem

dem temporis partem ibi moratur, ubi grex maior habitat, sed suæ tamen etiam minoribus gregibus præsentię, & uidendi sui copiam præbere debet. ob hanc causam, cum per maximam anni partem in ciuitate, ubi maior grex habitat, morari soleam, duos, aut summum treis menses eligo inuisendis reliquis gręgibus. quod cum mihi nunc sit faciendum, & cras aut perendie in mon tana migrandum, admonere uos hodie uolui, non solum cur proficiscar, uerum etiam quòd proficiscor, hoc est, ut in mea hac absentia cautiores, ac magis circunspecti uiuatis. hoc enim euidens indicium erit, uos iam adultos esse, & aliquos in uia Dei progressus fecisse. quod eo studiosius à uobis præstabitur, si cogitetis, quę dudum de ædificio dicebamus. cum enim egregię huic structurę iam Dei benignitate posita sint fundamenta, & iam tanti ędificij apparere incipiat pulchritudo, quàm ingens & dedecus & damnum esset, si tantus & meus & uester labor uestra incuria interiret, inciperentque uicinę ciuitates illudere uobis dicentes, [*hic populus cœpit ædificare, & non potuit consummare?*] hoc autem studium non minus ad uos, quàm ad me pertinet. nam episcopi quidem industria inprimis est necessaria, rectéque, à quodam dictum est, [ducis in consilio posita est uirtus militum] sed tamen uestra etiam uigilantia nihilo minus requiritur. cum enim duo sint artium genera, aliæ, quarum materia nullum habet in se operandi principium, ut lutum & saxum, in quibus solus artifex operatur, materia ipsa nihil adhibet adiumenti. aliæ, quarum materia excitata per ipsam artem, agit ad opus, ut agricultio & medicina. in altera enim terra, in altera constitutio plurimum momenti habet. nam in hoc genere artifex excitator quidam naturę est ac minister. ad hoc genus ars docendi & regendi homines spectat, ubi animus tanquam fœcunda ter ra, quæ accipit, reddit uberiora, & sæpe ex se parit, quippe qui semina quædam uirtutum in se habeat, non minus quàm ager segetum. quare qui docet, minister potius est, quàm magister. hoc cogitare uos oportet, neque expectare, dum episcopus totum faciat. qui nequaquam id, quod ad uos pertinet, præstare potest. neque uerò decet, uos esse ueluti infantes, quibus nutrices omnia minima mansa in os inserant, sed ueluti illa terra, quæ suscepto semine, centies multiplicatum fructum reddit. quod me absente

Luc. 14.

abſente ſtudioſius conari debetis, & amantisſimos parentum filios imitari, qui in patris abſentia magis circunſpecti eſſe ſtudent, ne, cum aduenerit, aliquid inueniat, quo offendatur. ſed illud præterea accedit, quod multò circunſpectiores ac uigilantiores uos eſſe iubet. ſicut enim cum lupi cernunt non adeſſe paſtorem, acrius ſæuiunt in gregem, & ei ſæpius inſidiantur, ſic aduerſarius noſter Diabolus ſperat paſtore abſente uim ſe maiorem habiturum in uos. tempus enim hoc in primis malitioſè obſeruat, quod intelligens Paulus, accerſitis presbyteris eccleſię Epheſinę,

Act.20. inter cætera dixit. [*attendite uobis & cuncto gregi, in quo ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendum eccleſiam* Dei, *quam acquiſiuit*

ibidem. *ſanguine ſuo.*] cur hoc? [*ego enim* (inquit) *noui hoc, quod ingreſſuri ſunt poſt diſceſſum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi.*] illud ergo eſt, quod dicebam, oportere uos uigilantius agere, quo tempore abſum. cum enim ſemper faciendum ſit, quod ait bea-

1.Pet.5. tus Petrus, [*ſobrij eſtote & uigilate, quia aduerſarius ueſter* Diabolus, *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret,*] tum eo tempore maximè, quo maius ingruit periculum. quare facien-

Phil.2. dum nunc quàm maximè eſt, quod ait Paulus. [*cum timore & tremore ueſtram ipſorum operantes ſalutem.*] non contentus dixiſſe, [*cum timore,*] adiecit, & cum [*tremore,*] & re uera ſi cogitaremus, agi in hoc negocio ęternam ſalutem, intelligeremus, hęc apoſtolica monita eſſe admodum neceſſaria. ſi enim, ubi temporarię huius uitę amittendę periculum imminet, tam ſumus anxij, ut reliqua omnia obliuiſcamur, quæ tamen uita omnino ſemel eſt relinquenda, ſed paucorum annorum uſuram plurimi facimus, quid in tanto negocio, in quo agitur ęternitas, eſſet faciendum? diſcutiamus non facta ſolum, ſed uerba & cogitationes in primis noſtras. à quibus cogitationibus bona ac mala, cum uerba, tum facta proficiſcuntur. diſcamus in noſtri ipſorum cuſtodia, quod periti duces in urbibus cuſtodiendis ſolent, qui nullum locum inobſeruatum relinquunt, cum ſciant, hoſtes ea potiſsimum loca aggredi, quæ cernunt inobſeruata, & per ea occupare ciuitatem. atque ut uno uos exemplo admoneam, & cautiores reddam, cogitate in ueſtra hac urbe, quàm exigua, aut nulla potius uerborum cura habeatur, & tamen per hanc, quaſi neglectam portam penetrat antiquus hoſtis, & innumeris uos afficit

ficit damnis. si enim acutius intueri uelitis, maior malorum pars ex hac tam inerti oris custodia nascitur, dum uerba nihil aliud quàm uerba, hoc est, rem nullius momenti iudicatis. & tamen plurima ac maxima inuehunt mala, & totius uitæ morumque corruptionem, sicut citat Paulus. [*mores bonos colloquia corrumpunt mala.*] tantum uerò est momentum in uerbis, ut dixerit Dominus. [*ex uerbis tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis,*] quod intelligens propheta interdum etiam à bonis uerbis abstinebat, cum uideret, nil ex eis profici. quare aiebat. [*dixi custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.*] omnino uerborum abusus quasi contagio quædam est, quæ urbes inficit. quod si pestilentię tempore tanta adhibetur cautio, ne infectio latius serpat, quæ inficere corpora possit, quantò maius studium adhibendum est, ne ob contagionem animæ uitientur & intereant? inter pręcipua uerò, à quibus prohibere linguam debemus, est murmuratio, atque detractio, quæ irritare homines maximè solent. quare utraque scriptura tangit, cum ait. [*auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.*] cauete ergo à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ. & quando de linguę custodia mentio est, & blasphemiæ ex linguæ intemperantia plurimum oriuntur, uelim, ut etiam hanc partem, dum absum, accuratius obseruetis. nam & si Dei benignitate illa impunè blasphemandi impudentia sublata est, fit tamen interdum ex deprauato more, ut aliqui in eas imprudentes incidant. quòd si strenuè operam datis, ut hæ reliquię eradicentur, breui purpurgatum agrum habebimus. uerum, si has radices pullulare siueritis, mox in siluam crescent, & [*fient nouissima hominis peiora prioribus.*] quare omni studio adiuuate, ut tam nefarium. tamque abominandum scelus tandem aliquando tollatur è medio, quod manifestissimum indicium est animi à Deo, quàm alienissimi. nam cætera uitia, atque peccata non tam ex odio Dei, quàm ex carnis infirmitate proficisci uidentur, at blasphemia ex abalienato prorsus à Deo animo oritur. Neque uerò solum cauenda mala sunt, sed etiam addenda bona, sicut scriptum est. [*declina à malo, & fac bonum.*] quare commendo uobis

1.Co.15. *Mat.12.* *Ps.38.* *Sap.1.* *Mat.12.* *Psa.30.*

in primis beneficentiam & misericordiam in pauperes, præsertim ęgrotos. inuisite identidem arcam illam, quam cernitis huius rei gratia hic in templo positam, & copiosè pecuniam reponite. nam ingens summa quotidie in hoc munus consumitur. qua de re quia sæpius à me facta mentio est, ista nunc dixisse sit satis. Neque uerò hæ mulieres, quę ad uerbum Dei audiendum frequentes conueniunt, sine priuato aliquo munere officij sunt relinquendę. nam & si, quæ diximus, omnia illis uobiscum communia esse debent, peculiare tamen illis munus assignabo, ut scilicet aliarum mulierum magistræ sint, ad uitam omni cum honestate degendam. atque in primis ut à fuco pingendisque generis abstineant, & infinito illi muliebri mundo finem aliquem imponant. neque uero contentus sum, si eas leges tantum seruent, quæ senatus consulto, moderando corporis cultu, sunt superioribus mensibus promulgatæ. nam multa indulserunt infirmitatis uestrę gratia, quæ leges Euangelicę non permittunt, ad quas Christi leges formandæ estis. quare uelim, ut ex ijs etiam ornamentis, quę senatus uobis permisit, multa uolentes auferatis, quod si fiat, tum demum intelligam, qui mihi à uobis profectus sit sperandus. Nequid vero per discessum meum deesse vobis possit, dedi operam, ut Diuini verbi alimenta uobis interea subministrentur, præcepique archidiacono, ut festis diebus omnibus Psalmos interpretetur, uidelicet scripturæ sacræ thesaurum. ad quam lectionem [*trecenti mei*] frequentes accedant. *Iud. 7.* nostis enim, quicquid hactenus profectum est in hac urbe, totum uerbi Dei esse acceptum prædicationi referendum. hoc enim unum lumen est, quo huius uitæ caligo dispellitur, ut rectè dixerit psaltes. [*declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*] & rursus. [*lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis.*] neque lumen tantum præfert hoc Dei uerbum, sed stimulos præterea addit, & segniciem dispellit. idcirco aiebat Salomon [*acerba sapientum quasi stimuli, & tanquam claui in altum defixi.*] Reliquum illud est, ut me uestris apud Deum precationibus commendem, & oretis, non ut diu uiuam, neque enim hoc Christianum hominem decet, sed ut, quod uiuendum est temporis, cum fructu uiuam, atque ad huius ciuitatis utilitatem, utque eę mihi uires suppeditentur, quæ tanto

Ps. 118. *ibidem.* *Eccl. 12.*

muneri

muneri sint consentaneæ . re enim uera ingens opus est, & quod humanas superet uires, earum animarum curam habere, pro quibus Dei filius mortuus est. quod quanti sit, si scire uúltis, fingite regem quempiam potentissimum, qui in totam terram imperium haberet, qui alicuius puellæ ingenti amore teneretur, & eam tam perditè amaret, ut paratus aliquando fuerit, eius assequendæ gratia, totum imperium amittere, atque adeo ipsam uitam. is sicui eam custodiendam commendaret, interminaretúrque ei, siquid sua incuria puella, uel minimum de pudore suo amitteret, fore, ut illum tormentis sæuissimis affectum, crudelissimo necis genere interficeret, quid censetis hunc facturum? profecto primum detrectaret prouinciam, deinde, si omnino rex in sententia perstare decreuisset, omnem adhiberet custodiam noctes & dies, uigilaretque assiduè, uelletque, si fieri posset, ut nunquam illi somnus obreperet, ac dormiens quoque eadem somniaret. at meum negocium multò est maius, atque periculosius. primum enim is, qui mihi suam sponsam credidit, rex est non solum terræ, sed etiam cœli, & tam uehementer hanc sponsam amauit, ut mortem oppetere pro ea assequenda non recusauerit. deinde pœna, quæ ei intentatur, qui inerter in eius custodia se gesserit, non temporaria est, sed æterna, quæ una plurimi est facienda, quemadmodum Dominus dixit, [*nolite timere eos, qui occidunt corpus, deinde nihil habent amplius, quod faciant. ostendam autem uobis quem timeatis. timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in Geennam, ita dico uobis hunc timete.*] in tam periculosa prouincia, quo me animo debere esse censetis, ne desim curæ tam amatæ à Christo sponsæ? qua mihi zelotypia est utendum? quod & Paulus faciebat, cum Corinthijs scribens aiebat. [*zelotypus sum erga uos Dei zelo, despondi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo. sed metuo, ne, queadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum.*] Cum ergo tam euidens periculum meum, quod uestri causa subeo, intelligatis, iuuate me assiduè, tum precationibus, tum rectis & honestis factis, ut demum pastor cum suo grege ad æterna pascua feliciter perducatur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

Luc. 12. *2. Co. 11.*

ORATIO QVINQVAGESIMA.

Habita post reditum è uilla.

2.Co.1. BENEDICTVS *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*] aptum enim mihi uisum est, hoc dicendi principio uti, cum uelim hanc orationem ab illa pendere, qua profecturus ad inuisendam montanam huius diœceseos regionem uos postremo sum allocutus. nulla pastoris esse consolatio alia debet, eius, qui pastorum principem uelit imitari, quàm ubi sanum & uigescentem gregem cernit. contra uerò unus illi, aut certè præcipuus est dolor, atque tristitia, cum illum malè affectum intuetur. iccir-
2.Co.11 co dicebat Paulus, pastoralis officii peritus. [*quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?*] ubi uerò audiebat fidelium in uirtutes & rectè facta progressus, hoc suam
1.The.3. uitam arbitrabatur. quare aiebat. [*nunc uiuimus, si uos statis in Domino.*] & pro hac re maiores gratias agebat, quàm pro colla-
ibidem. tis in seipsum beneficiis, ut eodem loco sequitur. [*quam enim* (inquiens) *gratiarum actionem possumus Deo rendere de uobis, super omni gaudio, quo gaudemus propter uos in conspectu Dei nostri?*] & alibi. [*gratias ago Deo meo semper pro uobis de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quòd in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone, & omni agnitione, quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in uobis, ut nihil uobis desit in ullo dono.*] Hunc apostolicum morem imitari cum debeam, superioribus annis uehementer excruciabar, præsertim quo primum tempore huc episcopus ueni, cum cernerem ita squalidam huius diœceseos faciem, ut inter uisitandum repererim parochias nonnullas, quarum pars maxima, neque anniuersariam peccatorum exhomologesim fecisset, neque in paschate Christia-

nis myſteriis de more communicauiſſet. homines mutuis odijs decertare, qui prętereaita ab audiendo uerbo Dei abhorrebant, ut, ſiquis interdum ſacerdos, quanquam & illi erant quam paucisſimi, qui hoc præſtarent, ut dici potuiſſet, [*ſicut populus, ſic & ſacerdos.*] ſiquis tamen fuiſſet, qui populi ædificandi gratia dicere aliquid uellet, continuò obſtreperent, poſtularentque ut quàm ocysſimè rem Diuinam faceret, ut redire ad ſua negotia poſſent. O ſtupiditatem, non intelligebant miſeri, quam ob cauſam feſti dies ab eccleſia Chriſti fuiſſent introducti. quanquam neque dum ſatis intelligi uideo, quod huius ſenatus pace dictum eſſe uelim. cum.n. ſuperioribus menſibus pręſens in ſenatu admonuiſſem, ut eas nundinas, quæ penultima menſis Auguſti Dominica celebrari conſueuerunt, in alium diem transferrent, & abſens per literas idem uos admonuiſſem, nihil factum eſt. uerum quando uos eas nundinas transferre neglexiſtis, ego ſequenti anno eas penitus tollam, ſi ero ueſter epiſcopus. ſed hoc obiter ſatis ſit admonuiſſe, nunc, quod dicebamus, perſequamur. non intelligebant, cur feſti dies eſſent inſtituti. nimirum ut per eos dies homo, qui cęteris prophanis diebus totus rebus temporarijs fuiſſet occupatus, ſeſe colligeret, atque in ſe reuerteretur, & quicquid per hebdomadam peccauiſſet, defleret, ac ueniam à Deo precaretur. ut præterea per dies feſtos, dum ocium ab externis rebus ageret, cogitaret, non eſſe hanc ſuam patriam, ſe exulem, eſſe, atque ad cœlum potius factum, communem fidelium omnium patriam. intelligebant, cur miſſæ (quæ uulgo ſic appellatur) ſacrificio facta eſſet illa Euangeliorum & apoſtolicorum uerborum, & Diuinarum omnium ſcripturarum adiectio, uidelicet ut illo tanquam alimento paſtus, ac roboratus interior homo, in ſpirituale incrementum augeſceret. uerum, quando ea ſcripturarum ſacrarum loca Latina lingua recitantur, quę lingua quo tempore iſta inſtituta fuerunt, à tota Italia intelligebatur, nunc nemo, niſi qui in ſcholis illam didicerit, poteſt intelligere, fit, ut niſi ſacerdos Itala utens Lingua, ea, quę Latinè recitauerit, explicet, nunquam uerbum Dei à populo audiatur, qui ſi illam præterea patria lingua explanationem auerſetur, quid ſalutis expectandum ſit, ex ouium gregibus capite coniecturam, quas ſiquis cernat optima paſcua reſpuere, mox certum earum interitum uaticinatur.

ticinatur. quid enim obsecro aliud in causa est, cur Christianus orbis tam eat perditum, nisi quòd uerbum Dei negligitur, & quanta sit eius utilitas ignoratur? uerissimum enim esse ex-
Pro. 29. perimur, quod ait Salomon. [*cum prophetia defecerit, corruet populus.*] neque id iniuria. etenim, cum solæ scripturæ sacræ eæ sint,
2. Pe. 1. quæ tanquam lucernæ (ut ait Petrus) luceant in caliginoso hoc loco, ubi amotum fuerit hoc lumen, quid reliquum est, nisi ut
Ioan. 12. fiat, quod ait Dominus, [*qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat.*] ubi uerò hac lampade utuntur homines, pro summe Deus, quàm pulchra est eius regionis facies. nam primum agnoscitur Deus, cum quo sapientum huius seculi libri nullum uidentur habere commercium. at in sacris literis apertissimè agnoscitur maxima ipsius Dei erga genus nostrum charitas, summa prouidentia, qua nulla excogitari unquam maior potest, si obseruemus,
Luc. 12. quod ait Dominus. nostros uidelicet capillos capitis omnes esse numeratos, quæ cogitatio efficit, ut tranquillo semper animo simus, dum certi reddimur, ei nos esse curæ, qui sciat, uelit, possit nostris omnibus necessitatibus subuenire. hæc agnitio si desit, quæ esset hominum uita, qui quotidianis expositi periculis, tam uarijs ac multiplicibus, nullum malorum perfugium haberent? nam humanum auxilium minus infirmum est siquis ei fi-
Psa. 145 dere uelit. ut rectè à propheta sit dictum. [*nolite confidere in princi-*
Ier. 17. *pibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.*] & alius [*maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. erit enim quasi mirica in deserto, & non uidebit, cum uenerit bonum sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabi-*
ibidem. *li.*] qui uerò Deo nituntur, quid? [*benedictus* (inquit) *uir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. & erit quasi lignum quod transplantatur iuxta aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum uenerit æstus. & erit folium eius uiride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*] quod uerò hæc bona acquirantur ex sacrarum scriptura-
Psalm. 1 rum consuetudine, admonet regius propheta, cum ait beatum esse eum, cuius uoluntas sit in lege Domini, & in lege eius me-
ibidem. ditetur die ac nocte. [*erit* (inquit) tanquam lignum, quod plantatum *est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet. et omnia quæcunque faciet, prospera erunt.*

erant.] Deinde ex hac Diuini uerbi consuetudine maior hominum inter se charitas oritur, d u m discunt, se ex uno parente omnes natos, & ab eodem & uno genere profectos, quare deberé etiam mutuis officiis certare inter se, & unumquenque alterius usibus inseruire. quin & docemur alterum esse alterius membra, ut, quod membra corporis inter se faciunt, idem homines inuicem præstent. ut scilicet quisque & alterius profectibus gaudeat, & incommodis doleat, curetque eum leuare molestijs. inuitamur item ad castam & honestam uitam degendam, ne simus sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. cum docemur, corpora nostra esse membra Christi, & templum spiritus sancti. quæ uerba cum audimus, qui uir tam intemperans, aut quæ tam lasciua est mulier, qui non à carnis petulantia cohibeantur, cupiantque cœlestium uitam in fragili corpore repræsentare? hæc & alia huius generis multa ex uerbi Dei enarratione discuntur, quæ dum nesciuntur, non uideo, quo homines à pecudibus differant. Hæc ergo uirentia & saluberrima pascua, cum Christi gregem auersari cernerem, angebar uehementissimè, intelligens, mala omnia, in quibus uersarentur, ex eo proficisci, quòd hæc pascua recusarent, & ne periculum quidem suum agnoscerent, qui, cum cernerent, corpus, unius aut alterius diei inedia deficere, non aduerterent, multò magis hæc in anima usu uenire, si, non dierum sed annorum egestate alimoniæ conficeretur, Nunc uerò, quantum mutata sit rerum facies, audire uos delectabit, non secus quàm ubi mater, filiarum specie & gratia solet. nam & scripturæ sacræ urbes matres, oppida uerò & uillas filias appellat, in quarum uisitatione hæc, quæ dicturi sumus, comperimus. quanquam in his bonis, quæ estis audituri, non desunt perditi homines, qui episcopo calumniam struant, quasi priuati commodi causa parochias uisitet, cum tamen meo cum maximo dispendio hoc fiat. neque enim eas pecunias exigo, quas sanctorum patrum canones permittunt, ne episcopus nimis inter uisitandum grauetur. sed hanc culpam in episcopos potius reijcio, quorum inertia cum uisitandi munus tam necessarium intermissum sit, populi hoc ignorantes arbitrantur ea esse sua incommoda, quæ tamen eorum duntaxat commodis ac saluti inseruiunt. sed pauci tamen sunt, qui ista calumnientur, quare quod sumus polliciti persequamur.

Eph. 4.

Psa. 31.

1. *Cor.* 6.

perſequamur, in his ergo huius anni uiſitationibus reddidit mihi Dominus duplicia (ut ſcripturæ ſanctę uerbis utar) pro omnibus afflictionibus meis. reperi enim pacata omnia, & , ſiquid turbulenti forte aliqua accidiſſet (quoniam terra noſtra identidem ſpinas & tribulos profert) exiguo momento ſedatum eſt. nam, cum unum ex præſtantioribus huius dioceſeos oppidis inuiſerem, acciderat quatuor ante dies congreſſus armorum inter quoſdam iuuenes, resque eò deducta erat, ut totum oppidum in duas parteis eſſet diuiſum. quod ubi reſciui, iuſſi utranque partem accerſiri, neque inde prius diſceſſi, quàm omnia ita pacarentur, ut illa odia & illas armorum contentiones in maiorem pacem ac charitatem, quàm antea fuiſſent, conuerſa cernerem. cum uerò odia atque inimicitiæ plurimum in cauſa eſſent, cur homines non ſaltem ſemel quotannis ad cor reuerterentur, factum nunc eſt, ut non facile reperiatur, qui non ſemel ſolum, ſed ſæpius per annum Chriſtianis myſterijs non communicauerit. & hęc omnia peperit uerbi Dei prædicatio, & ſacrarum interpretatio ſcripturarum. Adiecta præterea & alia bona ſunt, inter quę inſtitutę fuerunt multis in locis eæ ſocietates, quæ corporis Chriſti appellantur, quibus mandaui, ut omnibus pietatis operibus præſint, & alij ex eis pauperum curam regendorum accipiant, alij
Mat. 13 ægrotantium, alii pacandi eos, inter quos inimicus homo zizania ſeminauerit. magna profectò ſunt opera Domini (nam illius gratiæ ac benignitati referre omnia accepta debemus, niſi ingrati eſſe uolumus) & quæ maiora ſemper incrementa ſint acceptura, ſi mater, hoc eſt, ciuitas ipſa filias præclaris exemplis identidem ſtudeat animare. turpiſsimum uerò eſſet, ſi ab illis ſuperaretur, quod interdum uereor, ne accidat. cogitate enim hanc huius urbis ſocietatem, quæ à ſacratiſsimo corpore Chriſti cognomen habet, quę tam multis honeſtiſsimis ciuibus conſtat, quàm ſe gerat frigidè, quàm inerter. quænam ex ea uirtutis exempla prodeunt, præter neſcio quas exiguas ceremonias, easque ſine ullo affectu, & ſola conſuetudine prę ſtitas? nonne oportuerat tantum tot ciuium numerum, ſi quid Chriſtiani in ſe pectoris haberet, omnia honeſte factorum munia in hac ciuitate ſuis humeris ſuſtentare, & ea ſaltem prę ſtare, quę per reliquas diœceſeos parochias in eiusmodi ſocietatibus fuerunt à nobis conſtituta?

ta? quæ si fierent, quanto essent honestamento? quàm gloriosa hæc societas, atque adeo tota per eam ciuitas appareret? quàm ingens sentiret laborum leuamen episcopus, si pauperum, si ęgrotantium, si pacandorum ciuium, si reliquorum operum, quæ Christianos homines decent, omnes cum illis impertiretur? quę nunc omnia solum episcopum opus est sustinere. dum uerò ipsius episcopi consilia recusant audire, fit, ut non solum nil rectè faciant, uerum etiam eiusdem societatis pecunias insumant in res, quæ ignominiam potius Christo, quàm honorem afferunt. quodnam est enim episcopi consilium, quod unquam seruaueritis? reliquæ non solum societates, uerum etiam artes instituta mea non recusauerunt, leges ac mores arbitrio ac uoluntate mea mutauerunt. hæc omnium societatum, quæ in hac urbe sunt, honestissima, & quæ iccirco promptior ad accipienda episcopi consilia esse debuerat, inertior multò reliquis omnibus hactenus uisa est. quid obsecro egregij, me episcopo fecit? quam uitę & morum innouationem? quæ decreta ab eis facta, uel, si facta fuerunt, seruata unquam sunt aduersus eos, qui minus decorè, quàm Christianum hominem decet, uiuere conspiciuntur? quibus in factis agnoscitur, quempiam è tanto numero esse ex ea societate, quæ à corpore Christi cognomen habet? à quibus moribus hoc agnoscitur? à modestia? à liberalitate? à studio in pauperes? à tranquillitate uitæ? à linguæ moderatione? à declinandis litibus? à maiori in Deum pietate? quòd si qui sunt, qui aliquid horum præstare studeant, ita pauci sunt tamen, ut ex huius societatis moribus nomen Dei malè potius quàm bene audiat. Scio hęc non admodum multis grata esse futura, sed confido tamen fore, ut bonis minimè displiceant. siquis uerò ęgrè feret, is sese mox arguet ęgrotare. nam laborantes in primis corporis partes dolere solent, cum uel leuiter tanguntur. uerum quando hęc utilitatis uestræ gratia dicta sunt, non satis mihi est, reprehendisse id, quod dignum esse reprehensione iudicaui, nisi prętera fructum aliquem ex hoc reprehendendi labore me in posterum uideam retulisse. quare obsecro uos per Dominum Iesum, & sacratissimum eius corpus, sub cuius nomine societas hæc fuit instituta, ut commoueamini aliquando, & digna uobis facta aggrediamini. quod tum fiet, si episcopi ac pastoris uestri monita ac-

curatius, quàm hactenus factum à uobis sit, fueritis amplexati. quę si ij, qui in hac societate præsunt, in uestro conuentu proposuerint, nihil dubito, uel omnes, uel maximam certè partem esse assensuros. sed, quando digressi aliquantum sumus, nunc ad ea, quę dicebamus, reuertendum est. Audistis me narrante,
Psal. 65. quanta fecit Dominus animæ meę. nam meam arbitror utilitatem, quicquid in gregis Christi profectum cedit. audistis, in-
Psal. 66. quam, mutationem dexterę excelsi, quo pacto sublatis urticis,
Esa. 5. & euulsis spinis, uinea Domini Sabbaoth suum recipere splendorem incœperit, ut fructus aliquis iam appareat. quod cum intueor, uenit mihi in mentem uerborum prophetę, cum gratula-
Esa. 60. bundus alloquitur Ierusalem in hæc uerba. [*Surge illuminare, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. quoniam ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur.*] dum enim alię ciuitates grauioribus circunfusę tenebris iacent, hęc diœcesis Diuino splendore incipiet illustrari. uerum quò meliore uos conditione estis, quàm circumiacentes ciuitates, & maior etiam in dies fructus expectatur, eò diligentior cura est adhibenda, ne uestra inertia atque incogitantia, tam egregium opus perdatur, néue ager, qui dudum obsitus spinis totus squalebat, nunc Dei benignitate satis purgatus est, ut iam iucundos fructus ferat, iterum in pristinum squalorem reuertatur. quod nihil esset aliud, quàm longè deteriore quàm prius esse conditione. meminerimus quid ad-
Mat. 12. moneat Dominus in Euangelio. [*cum immundus* (inquit) *spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens dicit. reuertar in domum meam, unde exiui, & cum uenerit, inuenit eam scopis mundatam & ornatam. tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*] memi-
Heb. 6. nerimus item, quod ad Hebręos scribitur. [*terra, quæ imbrem sæpius in se uenientem biberit, & produxerit herbam accommodam eis, quorum & opera colitur, recipit benedictionem à Deo. at, quæ produxerit spinas & tribulos, reproba est & maledictioni proxima, cuius finis est, ut exuratur.*] hęc enim ciuitas continuis uerbi Dei imbribus irrigatur, ex qua irrigatione nisi fructus bonos proferat, longè maiori pœna digna est, quàm reliquæ ciuitates, quibus

ista

ista desunt, & quę ob ignorationem multa peccant. at [*seruus* (inquit) *sciens uoluntatem Domini, et non faciens, uapulabit multis.*] Luc. 12.
Et quidem uideo, non nihil effectum esse in hac ciuitate, si hæc tempora cum superioribus conferamus. uerum, si cogitemus, quid debeamus, admodum exigua pręstitimus, ut apud Deum uituperatione potius, quàm laude digni uideamur, quamuis plurimum apud homines commendemur, uereorque ne inter tepidos numeremur, quibus in Apocalypsi dicitur. [*scio opera tua, quòd neque frigidus es, neque feruidus. utinam frigidus esses, aut feruidus. sed quoniam tepidus es, & nec frigidus nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo.* cur hoc? *quia dicis, diues sum, & ditatus sum, & nullius egeo, & nescis, quòd tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*] hoc uereor, ne in nobis reperiatur, & arbitremur, nos iam aliquid assecutos, cum nihil hactenus generosè actum à nobis sit. Quare obsecro, ut ueternum, quo hactenus laborauimus, excutiamus, & pleno gradu in Christianam philosophiam ingredi incipiamus, ut gratiam & misericordiam inueniamus in tempore opportuno. Iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium in secula seculorum. Amen. Apo. 3.

ORATIO LI.

De natiuitate Domini.

INGENS rerum, quæ hodie ab ecclesia Christi commemorantur, maiestas & copia, quę ad dicendum inuitare homines plurimum solet, uidetur mihi debere stuporem potius, qui silentium secum afferre consueuit, in nobis parere, quàm orationem. id enim efficere solent ea facta, quæ non solum præter omnium hominum expectationem aut opinionem accidunt, sed etiam humanam omnem longo internallo superant intelligentiam. quid uerò accidere admirabilius potest, quàm uirginem parere, Deum accepta natura nostra de eadem uirgine nasci, idque in stabulo, atque in præsepi collocari? hęc mihi gratius est admirari, quàm eloqui. uerum, quia plerique omnes admirari nesciunt ea, quæ in primis digna admiratione sunt, sed puerorum more attoniti spectant, quæ potius essent ridenda, uelim hodie historiam hodiernę celebritatis, quam egregius Euangelista Lucas scribit, percurrere, ut & uos mecum admiremini, atque admirati, ista perscrutemini. nam perscrutatio ab admiratione proficiscitur,
Psa. 118 quemadmodum psaltes ait. [*mirabilia testimonia tua.*] ideo scrutata est ea anima mea. ex qua sententia liquet, à nostris (nam scripturę sacrę omnibus philosophorum scriptis multò sunt antiquiores) acceptum illud fuisse, quod quidam inter externos præstantissimus, sub fabulæ integumento dixit. icirco Irim Thaumantis filiam appellatam, quòd ex admiratione rerum, quas homines in ipsa natura cernerent, philosophari cœpissent, θαυμάζειν enim significat admirari. sed aggrediamur historiam.
Luc. 2. [Exijt (inquit) decretum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis.] Quo tempore nasciturus erat totius orbis, non solum terrę, sed etiam cœli Dominus, uenit in mentem Romani orbis imperatori,

ratori, censere orbem suo imperio subiectum. neque sine Dei nutu factum est, ut & hoc iuberet Augustus, & Romani passim imperarent. quo significabatur, & orbem terræ sub Christi ditione futurum, & illius fidem summa cum libertate professurum, quemadmodum factis ipsis fuit postea declaratum. Vbi & illud obseruandum est, multa statuere principes, quę ipsis nescientibus Diuinę deseruiant prouidentię. quo exemplo admonemur, non ita temere factis principum detrahere, cum Salomon dicat. [*sicut diuisiones aquarum, sic cor regis in manu Domi* Pro. 21.
ni, quocunque uoluerit inclinabit illud.] Harum rerum in scripturis sacris exempla habemus, atque in primis illud Assueri. cum Est. 6.
enim uellet Deus liberare Iudęorum populum à cæde, quam parauerat illis Aman, refert historia, noctem illam, quæ diem antecedebat, quo Aman Mardochæum in crucem agere decreuisset insomnem ductam à rege fuisse, iussisseque regem, [*afferri sibi historias & annales priorum temporum, quæ cum illo præsente legerentur, uentum est ad illum locum, ubi scriptum erat, quo pacto Mardochæus patefecisset insidias duorum eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium.*] qui, cum intellexisset, Mardochęum nihil ex hac fide honoris, ac præmij fuisse assecutum, iussit illum summis honoribus affici, quę res initium prębuit salutis, Iudæorum populo comparandę. Sic ergo & hic factum est, ut Augustus, dum aliud cogitaret, cum censeri iussit Romanum orbem, nasciturі Christi omnium regis mysterijs inseruiret. [Hæc descriptio (inquit) prima facta est à præside Syriæ Cyrenio.] addita sunt hæc uerba ad certiorem historiæ euidentiam. [*& ibant omnes ut profiterentur in suam quisque ciuitatem.*] & hoc etiam adiectum est, ut intelligamus causam, cur Ioseph cum Maria à Galilęa uenerit in Iudęam in ciuitatem Nazareth. quare sequitur. [Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eo quòd esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat grauida.] Meministis, cum Gabriel angelus attulit felicissimum nuntium Marię uirgini, quòd filium Dei esset paritura, illam habitasse in ciuitate Nazareth. ex hac ergo urbe profecti sunt, ut uenirent Bethlehem, ex qua ciuitate erat Dauid, cumque esset de cognatione Dauid, rectè tanquam in ciuitatem suam uenit, ut in ea profiteretur.

Luc. 1.

Hæc

Hæc ciuitas alio nomine dicitur Ephratha, de qua in quodam
Psa.131. psalmo dicitur. [*ecce audiuimus eam in Ephratha.*] & uide, quo pacto utrunque nomen aptè conueniat. [*Ephratha*] significat terram fertilem, [Bethlehem] domum panis. quid uerò fertilius inueniri possit ea terra, quę suo fructu totum orbem terrarum
Ioa. 6. ditauit? sic domus panis, in qua natus est ille, qui dixit, [*ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi.*] ut ergo panis hic uiuus in Bethlehem, hoc est, in domo panis nasceretur [factum est (ait Euangelista) cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. & peperit filium suum primogenitum.] Quod ait [primogenitum,] non ex hoc sequitur, quod quidam stultè opinati sunt, beatam Mariam alios pręterea genuisse, inter quos hic esset primogenitus. nam ij suam insignem arguunt imperitiam. qui non intelligunt, satis esse, ut primogenitus sit, si ante eum nemo sit natus, etiam si post eum nemo nascatur. potest enim idem esse & primogenitus & unigenitus: sed primogenitum maluit appellare quàm unigenitum, ob priuilegia quædam & cerimonias etiam, quę in lege ueteri in primogenitis seruandæ erant. De hoc primo-
Rom. 8. genito ad Romanos scribit Paulus. [*quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in mul-*
Col. 1. *tis fratribus.*] & ad Colossenses, primogenitum appellat omnis
ibidem. creaturæ, hoc est, ante omnem creaturam, [*ut sit* (quemadmodum paulò post addit) *in omnibus ipse primatum tenens.*] quare
ibidem. & primogenitus ex mortuis est uocatus. [peperit ergo filium suum primogenitum.] quid deinde? & fasciis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepi, quia non erat eis locus in diuersorio.] Voluit hac huius itineris occasione Deus, non solum impleri prophetiam illam, quæ
Mich. 5. nasciturum in Bethlehem Christum prædixit, uerum etiam pre-
Matt. 2. bere hominibus humilis uitæ sectandæ exemplum, dum filius
Rom. 11. ille, [*per quem facta sunt omnia,*] in stabulo nascitur, atque in
Symb. præsepi collocatur ob penuriam loci. [Quia non erat (inquit) eis locus in diuersorio.] O ingratum genus hominum, & stolidum etiam, quod Diuina exempla hæc contemnens, mauult opinionis errorem per totam uitam sequi. Cernis filium altissimi, illum
Ioan. 1. qui [*in principio erat uerbum,*] [*qui est splendor gloriæ, & expressa*
Heb. 1. *imago substantiæ eius, portansque omnia uerbo uirtutis suæ,*] uilissimo in loco, quem penè appellare pudor est, nasci, & fasciis inuolutum

uolutum in præſepi reclinari. Eat nunc puluis & cinis, & aurum ac gemmas, pretioſasque ueſtes ornando corpori quęrat, ac ingentia palatia conſtruat, & mutet quadrata rotundis. interea is qui ſedet ad dexteram Dei patris, qui [*ſortitus eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum,*] [*cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra.*] is inquam uilibus faſciis & pręſepi eſt contentus. Iam uero ita à contemplando tam admirando exemplo homines ſunt alieni, ut eo ipſo tempore, quo infantes ad baptiſmum feruntur, in quo profitentur ſe abrenunciare Diabolo & pompis eius, omnibus, quibus poſſunt, pompis eos ornent, & in ipſo initio factæ profeſsioni contraria introducant. Quę mulier hęc cogitans, aut ipſa pretioſius ueſtiri, aut filias tam multis uanitatibus aſſueſcere pateretur? quas tamen pompas ipſe matres excogitant, & filię matrum non ſolum mores, ſed conſilia atque adhortationes ſectatæ, fiunt deteriores. intuere mulier matrem Dei, quo ſe pacto erga tantum filium gesſerit, & deſine aliquando in his pompis inſanire. Vbi ſunt, non ſolum mulieres, quod minus eſſet probroſum, ſed uiri etiam, qui me ſuperioribus diebus rogarunt, ut ea ornamenta, quæ fœminis, & meo, & ſenatus conſulto uetata fuerunt, iunioribus puellis ferenda permitterem, quæ, cum propè ad pubertatem accederent, eſſent depoſiturę? iamne incipitis ueſtrum errorem intelligere? an ignoratis quanti ſit à teneris aſſueſcere? quis ueſtrum conſuleret, ut puella ſcortaretur hac ſpe, ut cum adoleuerit, à ſcortatione abſtineret? eradenda cupidinis prauæ ſunt elementa, atque adeo euellenda potius, & imitandi olitores, qui noxias herbas non abradunt, ſed eradicant. at uerò prohibere adultis mulieribus ornamenta, & iunioribus puellis illa permittere, abradere quoddam eſt, & ſemper radices relinquere, quę identidem repullulent, neque unquam curationis certa ſpes reliqua ſit. hoc non eſt errores auferre, ſed dare operam, vt nunquam auferantur. non intelligimus, nos ſolo nomine eſſe Chriſtianos? quouſque ſenſibus erimus pueri? quouſque dormiemus? quando conſurgemus ab hoc ſomno? uidete quanti ſit Chriſtianum pectus nunquam induiſſe? hi enim errores tam craſsi, tam ſupini, ex eo proficiſcuntur, quòd nunquam hanc philoſophiam ex animo ſumus amplexati, alioqui fieri

Heb. 1. *Symb.* *Phil.* 2. *Mat.* 28.

fieri non posset, ut non summa cum uoluptate acciperetis, quæ à me in hac parte proponuntur. quis enim non libens audiret, si hausto fraude aliquorum ueneno, reperiret, qui à mortis periculo uellet eum liberare? quas non gratias ageret, ac beneficium reponere conaretur? at hoc malum, quod præsentissimum est animæ uenenum, si curare uelim, uidemini auersari curationem. si id, quod tam uobis est salutiferum, penè auersamini, quam excusationem in die iudicij estis habituri? Preterea cogitate, quanta afficiatis Christum iniuria. nam eius doctrinæ obtemperare salus uestra est, aduersari autem damnum, & uos iacturam potius facere uultis obsistendo, quàm lucrum obtemperando. quid est, inimicitias aduersus Christum exercere, si hoc non est? siquis uestrum, ne mei gratia aliquid ageret, mallet damnum facere, quàm lucrari, non'ne hunc capitalem mihi hostem esse existimaretis? at hec eadem in Christum exercetis, neque commouemini? sed pergamus reliqua. [Et pastores erant in regione eadem, uigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum. & ecce angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circunfulsit illos, & timuerunt timore magno. & dicit illis angelus, ne timeatis. ecce enim annuntio uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.] apposite sanè, nato pastorum principe, hec primo pastoribus natiuitas annuntiatur. hic est pastor, de quo Esaias predixerat.
Esa. 40. [*sicut pastor gregem suum pascet, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*] & ipse de se.
Ioa. 10. [*ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. & animam meam pono pro ouibus meis.*]
Mat. 23. Interea sacerdotes & scribæ, qui amabant primas cathedras in synagogis, & primos accubitus in cœnis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi, expertes horum munerum sunt, & tam felicium nuntiorum. quod & nunc quoque usu uenit. nam hæ spirituales delicię absconduntur ab ijs, qui se aliquid esse existimant, & aperiuntur simplicibus atque humilibus. & miror sanè, nisi maxima uestri pars beatis hisce pastoribus inuidet, optatque inter eos annumerari, ut & uobis tanti boni liceat esse participes. at hoc & uobis licet, modo uelitis, unusquisque enim uestrum pastor est, qui sen-

ſenſuum gregem regendum habet, quem ſi in interiora deſerti Exo. 3.
cum Moſe ducere curet, atque ab hac externa conſuetudine abducere, uidebit uiſiones Dei, uiſiones magnas, quæ & ipſi Moſi tanto uiro uiſę ſunt admirandæ. neque uerò exiſtimandum eſt ſolos epiſcopos, & inferioris etiam ordinis miniſtros eſſe paſtores. unuſquiſque (ut dixi) ſuorum ſenſuum ſuarumque cogitationum paſtor eſt. deinde omnes patres ac matres familiarum totius familiæ, & domini ſubiectorum ſibi paſtores ſunt, qui ſi officio ſuo fungi uellent, beata uiſione cum his paſtoribus fruerentur. [Angelus (inquit.) Domini aſtitit illis, & claritas Domini circunfulſit illos.] quod ait, [claritas Domini,] idem eſt, ac ſi dixiſſet, claritas magna. mos enim eſt Hebreæ linguæ, maximum quodque & præſtantiſsimum Diuinum appellare, ut [*montes Dei.*] [*cedros* Pſal. 35.
Dei.] rectè uerò angelos lucis claritas comitatur. ſic & cum ange- Pſal. 79.
lus ad Petrum acceſsit, [*lumen refulſit in habitaculo carceris.*] huius Act. 12.
luminis ut eſſemus participes, inuitans nos Dominus aiebat. Ioan. 12.
[*dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis ſitis.*] & ijs, qui iam facti erant, aiebat Paulus, [*eratis aliquando tenebræ, nunc autem* Ephe. 5.
lux in Domino, ut filij lucis ambulate.] hanc ſi lucem ſæpius ante oculos poneremus, non uerſaremur in tam denſis tenebris, quibus ij, qui filij lucis eſſe deberent, ſunt circunſepti. Illis ergo hac luce perterrefactis. nam imbecillitas humana nouas eiuſcemodi atque improuiſas res non facile fert, quamuis ad multò maiora ſimus facti, nempe ad uiſionem Dei. ijs inquam expauescentibus, primum timorem aufert angelus, & ait. ne timeatis. deinde cauſam addit. [ecce enim annuntio uobis gaudium magnum.] at hęc gaudia, quę angeli annuntiant, quę hominibus facta ſunt, ignota nunc ferè ſunt eiſdem hominibus. quotus enim quiſque eſt, qui tam admirandam philoſophiam contempletur? qui in ea deliciari delectetur? qui huius diei celebritatem admiretur? nunc hi natalitij dies in crapulam, & ebrietatem & comeſationes conuerſi ſunt. lectioni Diuinarum ſcripturarum, & tantorum myſteriorum contemplationi ſucceſſerunt ludi, & ioci, & fabulę, & obſcenę interdum collocutiones, & natalicij Seruatoris dies in bacchanalia ſunt commutati. O monſtruoſam ingratitudinem, & cui ulciſcendę non una Geenna ſatis ſit. quibus diebus eccleſia Chriſti aduentum filij Dei ad nos per acceptam naturam noſtram ce-

 lebrat,

lebrat, eisdem ipsis ijs qui Christum profitentur, dissolutiorem uitam agunt, quàm reliquo anni tempore. quid hoc tam impio abusu monstrosius excogitari queat? qui abusus si aliquando Dei benignitate auferatur, non credent posteri, cum hęc audierint, ista unquam fieri potuisse, quæ nunc ob deprauatam consuetudinem passim sine ulla admiratione fiunt. [Annuntio (inquit) uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.] celebris erat apud omnes Iudęos & peritos & imperitos Christi expectatio, qui Hebræa lingua dicitur Messias. sed Lucas Græcè scribens, Græco uerbo usus est, sed utrunque, uidelicet & Christus & Messias idem significant. nam utraque uox ab unctione nomen habet. usus est ergo angelus in hac annuntiatione, uocabulo, quod apud omnes tritum erat, ut facile intelligerent, quid loqueretur. neque uerò hoc contentus fuit angelus, uerum, ut inueniendi ac uidendi huius Seruatoris copiam haberent, adiecit. [et hoc uobis signum. inuenietis infantem fasciis inuolutum, positum in præsepi.] profectò enim signo opus erat selectiori, ut hic infans à reliquis dignosceretur. & signum datum fuit, cui simile nunquam fuisset auditum. nam fascijs quidem infantes inuolui commune est, sed præsepe pro cunis habere, huic infanti fuit peculiare. neque uerò, præter humilitatis exemplum, sine mysterio factum est. ut

Psal. 48. hic infans in præsepi poneretur. [*homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus* erat *iumentis insipientibus, & similis factus* erat *illis.*] uenit autem hic, ut insipientiam istam auferret, atque efficeremur eius generis iumenta. quemadmodum de se propheta dicebat. [*ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*] et, quando iumentis præsepe notum est, aptè in præsepi positus est, ut à iumentis agnosceretur. qui si in regio lecto fuisset collocatus, nulla iumentis adeundi illius facta fuisset copia. O admirandam philosophiam, quæ Iudæis quidem offendiculo

Psal. 72.

1.*Cor.* 1. est, & sapientibus huius seculi stultitia uidetur, [*nobis uerò Dei uirtus & Dei sapientia. nam quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*] atque id sanè oportuit. [*postquam enim in sapientia* Dei *non cognouit mundus per sapientiam Deum, uisum est Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.*] hæc tamen stultitia tam fuit efficax, tan-

ibidem.

tamque secum & uim & sapientiam attulit, ut omnem mundi & sapientiam & potentiam sibi subegerit, eamque & stultam & imbecillam esse declarauerit, & impletum sit, quod scriptum est. [*perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. ubi enim sapiens? ubi scriba? ubi disputator seculi huius? nonne infatuauit Deus sapientiam mundi huius?*] unum est, quod satis admirari non possum, quòd scilicet huic signo, quod angeli pastoribus dederunt ad Christum agnoscendum, ita passim ab ijs, qui Christum profitentur, contradicatur. cum enim subditorum natura sit, principum mores imitari, tam admirandum tanti principis, nempe regis regum & Domini dominantium, factum non solum non student imitari, sed uehementer auersantur. Christum, ut sibi uidentur, quærunt, angelus docet, ubi sit inueniendus, [inuenietis (inquit) infantem fasciis inuolutum, & positum in præsepi,] et homines illum in serico, purpura, bysso, ac lectis eburneis quærunt. sed isti audient illum, cum loqui cœperit (nam infans nunc est) dicentem, [*quæritis me, & non inuenietis, quia ubi sum ego, uos non uultis uenire.*] Videte uerò officiosum mentium illarum cœlestium morem. [& subito (inquit) facta est cum angelo multitudo cœlestis militiæ, laudantium Deum, & dicentium. gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas.] gratulantur angeli nobis ob tam ingens bonum, nostro generi oblatum, & nos inuicem alter alterius bonis inuidemus. gratulantur nobis maximum hoc donum, dignum cui ipsi inuideant. nos uerò ne illud quidem cogitamus. & uide insignem nostram, & ingratam uecordiam. intelligentes angeli supremam erga nos Dei charitatem, propter quam tradidit unigenitum suum, ut se pro nobis ita demitteret, in gloriam Dei redundare dicunt, quòd hac ignominia, nostri gratia, affici uoluerit filium suum, ut in stabulo nasceretur, & poneretur in præsepi. nos uerò gloria mundi in Dei ignominiam abutimur, perinde quasi contraria illi omnia facta rependere decreuerimus. [Gloria in altissimis Deo, & in terra pax. hæc est illa pax, de qua scribit apostolus, [*ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semet ipso in unum nouum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam. &*

ibidem. *Apo.19.* *Ioan.7.* *Ioan 3.* *Ephe. 2.*

ueniens euangelizauit pacem uobis, qui procul aberatis, & ijs, qui prope.] [In terra (inquit) pax, hominibus bona uoluntas.] εὐδοκία. quam nos reconciliationem possumus appellare. est autem sensus, [bona uoluntas[Dei erga homines hæc fuit, ut illis reconciliari decreuerit. de qua reconciliatione Paulus item ad Corinthios

2.Co.5. scribens ait. [*Qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis. quandoquidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua, & posuit in nobis sermonem reconciliationis. itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquàm Deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliamini Deo.*] Quàm oporteret, nos, quemadmodum admonet propheta, uacare, & ocium ab externis curis agere, ut contemplari liceret tantam Dei erga nos benignitatem. eramus inimici, & continuas aduersus Deum inimicitias exercueramus. bellum hoc nihil obesse Deo poterat, sed tantum nobis. & tamen benignissimus pater pacem rogat, & postulat, nos sibi reconciliari. quasi hæc reconciliatio illius potius, quàm nostræ utilitati esset inseruitura. assuescamus obsecro contemplandis cœlestibus hisce mysterijs, & diuitias nostras agnoscere incipiamus. imitemur hos beatos pastores, de quibus ita scribit idem Euangelista Lucas. [& factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, & homines pastores mutuò loquebantur. transeamus usque Bethlehem, & uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. & uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepi.] cum uidissent autem, diuulgauerunt de uerbo, quod dictum erat ipsis de puero hoc. idem ipsum & nobis faciendum est. mutuò colloquamur de his mysterijs. mutuò adhortemur alter alterum. inuisamus Diuinum hoc præsepe, quod filius altissimi non abhorruit. discamus hoc exemplo submissè nos gerere. pudeat puluerem, ac cinerem insolescere, cum uideat Dominum maiestatis, & uniuersorum regem tam egenum

2.Co.8. & inopem factum hanc unam ob causam, ut nos sua inopia ditaret. accingamur ad crucem cum illo ferendam, quam ferre post ipsum non ualebimus, nisi eadem iecerimus fundamenta, quæ ipse posuit in ipsis nascendi initijs. à quibus fundamentis intueri licet, quàm egregiè structura creuerit. secuta est enim eius uita,

Luc.9. ut, cum uulpes foueas habeant, & uolucres cœli nidos, ipse non habuerit,

habuerit, ubi caput reclinaret. demum, ut consummatum opus redderet, in cruce, teterrimo, ac crudelissimo mortis genere, supremum diem clausit, atque hac uia ascendit super omnes cœlos, & sedet ad dexteram Dei. [*super omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro.*] quę cogitatio ad maxima quæque perferenda animare nos debet. promissum enim est nobis fore, ut, si simul patiamur, simul etiam cum eo regnemus. cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium in secula seculorum. Amen.

Eph. 1. *2.Tim.*2.

ORATIO LII.

De Epiphania Domini.
In illud Matthei, Cum natus esset Iesus, &c.

QVAE in Domini; ac Seruatoris nostri Iesu Christi natiuitate facta audiuimus, ita admiranda quidem sunt, ut ignorem, quo pacto audiri possint admirabiliora, cuius rei causa etiam superiore oratione fuit dicta. sed tamen & ea, quæ hodie ex Matthæo recitantur, sunt admirabilissima. quem Matthæum cum uideam prætermisisse tam multa, quæ in conceptionis & natiuitatis Domini narratione à Luca descripta sunt, tantæ maiestatis plena, uerissimum esse reperio, quod ait Ioannes Euangelista. qui excusare uolens, cur non omnia scripserit de Domino Iesu, adiecit, [*quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos libros, qui scriberentur.*] quare nihil mirum est, si & Lucas, qui tam accuratè ea descripsit, quę ad generationem pertinent, & ortum Domini Seruatoris, tantam rem prætermisit, quam Matthæus attigit Euangelista, & quam hodie quanta possumus breuitate, Deo iuuante explanabimus. [Cum natus esset (inquit) Iesus in Bethlehem

Ioa. 21. *Matt.*2.

Iudææ

Iudææ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente profecti sunt Ierosolymam dicentes. ubi est ille, qui natus est rex Iudæorum? uidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus, ut adoremus eum.] O thesauros Christianæ philosophiæ. quis est hic, qui ponitur in præsepi, & mox annuntiatur ab angelis, declaratur à stellis? quis hæc dignè mysteria explicet? quàm purgatis esset opus mentibus ad hæc peruestiganda? rursus quis excusare potest, cur non in hanc se philosophiam det? idiota es? ecce primi sunt pastores, rude hominum genus, qui tantum nuntium accipiunt. disciplinis operam das, & ingenio præstas? & ipse Magorum exemplo inuitaris, quibus in rerum cœlestium contemplatione occupatis, stella ostensa fuit, recentem ortum Dei manifestans. & uide, ut aptè omnia se
1.Co.1. habeant. [*Iudæi* (ait Paulus) *signa petunt, gentes sapientiam quærunt.*] & in ipso Domini ortu utrique parti satis est factum. nam pastoribus, qui ex Iudæis erant, signum fuit ab angelo datum. dixit e-
Luc. 2. nim: [*& hoc uobis signum. inuenietis infantem fasciis inuolutum, & positum in præsepi.*] Magis uerò, qui ex gentibus accesserunt, quique cœlestium rerum & humanæ philosophiæ studio operam dabant, per eadem, quibus studebant, hæc beata fuit declarata natiuitas. ut doceamur, in qualibet facultate ac professione, nunquam defuturam occasionem iis, qui agnoscere Christnm uelint. Sed nollem, quempiam uestrum, ex hoc loco, sui decipiendi accipere occasionem. ut opinetur licere sibi in astrologicam uanitatem incumbere propterea, quòd & hi Magi, qui Chaldæorum sapientes fuisse feruntur, ubi uigebat astrologia, huic facultati operam dedisse uideantur. nam minimè reperitur, eos diuinatricem astrologiam exercuisse, quam scripturæ sacræ manifestè damnant.
Esa.47. [*Stent* (ait Esaias) *& saluent te astrologi, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent uentura tibi.*] & in Ieremia ostenditur, ethnicorum hoc esse, & eorum, qui sine
Ier. 10. Deo sunt, [*iuxta uiam gentium* (inquit) *nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.*] Naturalem uerò cursum siderum, & uarios eorum motus, & cęlestem illam choream contemplari, atque in illis Diuinam intueri ac celebrare maiestatem, hoc piorum est, qui discunt, ex iis, quæ facta sunt Deum agno-
Rom.1. scere, atque illius maiestatem. [*inuisibilia enim Dei* (ait Paulus) *ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaque*

quę æterna eius potentia ac Diuinitas.] quod & sancti uiri fecerunt. " præsertim in cœlorum contemplatione. quare aiebat Dauid. [*ui- debo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.*] & alibi. [*cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum e- ius annunciat firmamentum.*] & bona illius psalmi pars in eo occu patur, ut Diuinam in cœlorum fabrica commendet, ac celebret maiestatem. sic Ieremias laudandi Dei argumentum à cœlo & ijs, quæ per cœlum fiunt, accipiens ait. [*Dij, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de ijs, quæ sub cœlo sunt.*] [*qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & & prudentia sua extendit cœlos. ad uocem suam dat multitudinem a- quarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremis terræ, fulgura inter pluuiam facit, & educit uentum de thesauris suis.*] Et hac qui- dem uia utile est siderum motus intueri, ut his quasi gradibus ho mines euehantur in cœlum. at ea astrologia, qua nunc utuntur homines, è cœlo potius ad terram trahit, quemadmodum olim is, qui princeps inter ethnicos philosophos fuit, dicere solebat. cer nas enim passim plerosque omnes, qui astrologia delectantur, actiones suas omnes ad sidera referre, & eorum motibus regi, perinde quasi nullus princeps illis præsideat, qui mundum re- gat. quod quàm eos deceat, qui Christianam ueritatem profiten tur, iudicare quisque potest. neque saltem permouentur iudicio externorum philosophorum, qui, præsertim pręstantiores qui- que, hanc semper uanitatem damnauerunt, quod ut facilius cre- datis, libet maximi inter Platonicos uiri, Plotini uerba recita- re. *Si stellæ* (inquit) *anima carent, nihil aliud præter calidita- tem, atque frigiditatem ac similia quædam adducere poterunt, si mo- do stellas ullas esse frigidas concesserimus. sic usque ad corporum nostro- rum naturas tantum, actiones suas & munera propagabunt. sapien tes autem, & ignorantes, item alios quidem grammaticos, alios rhe- tores, alios diuites, alios pauperes, qua ratione faciant, non uideo. similiter & alia, quæ nullo modo ex ipsa corporum mixtione causam, propter quam fiant, habere possunt, ueluti quòd talem habeas fra- trem, talem patrem, cæteraque id genus. Sin autem animata cœle- stia sunt, aguntque consilio, dic obsecro, quidnam iniuriæ à nobis acce- perunt, unde nobis sponte quotidie noceant? præsertim cum in sede Di- uina locata sint, & ipsa Diuina. Ridiculum etiam est, secundum*

Psa. 8.

Ps. 18.

Ier. 10.

Ier. 51.

quam-

" *quamlibet cœli particulam, quam præcurrit, planetam alterius fieri*
" *alteriusque naturæ. item aliam habere naturam cum exoritur, atque*
" *est in angulo, aliam cum declinat. non enim tunc quidem gaudet, quan*
" *do est in angulo, tunc autem dolet, aut torpet, quando declinat.* Præ-
" *terea, cum quilibet alijs quidem angularis sit, alijs uerò cadens, non*
" *eodem tempore delectatur & mœret, irascitur, ac mitigatur. at ue-*
" *rò neque dolere, neque pro tempore delectari eis, est concedendum;*
" *immo semper esse tranquillos.* Præterea absurdum uidetur, hunc qui-
" *dem planetam huius aspectu gratulari, illum uerò conspectu illius of-*
" *fendi. nam quæ inter illos, & qua de re potest esse discordia? postremo*
" *quod aiunt, alium quidem in huius sedibus positum oblectari, contra*
" *uerò, alterum in ipsius sedem receptum, perinde se habere uidetur, ac si*
" *quis, cum duos quosdam inter se amicos esse concesserit, deinde tamen*
" *asserat, alterum quidem diligere alterum, uicissim uerò alterum habere*
" *odio alterum.*] In eodem item libro, qui inscribitur, utrum stellæ
" aliquid agant, sic ait. [*nulli prorsus uni gubernationis auctoritatem*
" *ascribere, sed ijs attribuere cuncta, quasi non unus præsideat prin-*
" *ceps, à quo dependeat uniuersum, distribuente uidelicet unicuique*
" *munera propria naturaliter peragenda. in quibus deinceps similiter*
" *coordinata sunt omnia, id certè hominis est & soluentis ordinem, in*
" *quo ipse connumeratur, & ignorantis uniuersi naturam, principium*
" *habentis, causamque primam, per omnia uim suam penitus propagan-*
" *tem.*] & paulò post. [*Diuitiæ & paupertas externorum concursu*
" *contingunt, uirtutes autem ob id, quod in anima est antiquius atque*
" *præstantius. uitia uerò ex commercio quodam animæ, cum externis.*]
" hæc ille, & plura in hanc sententiam alia, quæ breuitatis causa
" prætermisimus. Et sanè si cogitemus cœlorum operationem,
" non facile istorum, qui diuinatrici astrologiæ fauent, somnijs
" decipiemur. hæc enim duo sunt cœlestis corporis propria, mo-
" tus & lux. & actio quidem cœli per motum uniuersalis est, quod
" euidens est, dum pariter & descendenti glebę & ascendenti flam
" mæ, & diuersis generibus motus, unus & idem cœlestis motus
" cooperatur. lux uerò est summa qualitas corporum, ratione au-
" tem uitę est in natura corporea primus uitæ gradus. non quòd
" uiuat, aut uitam offerat, sed corpus uitæ capax ad uitam prępa-
" rat. quia sequitur lucem calor quidam cœlestis, salutaris, omnia
" penetrans, omnia fouens, omnia moderans. motus tamen ne-
cessarius

cessarius est, ut lumen & calorem hunc deuehat ad nos, & lux ac motus nos quoque calori reddat habiliores, cuius caloris uis omnibus his inferioribus est necessaria. Præter motum & lucem, & qui prodit à luce uiuificus calor, alios à sideribus ad nos influxus descendere, aut illis inesse corporeas alias effectiuas qualitates, nulla experientia monstrat, id quod præstantissimi etiam philosophi asseruerunt. quare in hoc corporeo mundo nihil quidem fit sine cœlo, uerumtamen quòd hoc aut illud fiat, id à cœlo non est, sed à secundis causis, cum quibus omnibus cœlum talia facit, qualia ipsę facere natæ sunt, siue illę ad speciem, siue ad indiuiduum causæ pertineant. Ingeniorum ergo & morum uarietas non cœlo ascribenda est, sed à corporis habitu, & plurimum ab educatione & assuetudine pendet, quæ naturę uiribus appropinquat. accedunt leges, quibus in ea re plurimum inest momenti, adeo ut feras nationes mansuetissimas reddere, si rite ferantur, & contra, fortissimas eneruare, atque ex optimis reddere malas, si sunt malę leges, facillimè possint. ex quo arbitrij libertas contra omnem naturę necessitatem euidentissimè declaratur. Hęc cum ita se habeant, nihil mirum est, astrologos mentiri frequentissimè, dum cœlis multa ascribunt, quę ad eos non pertinent, atque ad erroris sui confirmationem, fingunt in cœlo imagines, signa, partes, domos, & alia huius generis, ex quibus suas erroris opiniones astruunt. at illa non fecit Deus in cœlo, sed mentitus est hominum deceptor astrologus. quocirca nihil mirum, si nullam rem futuram certa ratione prænoscere res ipsa potest. at nautæ, medici, agricolæ, proprijs ac proximis causis indicijsque nituntur, & ideo rarò excidunt à ueritate. Quid? quòd astrologi ipsi facultati suę ingentes calumnias struunt, neque id aduertunt, dum affirmant, hoc aut illud sidus damnum afferre mortalibus, quod maximi philosophi facilè refutant, dicuntque, eum, qui crediderit, Martem, aut sidus aliud quoquo modo dispositum nocere corporibus, aliena credere ab omni philosophia. & profectò ita est, nulla professio cœlo est magis iniuria, quàm astrologica superstitio, quę, quicquid à nobis fit pręter rationem culpa uoluntatis, quicquid in materia euenit pręter ordinem uitio temeritatis, labilisque naturę, id totum sideribus acceptum refert, nec putat illorum saluam dignitatem, si non il-

lis indignissima quæque ascribat. Nihil ergo (inquies) dandum sideribus est? hoc ego non prohibeo, dabimus enim id, quod maximum dari potest citra apertam calumniam ueritatis. ut scilicet omnium planetarum ad nos defluuia cum uirtute proueniant, & alijs alias inesse proprietates, non modo calefaciendi, frigefaciendi, humectandi, & exsiccandi, sed occultiores etiam, unde uaria munera, terrenorum turba sortiatur. ut non omnem proprietatem, quam habent homines, cæteraque natura corporalis inferior à suis causis proximis habeat, sed aliquam etiam à cœlestibus. quæ omnia licet concedamus, nulla tamen est ea ars, qua ex astris uaticinari se astrologi profitentur. quos si aliquando contingat uerum dicere, non continuò ea appellanda est ars, cum multò plura mentiantur, quàm uera dicant. & sanè miror, cum mos hominum sit, ut, si quis semel mentiatur, ei postea habere fidem uereantur, quo pacto astrologis tam multa mentientibus, fidem tamen habere audeamus. Neque uerò mirum, si ipsi sibi minimè constent, cum tantam in natura cœlestium corporum inconstantiam ponant, quantam nec in rebus inferioribus, quanquam maximè fluxis, est uidere. dicant enim obsecro, defluxuum sideralium proprietates illas quid putent, an de natura ipsa atque substantia siderum eas proficisci, an de ui aliqua potius extrinsecus immissa, siue à duodecim cœli locis, siue à signis, siue à mutuis inuicem radiationibus hausta? si primum respondeant, non possunt proprietates illas mutare, nisi & ipsa astrorum substantia commutetur. si secundum malint, erunt cœlestia corpora omnium corporum ignobilissima, quæ nil ferè à propria natura, sed penes extrinsecus ingruentem uim & affectum omnia faciant. præterea cum tam multus stellarum numerus sit, ut soli Deo earum numeratio tribuatur. [*qui numerat* (inquit) *multitudinem stellarum.*] cumque singulas uim suam habere credendnm sit, quod idem propheta uidetur significauisse, cum adiecit. [*& omnibus eis nomina uocat.*] nam recta nominis appellatio tunc est, cum rei naturam ac proprietatem nomen exprimit. cum item minimam earum partem hactenus nouerint, nam paulò amplius quàm mille ex eis se fatentur intelligere, quomodo fidere arti suę possunt, cum minima stellarum parte utanrur ad sua iudicia confirmanda, reliquam omnem ignorent,

Psa. 146.

ibidem.

quæ

quę multò plura posit, quàm exiguus ille ab eis agnitus numerus? Accedit ingens antiquorum & recentiorum inter se discrepantia. nam Aegyptiorum & Chaldæorum astronomi supra orbem octauum nihil esse arbitrati sunt, quos secuti sunt Plato, & Aristoteles, & Hipparchus, & Ptolemæus. posteriores uerò intelligentes, plus uno motu uni sphęræ ex se non conuenire, & triplicem in cœlo motum deprehendentes, nonam & decimam addiderunt. ex hac ergo tam uaria, tamque multiplici opinione, incerta redditur astrologia diuinatrix. nam si supra octauam duæ alię sphæræ sunt, falsa est omnis ueterum astrologia, qui potentissimis cœli partibus ignoratis, imperfectis obseruationibus sunt innixi. quoniam sphęræ illæ inefficaces esse non possunt. Sed esto, concedatur, nunc omnem cœlestium motuum ueritatem exstare, non tamen continuò ars astrologicæ diuinationis erit uera. nam tria sunt cognitu necessaria, si de rebus futuris uera prędicenda sunt. primum ut rei initialis hora cuique fideliter teneatur. alterum, ut statum cœli siderumque positionem ad eam horam exactè comprehendamus, tertium, ut illa cœli siderumque positio quidnam faciat, rationibus ueris, aut non fallacibus obseruatum experimentis intelligamus, horum nihil posse agnosci, uel qui sciuerit, hactenus non extitisse, à doctissimis uiris probatur. In summa, astrologia prudentiam tollit, aduersa est religioni, uitijs patrocinatur, philosophię notas, ac ueras rationes ad fabulas conuertit, & medicinam quoque à naturalibus remedijs ad uanas superstitiones transfert. Sed nimis fortasse multa pro temporis ratione dicta aduersus hanc uanitatem sunt. nunc ad Euangelicam historiam reuertamur, atque ad hos beatos Magos, qui non iccirco Magi sunt appellati, quòd magicam artem exercerent, sed pro nationum, ac gentium uarietate, ij, qui sapientię & scientię operam dabant, nomina habebant. quos enim nos sapientes uocamus, Gręci sophos siue philosophos, Galli olim Druidas. Indi Brachmanas, Aethiopes Gimnosophistas, Chaldæi appellabant Magos. Vide uerò Euangelistæ in historia scribenda prudentiam, non enim dixisse contentus fuit, [Cum natus esset Iesus, sed adiecit, in Bethlehem Iudææ, in diebus Herodis regis.] quia dicturus postea erat, Herodem turbatum fuisse, & interrogatos pontifices & scribas, ubi

Christus nasceretur, respondisse, [in Bethlehem Iudaæ.] iuerunt autem Ierosolymam, ut totius regni metropolim, in qua præcipuè sciri posset, ubi eorum rex recens natus esset. quare ut qui institutum iter iam confecissent, dixerunt, uenimus ut adoremus eum. & ne tacuerunt quidem causam, cur hoc sibi persuaderent, quòd scilicet rex Iudæorum natus esset. dixerunt enim. uidimus stellam eius in oriente.] quem enim à cœlo declaratum uiderant, dubitare non poterant eum esse natum. quod autem appellant [stellam eius,] non hoc fauet astrologis, quasi sub illius stellæ potestate natus sit Christus, ut hinc affirmare uelint, unumquenque, cum nascitur, fatalibus sideribus esse obnoxium, sed appellant [stellam eius,] quę scilicet illius ortum declarauisset,
Nu. 24. quod scire potuerunt ex prophetia Balaam, cum dixit. [orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israel,] ex qua prophetia intelligere potuerunt, hunc longè lateque dominaturum, qui singulari signo fuisset à cœlo demonstratus. quare ut qui & ipsi ad illius regnum se pertinere arbitrarentur, rem sibi debitam facere existimauerunt, si ad eum adorandum uenissent. Auditis autem his, [Herodes rex turbatus est, & tota Ierosolyma cum illo.] quod ait, urbem etiam Ierosolymam turbatam esse cum rege, hoc est, commotam, non hoc dicit, quòd ægrè tulerit hoc nuntium, quod Iudęis erat omnium optatissimum. nihil enim auidius expectabant, quàm sui Mesiæ aduentum. sed commoti sunt ob rei nouitatem. cum enim nihil minus cogitaretur, quàm de Mesiæ ortu, ubi audiunt peregrinos homines eum natum annunciare, & testem uisam stellam adhibere, consentaneum fuit, eos commoueri. sed nihil præterea studij illos adhibuisse reperimus, ad rei ueritatem peruestigandam. & in ipsis initijs præsignatum fuit, quid Iudæa gente esset faciendum. sicut enim nato Christo primitiæ gentium Magi tam alacres fuerunt, ut nullum tanti itineris incommodum senserint, modo regem, quem quęrebant, reperirent. Iudæi uerò inertiam præ se ingentem tulerunt, sic factum postea est, ut, cum passim prædicatus fuit Christus, gentes promptè illum acciperent, Iudęi auersarentur. Et conuocatis omnibus pontificibus & scribis populi, percunctatus est eos, ubi Christus nasceretur. [at illi dixerunt ei, in Betlehem Iudææ. sic enim scriptum est per prophetam. & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima

minima es inter principes Iuda. ex te enim mihi exibit dux, qui reget populum meum Israel.] hoc testimonium acceptum ex Michea est, in quo, ut mos est apostolorum, & Euangelistarum, Matthæus maluit sensum quàm uerba referre. nam Micheas ita dicit. [*Et tu Bethlehem Ephratha paruulus es in millibus Iuda. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.*] ut sit sensus. urbs quidem paruula es, si mœnia spectes, maxima autem, si ducis nobilitatem attendas. sensum ergo transtulit Matthęus. sunt tamen ex Hebręis, qui illa uerba, paruulus es, per interrogationem proferant, qua negatio includitur, & tunc idem erit cum uerbis Euangelistæ. [Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligenter quæsiuit ab illis tempus stellæ, & iussis ire in Bethlehem dixit. profecti accuratè perquirite de puero. cum autem inueneritis, renuntiate mihi, ut & ego profectus adorem eum.] Clam accersit Magos Herodes, & perquirit, quo tempore stella apparuisset eis. cum enim temporarium regnum expectati Messię opinaretur, mox suspectum eius ortum habuit. quare occultis artibus quærit eum è medio tollere, nequis Iudæorum tumultus excitaretur. itaque simulat, & se uelle ad illum adorandum proficisci, ut inuentum infantem nullo negocio interficeret. uerum, quia non est sapientia, neque consilium contra Dominum, qui apprehendit sapientes in sapientia eorum, factum est, ut Herodis malitia non omnia excogitauerit, quę ad facinus patrandum uidebantur necessaria. non enim permisit Deus, ut ueniret illi in mentem, mittere quempiam è suis, qui exploraret, ubi suspectus infans esset, quem opportuno tempore occideret, ita uerum est, quod ait Salomon. [*multæ cogitationes in corde uiri, consilium autem Domini in æternum permanebit.*] Et hæc quidem Herodes, subdolè omnia tractans. Magi uerò, qui ex ijs erant, de quibus idem Salomon ait. [qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, audito rege abierunt,] nullam fraudem suspicati. [& ecce stella, quam uiderant in oriente, antecedebat eos, donec ueniens staret supra locum, ubi erat puer. cum uidissent autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde.] Scio non deesse uiros doctos, qui opinentur, hanc stellam totius itineris fuisse ducem, uerum si Euangelistæ uerba intueamur, non facile ex eis colligi hoc potest. cum enim ingressi Ierosolymam quęrerent natum regem, dixerunt, [uidimus stellam eius in oriente] quæ si illuc usque comi-

Mich. 5. *Pro. 21.* *Pro. 19.* *Pro. 10.*

comitata eos esset, proculdubio hoc dixissent ad certiorem rei euidentiam, & maius miraculi incrementum. in eundem modum nunc. [& ecce (inquit) stella, quam uiderant in oriente, antecedebat eos.] non quę eos vsque Ierusalem esset comitata. cur autem gauisi sint gaudio magno, hæc eadem fuit causa, quòd scilicet postea, quam illam in oriente vidissent, non expectabant, ut illam amplius viderent. neque uerò necessarium fuit, vt stella eos in itinere comitaretur. ubi enim uisa in oriente ostendit Iudæorum regem natum, iam ipsi iter in terram Iudęam norant, ut opus non esset ductu stellæ. restabat tantum, ut, quoniam nescirent homines, ubi infans esset. eadem stella locum ostenderet. quare opportunè, ubi iter Bethlehem uersus arripuerunt, antecessit eos, & stetit supra locum, ubi erat puer. [ingressi ergo domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & prostrati adorauerunt eum.] Vide quanta sit fidei uis, atque à Diuinis pendere oraculis. non sunt offensi uili domicilio stabuli, quo quid abiectius poterat reperiri? non dixerunt, qui fieri potest, ut tantus rex, cœlestibus indicijs declaratus tam humili contineatur habitaculo? ubi sunt regis insignia? ubi satellitium? ubi splendor domus? has omneis offensiones abstulit stellę contemplatio, quam certò sciebant mitti Diuinitus, non à cœlo, sed à cœlorum rege, huic obeundo muneri pręparatam. hanc offensionem euadere nescierunt Iudęi

Ioan. 10. quibus cum diceret Dominus, [*si mihi non uultis credere, factis credite.*] &, [*opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me,*] non ei fidem habebant, sed infirma eius

1. Pe. 2. pręsentia offendebantur, & [*factus est eis lapis offensionis & petra scandali,*] dum à temporarii potius splendoris contemplatione, quàm à Diuinis miraculis pendere uoluerunt. multo uerò magis offensi sunt, cum in crucem est actus, ac teterrimo mortis genere affectus, quod non fuissent passi, si fecissent, quod illos

Ioa. 5. identidem admonebat, [*scrutamini* (inquiens) *scripturas, ipsæ enim testimonium perhibent de me.*] si peruestigassent, quemad-

Act. 13. dum ait Paulus, ea, quæ prophetę prędixerant futura esse, & Moses. an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus esset populo, & gentibus. Quid uerò mirum, si his offensi fuerunt ii, qui nondum crediderant, cum ij, qui Christum regem suum profitentur, multo pudentio-

tiorem offenſionem patiantur? dum enim Chriſti humilitatem auerſantur, & eius uitæ conſuetudinem, quam in terra oſtendit, quærunt que ampla palatia, ſplendorem ueſtium, ſatellitum turbam, & uocari, domini, quid aliud quàm Chriſti præſepio & humili eius uita offenduntur, & ſolis quidem uerbis illum confitentur, factis autem negant? id uerò propterea illis accidit, quòd ad cœleſte lumen oculos nunquam attollunt, neque inſpicere curant, quis hanc philoſophiam à cœlo attulerit, quiue ſit crucis finis, nempe æterni regni hæreditas. immorantur in his temporarijs, & nunquam ſuſpiciunt æternitatem. at Paulus contrarium admonet. [*cogitantibus* (inquit) *nobis non ea, quæ uidentur, ſed quæ non uidentur. quæ enim uidentur temporaria ſunt, quæ autem non uidentur, æterna.*] Sed uideamus, quid poſt adoratum Dominum præterea fecerint hi beati Magi. [& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.] Diuinus ille ſpiritus, qui eos ad adorandum hunc regem exſtimulauerat, interiori etiam aſpiratione docuit, munera tanto regi conuenientia offerre. natus infans erat, & Deus, & homo, & rex. aurum ergo ut regi, thus ut Deo, myrrham, quæ uim habet ſeruandorum corporum, ut homini obtulerunt. quo peracto, [admoniti oraculo inſomnis (ait Euangeliſta) ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.] atque hoc pacto deluſa eſt Herodis uerſutia, ut aſſequi non poſſet, quod fuerat machinatus. Verum, quando Euangelicam hanc & admirandam hiſtoriam percurrimus, intueamur, quàm longo nos interuallo ab horum Magorum ſtudio diſtemus. illi ad unius ſtellæ ſignificationem tanta terrarum ſpatia conficere non recuſauerunt, ut hunc regem inuenirent, & inuentum in humillimo domicilio proſtrati adorauerunt. nos quibus nullæ peragrandæ ſunt regiones, cuius gloriam non exigua una ſtella, ſed cœli ipſi, qui illum aſcendentem ſuſceperunt, nobis enarrarunt, ſedentem à dextris Dei ſpernimus potius, quàm adoramus. num adorare illum eſt, contraria illius præceptis facta adhibere, ſi etiam corporis genua quis interdum ei inflectat? illi non contenti tanti itineris difficultatibus, pretioſa etiam dona addiderunt. nos, quamuis omnis conficiendorum itinerum labor ſublatus ſit, ne exiguis quidem donis illum munerare ſatagimus, & aurum ac pretioſas ueſtes malumus ocioſas in arca deliteſcere,

Tit. 1.

2. Cor. 4.

&æru-

& æruginem ac tineas thesauros nostros demoliri ac corrumpere, quàm illis Christum, à quo omnia habemus, honestare. Verum, quando non omnibus suppetunt corporeæ facultates, docebo uos, quo pacto hæc eadem munera, quæ oblata à Magis fuerunt, non minori cum fructu offeratis, & quæ Christo non minus, quàm illa Magorum, grata futura sint. credite hunc natum infantem, uerum Deum, à Deo patre genitum, eiusdem cum patre substantię, & ęqualem patri. eundem quoque uerum esse hominem, nostri similem per omnia præter peccatum. item regem esse uniuersorum, cuius regno omnia subijci, necesse sit, curetque unusquisque sub eius regno esse, eiusque imperio obtemperare, & obtulistis aurum, thus, & myrrham. & hæc quidem omnes cuiusque conditionis homines, qui Christum profitentur, præstare debent. uerum quibus aliquid suppetit facultatum, auro leuent Christi inopiam, qui quotidie in pauperibus esurit, sitit, nudus oberrat. hoc enim erit aurum Christo offerre. nam
Mat. 25. ipse dicturus est, [*quæcunque uni ex his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis.*] thus etiam offert, si squalorem & fœtorem carceris, quibus potuerit modis lenire captiuis curauerit. hoc enim erit ueluti redolens thus, & odor suauissimus Domino. myrrham offert, si, ut ægrotantium membra pristinam incolumitatem recipiant, operam dederit. quæ munera mystico Christi corpori data gratiora ei sunt, quàm ea, quę ipse à Magis accepit. quanquam & illa fuerunt gratissima, non utilitatis suæ gratia, sed ob gratum ac bene affectum offerentium animum. neque
Psal. 23. enim nostra quærit, sed nos. nam ipsius omnia sunt. [*Domini est terra* (inquit) *& plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo.*] quare cum bonorum nostrorum ipse non egeat, ea in eos, quos tam charos habet, ut fratres appellare non dedignetur,
Ps. 145. copiosè impertiamur. intueamur hunc, [*qui fecit cælum, & terram mare, & omnia, quæ in eis sunt,*] tam pauperem factum, [*ut*
2. Co. 8 *nos sua inopia ditaret.*] & ei quantas possumus maximas gratias referamus, qui quamuis propter nos fasciis sit inuolutus, & positus
Luc. 2. in præsepi, est tamen Deus super omnia benedictus in secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO LIII.

De amore.

QVAE res in hominum uita duæ plurimum possunt, ijs si rectè uteremur, beatissimus esset rerum humanarum status. eæ uerò sunt, amandi consuetudo, rerumque curiositas. cum enim duabus hisce rebus plurimum homines delectentur, ex earum abusu mala ferè omnia introducuntur. quòd si intelligerent, quæ sit uera amandi ratio, quíue recreandi animi modus humanæ dignitati consentaneus, longè profectò maiori uoluptate fruerentur, & uitam agerent beatiorem. Hoc autem uenit mihi in mentem dicere, cum cernam, per hosce dies, qui rectè Bacchanalia cum summa Christiani nominis ignominia, appellari possunt, totam ciuitatem amatorijs dissolutionibus, & inanibus quibusdam curiositatibus ita dissolui, ut ethnica potius quàm Christiana ciuitas queat appellari. quæ etsi moderatius fortasse, uel, ut rectius loquar, minus dissolutè se gerit, quàm ciuitates reliquæ, non tamen iccirco caret reprehensione, quoties ea facit, quæ à Christianis moribus abhorrent. Sed, quoniam uideo, horum errorum causam esse ignorationem, qua decepti homines, mala pro bonis amplectuntur, & cum arbitrantur amorem, qui furor est, & ea oblectamenta sectantur, quę dolores maximos pariunt, decreui de utraque re uerba facere, & de amore uidelicet, & quibus uiis oblectare animum liceat, ut nulla inde pœnitentia consequi posit. sed hodie de amore tractabimus, & quò plausibiliora sint, quæ sumus dicturi, ea etiam externorum sententiis astruemus, ut si quibus difficile uidetur Christianæ philosophiæ assequi perfectionem, saltem eos pudeat, ipsis ethnicis esse inferiores: ante ergo, quàm nostra proponamus, uidendum est, quid externi philosophi de amore loquantur. atque à definitione prius est inchoandum.

Amorem definiunt esse pulchritudinis desiderium, pulchritudinem uerò gratiam quandam esse, quę plurimum ex concinnitate quadam diuersarum partium maximè nascitur. eam uerò esse triplicem, animorum, corporum, & uocum. prior mente cognoscitur, altera oculis, tertia auribus. appetitionem uerò, quę per reliquos sensus fit, eosque sequitur, non amorem sed libidinem rabiemque uocari uolunt. concluduntque, cum amor desiderium sit pulchri, pulchrum uerò in concinnitate quadam ac temperantia collocetur, sequi, ut omnis amor honestus sit, & omnis amator iustus. ubi etiam obiter est aduertendum, illud, quod nos dicimus pulchrum, Græcis appellari καλόν, quod & pulchrum & bonum significat. ex qua re aliam etiam definitionem amori dant, ut dicant, amorem esse appetitionem, qua bonum sibi
„ semper esse quis cupit. [*erit ergo amor appetitio et pulchri et boni.*
„ *et amoris quidem principium* (ait quidam inter Platonicos maxi-
„ mus) *est antiqua ipsius pulchri insita animis appetitio, notio, cognatio.*
„ *quin & ij, qui Veneream poscunt mixtionem, in pulchro quodam pro-*
„ *creare percupiunt. quandoquidem dictu perabsurdum est, naturam pul*
„ *chram uolentem facere, nelle in turpi aliquo generare. sed enim illis,*
„ *qui, ut hic generent, incitantur, sufficit, quod hic pulchrum est, as-*
„ *sequi, quod quidem in imaginibus est, atque corporibus. siquidem*
„ *principale exemplar ijs minimè adest, quod quidem causa ipsis est,*
„ *pulchri etiam huius amandi. proinde penes illos, qui ab hoc pulchro*
„ *in superni pulchri reminiscentiam reuocantur, pulchrum hoc uelut*
„ *imago diligitur. at penes illos, qui minimè recordantur ob ignoran-*
„ *tiam, quam terreni affectus pariunt, nostra hæc uera pulchritudo*
„ *censetur. quòd si temperantes sint, inita cum hoc pulchro familiari-*
„ *tas uitio caret, lapsus uerò intemperantium in Veneream mixtionem*
„ *est peccatum. qui enim præter legem præterque naturam generare*
„ *contendunt, à naturali quodam impetu cursum exordiuntur, sed na-*
„ *turalem transgressi uiam, per lubrica delabuntur, prolapsique iacent,*
„ *ignorantes quo amor ducebat eos, & quorsum generationis appetitio*
„ *tendat, qua ratione imagine pulchri sit utendum, ignorantes denique*
„ *ipsum pulchrum. Profectò qui pulchra corpora non commixtionis*
„ *gratia diligunt, ob id ipsum, quòd pulchra sint, amant. rursus qui*
„ *amorem sequuntur mixtum, erga mulieres inquam, quò perpetuitas*
„ *generatione seruetur, neque ab hoc usquam aberrant, ij pulchritudi-*

nem

nem perpetuitatemque simul exoptant, atque temperati sunt ambo, «
quamuis alijs alij sint præstantiores. alij uerò sunt, qui per pulchrum «
in turpe delabuntur. appetitus enim boni sæpe labitur & in malum.] «
hæc ille. qui etiam alio loco ostendens, cur externam pulchritudinem homines plurimum sequantur, ait. [*nos cum nihil intimum* «
inspicere soleamus, & intima penitus ignoremus, nimirum extrinseca sequimur, ignorantes interea intrinsecus latere, quod mouet, perinde ac si quis suam uidens imaginem, & ignorans unde uenerit; «
eam ipsam sequatur. esse uerò aliud quiddam, quod ad se attrahit «
prosequentes, neque in magnitudine consistere pulchritudinem, testimonio nobis est pulchritudo, quæ disciplinis inest, & officijs, & prorsus in animo, ubi reuera pulchritudo uiget.] hactenus ille. Cum uerò pulchrum, ac bonum ita uicina inter se sint, ut dixerimus, Græcos uno uocabulo utrumque significare, ut euidentius intelligantur hęc, quę hodie tractantur, utriusque differentiam, ex eorundem sententia, demonstrabimus. quando hac oratione Aegyptios (quod Diuina lege permittitur) exspoliare decreuimus. sic ergo distinguunt. [*Omnia bonum appetunt necessitate naturæ,*] quasi quæ uaticinentur, se absque illo esse non posse. pulchri uerò notitia animis iam experrectis & cognoscentibus accidit. appetitio itaque boni cum sit antiquior, neque sensibus egeat, testatur ipsum antiquius & superius esse quàm pulchrum. accedit ad hęc, quòd omnes existimant, satis quandoque sibi fore, si bonum ipsum fuerint consecuti, quasi tunc demum ad finem usque peruenerint. pulchrum uerò non omnes satis sibi facturum existimant. Præterea plerisque satis sibi factum uidetur, si uideantur pulchri, quamuis minimè sint, bonum uerò non opinione duntaxat, sed reuera cupiunt posside re. omnes nanque, quod primum omnium est, potissimum sibi comparare contendunt. constat item, ipsum bonum pulchro minimè indigere, sed bono pulchrum. proinde bonum ipsum mansuetum est, lene, placidum, delicatum, atque, sicut quisque optat, solet occurrere. pulchrum uerò, uel stupidum reddit animum, uel concitatum, uoluptatemque cum dolore commiscet. denique incautos sæpe animos à bono inflectere consueuit, sicut amatum sępe à patre separat amatorem, Quod uerò diximus, omnia appetere bonum necessitate naturæ, ita uerum est, ut nihil unquam

ipsius mali causa fiat, sed boni, uel ueri, uel certe, quod ueri habeat similitudinem. siquis enim uel homicidium, uel adulterium, uel prauum quippiam facinus committat, non ipsius sceleris, sed satiandi appetitus causa facit, quę satietas res bona sibi uidetur. quare malorum etiam ipsorum principium, atque finis est bonum. boni nanque gratia omnia tum bona, tum contraria fiunt. nam, ut diximus, & mala facimus appetentes bonum. nullus enim malum spectans, quæ facit, aggreditur, quapropter neque substantiam malum habet, sed præter substantiam existens, substantia nititur aliena. Sicut ergo boni causa omnia fiunt, & nemo potest bonum odisse, sic amori, quem dicimus esse appetionem non solum pulchri, sed & boni, ita afficimur, ut sint quidem aliqui, qui Diuinam potentiam sępe audeant execrari, ut scelerum fulminatricem, nonnulli sapientiam eius oderint, quem scire nollent eorum facinora. amorem uerò Diuinum, bonorum omnium largitorem, nemo tam sceleratus est, qui posit non amare. Sed satis sit hæc dixisse de pulchri & boni tanquam descriptione quadam, quæ sunt partes, quibus amorem definiuimus, ut amoris natura euidentius intelligatur. nunc ad illud reuertamur, quod dudum ex ipsorum philosophorum sententia dicebamus, omnem pulchritudinem tribus duntaxat instrumentis percipi, mente, oculis, auribus. sed oculi, atque aures seruire menti debent, ut, cum pulchritudinem aliquam in corporibus intuentur, erigatur animus ad illius pulchritudinis auctorem contemplandum, atque laudandum, quemadmodum siquis pulcherrimum ingeniosissimumque ędificium intuetur, continuò laudat artificem, qui admirandam illam fabricam excogitauerit. qui uerò, ubi pulchrum corpus intuentur, quadrupedum ritu ad lasciuiam, carnisque petulantiam feruntur, ij à brutis animantibus nihil distant, quę uentrem duntaxat, & ea, quę sub uentre sunt, sectantur. & sanè miserabiles admodum ij sunt, qui tunc se pulchritudine aliqua frui arbitrantur, cum illa perdunt, suesque imitantur, qui in hortum aliquem ingresi, tum demum illo fruuntur, cum eum dissipant. Sed intelligere hos oporteret, pulchritudinem minimè rem esse corpoream, quamuis in corpore existat. nam illa proportio partium inter se cum coloris concinnitate, non est corpus, sed res

accidens

accidens corpori. quòd si pulchritudo res non est corporea, ne corpore quidem frui illa posibile est. quare animo est utendum, ut, siquando se offert oculis pulchrum aliquod corpus, oculi pulchritudinem illam ad animum transmittant, qui illam, ut ratione prẹditum animal decet, contempletur. quam contemplationem ad animum pertinere, uel illud argumento est, quòd animalia ratione carentia nunquam pulchritudine permouentur, ut quibus ea pars desit, qua pulchritudo dignoscitur. animus ergo accepta corporis pulchritudine, paulatim ad incorpoream pulchritudinem se eriget, intelligetque ea pulchra, quæ sunt in sensu, tanquam imagines esse, atque umbras, quę in materiam effluant, ut ipsam exornent. at uerò pulchra, quæ ijs superiora sunt, oculisque minimè patent, ascensu quodam contemplari debemus, sensum in infimis relinquentes. sed oportet animum prius fieri pulchrum, si intellectualem sit pulchritudinem agniturus, dum enim commercium habet cum corpore, turpis est, quemadmodum accidit auro turpitudo ob illam cum terra permixtionem, à qua si perpurgetur, continuò pulchritudo illius elucescit. quod idem & animo accidit, qui ubi à materia & corporearum cogitationum permixtione separatur, mox pulcher apparet, & ingenuus præterea, ac liber, tandiu uerò dum corporis affectibus obsequitur, & turpis est & captiuus. rectè enim quidam dixit, corpus à Græcis appellari σῶμα, quasi σῆμα, hoc est sepulcrum, & δέμας, quasi uinculum animi, ut, qui eius affectibus obnoxij sint, tanquam sepulcro quodam & cæco carcere detineri uideantur. Et hæc quidem, atque huius generis alia uiri ethnici sunt philosophati, quibus si inferiores uideamur, quàm probrosum erit hoc nobis, quibus hęc è cœlo est allata philosophia? hæc docet bonum hominis eiusque pulchritudinem in interioribus esse. [*omnis gloria (*inquit*) filiæ regis in interioribus est*.] hæc docet, nil curandum esse, si exterior homo noster corrumpatur, modo interior renouetur de die in diem. quòd siqui sunt, quos delectet pulchrorum corporum contemplatio, quod spectaculum admirabilius esse potest illo, cum [*fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*.] & apostolus. [*Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori claritatis eius.*]

Ps. 44.
2.*Cor.* 4.
Mat. 13.
Phil. 3.

eius.] illa erit absoluta corporum pulchritudo, cum omni ex parte erunt pulchra. nunc uerò quid est pulchrum in corpore, si etiam absolutissimum corpus accipias? nonne sola superficies est, quæ speciem illam præferat? interiora uerò nonne fœtidissimis sepulcris sunt horridiora? non cernimus omni ex parte eas sordes erumpere, quas tantum audiendo exhorrescimus? quis nostrum cernens uas stercoribus plenum, deinde egregiè depictum, rem pulchram arbitraretur? & tamen uidemus plerosque omnes in hæc non pulchra, sed quędam pulchri simulacra, atque umbras insanire, & in ea tempus, uitam, pecunias insumere. O' miserandam ignorationem. quousque erimus pueri sensibus? quando ab hoc somno continget expergisci? uidete quantum malorum afferat hęc sensuum hebetudo. nihil apud mortales frequentius est negocijs amoris. in hoc non solum iuuenes, sed senes etiam plerunque uersantur, & dum ignorant ueram amandi rationem, ueri amoris fructum amittunt, & falsi amoris damna ingentia referunt, neque id aduertunt. ita miseri nihil synceri amplecti scimus, sed solas rerum umbras sequimur. Tantò uerò nobis, qui Christianam philosophiam profitemur, est turpius in amandi ratione aberrare, quòd Christi philosophia amore constat, & Deus ipse amor est. [*Deus* (inquit) *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.] dum uerò Christiani homines amorem alium nullum forè tractant, & norunt, pręter illum, quem ethnici ut Deum adorabant, illum cantant, & celebrant, & circunferunt pro hymnis & canticis spiritualibus, quid expectandum est, nisi ut fiat, quod in diebus Noe accidit, cum aquis diluuij deuoratus fuit orbis terrę eandem ipsam ob causam, quòd scilicet caro esset, atque lasciuum amorem duntaxat persequeretur? non pudet tam egregium animal fieri, sicut equum & mulum, quibus non est intellectus? si nulla alia in re amorem occupamus nostrum, nisi in carnis lasciuia, quid ab asinis distamus ac suibus? non intelligimus saltem ex forma corporis, quantum nos à pecudibus distare oporteat? nam animantia alia in uentrem spectant, & ea, quæ sub uentre sunt, nobis uerò erecti uultus sunt dati, ut amorem nostrum ad ea, quæ uerè pulchra sunt, transferamus, ad quę etiam sumus facti. cur ergo non identidem attollimus in cœlum oculos, quæ regio nostra & patria

[Margin notes: 1. *Ioa*. 4. — *Ephe*. 5. — *Gene*. 7. — *Psal*. 3.]

tria est, & ubi uera sunt omnia? pulchritudo, diuitiæ, gloria, honores, omnia ibi certa & firma, & uera sunt. hic nihil uerum est, nihil stabile. intueamur regna, atque imperia, quæ res maxima uidetur omnium, quæ expeti possunt, & tamen quid à fabulis distant, quę in scena aguntur. quę post exiguum aliquod horarum spatium euanescunt? in eundem modum se habet corporum species. præterquam enim, quòd citò bona labitur ætas, ut poeta ille dixit, non'ne leuis fabricula omnem formosissimi etiam corporis gratiam delet? Quare contemnamus omnes ineptias, mihi credite, & amorem nostrum omnem eò transferamus, ubi omnis pulchritudinis origo ac fons est, ad Deum uidelicet, qui, ut hoc præstemus, iubet, ut eum toto corde, tota anima, omni mente, totis uiribus amemus, quod intelligens propheta, hortabatur ipse se, atque dicebat. [*benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius*,] quod nihil aliud erat, quàm optare, ut affectus suos omnes transferret in Deum. in hoc unum est incumbendum. quod cum fuerimus assecuti, quonam pulchro præterea indigebimus? huius adipiscendi gratia totis uiribus elaborandum est, ne forte relinquamur optimæ contemplationis expertes, quam quisquis assequitur, euadit felici uisione beatus. contra uerò, qui non assequitur, est infelix. non enim miser est, qui colores pulchros & formosa corpora non assequitur, neque qui à potentia & principatu regnoque excidit, sed qui huius solius caret possessione, pro qua sola certè, regna, imperia terræ totius & maris, atque adeo ipsius cœli oportet abijcere, quod ne cui nimis paradoxum uideatur, meminerit, quid regius propheta dixerit. [*quid enim mihi est in cœlo* (inquit) *aut quid præter te uolui super terram?*] quid ergo maius cœlo uis? [*defecit caro mea* (inquit) *et cor meum ibidem. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*] oportet ergo relictis ijs omnibus ad ipsum unum contendere intuendum. uerum quis modus, quæ machina, quæ ratio, qua inestimabilem quis pulchritudinem illam contempletur, in sacris adytis constitutam, neque prodeuntem foras, ne quis eam prophanus inspiciat? ingrediatur & progrediatur quicunque potest in intima, foris relinquens intuitum oculorum, neque solita spectacula sensuum posthac à tergo respectans. oportet enim, hanc intuentem, nihil

Mat. 22.

Psa. 102.

Psal. 72.

nihil penitus corporeç pulchritudinis ultra ſpectare, ſed agnoſcentem corpora hæc eſſe imagines ueſtigiaque & umbras, ad illud omnino confugere, cuius hæc ſimulacra ſunt. ſiquis enim ad hæc proruat, quaſi uera capeſſens, quæ tamen velut formoſæ imagines apparent in aqua, idem proculdubio patietur, quod, vt fabulç ferunt, ille perpeſſus eſt, qui vmbram captare contendens, in aquam ſeſe merſit, atque diſperijt. ſimili nanque pacto, qui formas corporum amplexatur, neque inde diſcedit, non tam corpore, quàm animo in profunda, tenebroſa, mentique horrenda prçcipitatur, vbi & apud inferos cæcus, & hic manens, vtrobique verſabitur inter vmbras. Quænam igitur hinc fugiendi ratio? & qua via veneficia Circes, Calypſusque deuitabimus? patria quidem noſtra ibi eſt, unde uenimus, ibidem quoque pater. quçnam igitur claſsis, & quæ fuga? haud ſanè pedibus eſt fugiendum, neque rurſus equos ad uehendum, neque naueis parare debemus. quin opus etiam eſt, ut uiſu corporis clauſo, alterum pro hoc uiſum aſſumamus atque ſuſcitemus, quem habent quidem omnes, utuntur uerò perpauci. Quidnam igitur intimus ille oculus inſpicit? profectò ſubitò experrectus haud valde lucida poteſt aſpicere. aſſuefaciendus igitur animus eſt, primò quidem ſtudia pulchra conſiderare, deinde opera pulchra, opera inquam, non quç fiunt ab artibus, ſed quæ à uiris probis, poſt hæc eorum animum, qui talia agunt, debes inſpicere. ſed quonam pacto, quale ſit animi boni decus inſpicies? te reuoca in teipſum, atque contemplare. quòd ſi nondum te agnoſcis pulchrum, ſtatuarium imitabere. hic enim ubi ſtatuam optat pulchram, partim quidem abſcindit, partim dirigit, & expoliturus abradit, partim læuigat & abſtergit, donec faciem in ſtatua exprimat ſpecioſam. ita & tu, tolle ſuperuacua, obliqua dirige, obſcura purgando, colluſtra, neque deſinas circa ſtatuam tuam elaborare, quouſque Diuinus uirtutis fulgor tibi ſubrutilet, unumque cum illo efficiaris. [*qui enim adhæret Deo, unus ſpiritus ſit cum illo.*] ſolus nanque hic oculus ingentem inſpicit pulchritudinem. at uerò ſi forte oculus, uel ſordibus infectus, necdum purgatus, uel ignauia debilis, in ſpectaculum lucidiſsimum intendatur, caligabit protinus, nihilque diſcernet. oportet enim uiſurum uidendo cognatum, ſimilemque prius efficere, quàm ad

1.Cor.6.

ad ſpectaculum adhibeatur. neque uerò oculus unquàm uideret ſolem, niſi factus ſolaris eſſet, neque rurſus animus, niſi factus ſit pulcher, ipſam pulchritudinem intuebitur. efficiatur ergo Diuinus ſiue deiformis quilibet, atque pulcher, ſi modo Deum ſit, ueramque pulchritudinem inſpecturus. Ad hoc autem tam ingens bonum aſſeqnendum, nulla aptior eſt, quàm Chriſtiana philoſophia, quæ ſola nobis cœlum & interiora uelaminis aperuit, ubi uera bona ueraque pulchra, quę amorem pariunt, continentur, atque hoc habet maius, quàm ethnicorum philoſophia, quòd in hac philoſophari non minus fœminę, quàm viri poſſunt, quæ res manifeſtè arguit, hanc eſſe à Deo demiſſam, qui ſicut utriuſque ſexus auctor & creator eſt, ita uiam excogitauit, qua uterque ex ęquo ſalutem aſſequi poſſet. Et profectò turpiſsimum eſt, Chriſtianum hominem tanta bona non intelligere, & in has terrę ſordes amorem ſuum deiicere, cum multi ęx ethnicis, ſola exſtimulante ſcintilla illa naturæ ad cœleſtium pulchritudinem aſpirarent, quanquam ea ſomniare potius uidebantur quàm intelligere. quid eos cenſetis fuiſſe facturos, ſi audiuiſſent ipſum Dei filium acceptam naturam noſtram ſuper omnes cœlos tranſlatam, [*ſuper omnes principatus & poteſtates, & uirtutes, & dominationes, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſęculo, uerum etiam in futuro,*] ad Dei patris dexteram collocaſſe? atque hoc erat, quod ingenti reprehenſione dignum Paulus arbitrabatur, fideles hiſce inferioribus occupari, quare aiebat. [*ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens, ſuperna curate, non quæ ſuper terram.*] Eph. 1. Col. 3.

his cogitationibus inſtruendi & formandi eſſent liberi, quod ſi fieret, nunquam tam turpiter, quàm nunc faciunt, cœno laſciui amoris atque intemperantiæ, uelnti ſues volutarentur. ſi matres filias docerent, veram pulchritudinem in moribus honeſtis & animi compoſitione eſſe, quòd ſi & illam corporis curare velint, eam ſpeciem eſſe æſtimandam, quæ ſplendore & gratia ſolis pulchritudinem ſit ęquatura, iandudum ſublati eſſent meretricij illi pingendarum genarum mores, & indecori cultus. ſed quando matres, quę honeſtatis magiſtræ eſſe debuerant, ipſę deterius affectę ſunt, & contraria docent, quàm Euangelicę leges velint, quinam malorum eſt finis expectandus? uidete verò quàm ſint

RRR miſe-

miſerandæ, quę vtranque ſpeciem, & illam ęternam, & hanc temporariam, eodem & vno perdunt tempore. dum enim fuco vtuntur, natiuum colorem ita vitiant, vt exiguo annorum ſpatio conſeneſcant, atque interea omni cœleſtis pulchritudinis adipiſcendæ ſpe deſtituuntur. quæ ſi Euangelicis moribus instituerentur, qui docent, mulierum ornatum non debere eſſe exter-
1.Pet.3. num, qui ſitus eſt in plicatura capillorum, & additione auri, & in palliorum amictu, ſed eſſe occultum hominem, qui eſt in corde, & in amictu modeſto, cum verecundia & caſtitate, quemadmodum decet mulieres profitentes pietatem per opera bona. ſi hęc inquam attenderent, duo lucrarentur, ſuperioribus duobus damnis contraria, nam & ſpecioſiores diutius perdurarent, ac optimi cuiuſque iudicio probarentur, & perpetuam illam in cœlo pulchritudinem, quæ ſola æſtimanda eſt, adipiſcerentur. Et ſanè miror ita vehementer obtuſos fœminarum ſenſus, quæ cum pleręque omnes ſummum bonum ſpeciem corporis arbitrentur, ad illam, quę in Euangelio promittitur, comparandam non inflammentur. ſic enim cogitare deberent. ſiquis mulieri cuipiam pollicer etur, fore, vt, ſi vno anno fucum omnem & corporis ornatum negligeret, centum poſtea annis omnium mulierum, quę vſquam eſſent, pulcherrima appareret. profectò conditionem acciperet libentiſsimè. rurſus, ſi diceretur ei, permitti quidem illi, vt vno anno omnibus fucis, omnique ornamentorum genere vteretur, verum eo peracto, reliqua tota vita mulierum omnium eſſet turpiſsima, nihil dubitandum eſt, eam mulierem, omnem oblati illius anni ornatum recuſaturam, metu ſecuturæ deformitatis. at hæc omnia vſu euentura ſunt, eaque tantò maioris ponderis, quantum æternitas tempori antecellit. & tanta in rę tam oſcitanter ſe habent. futurum enim eſt, vt, quę in hac vita, quę ſi ęternitati comparętur, non annus, ſed vix exiguum eſt momentum, modeſtè ac temperatè, & ſine fucis ſuperuacuiſque ornamentis vixerint, corpora ſint habituræ claritatem ſolis ęquantia. atque adeo glorioſo ipſi Chriſti corpori quàm ſimillima, idque in ſempiternum, quæ verò in hac vitæ ſcena conſpicuæ apparere voluerint, æternam deformitatem cum Diabolo & angelis eius ſint conſecuturæ. hęc certè ſciunt futura, & pro æternitate non eligunt, quod pro temporaria forma, & vmbræ ſimili

ſimili eſſent electurę. quis hanc ſtupiditatem ſatis admiretur? atque hoc propterea fit, quòd nunquam ſeſe à terra atque ab his ſomnijs attollunt ad huius admirandæ philoſophię maieſtatem contemplandam, & felicia illa bona, quę ab ipſa nobis omnibus promittuntur. &, cum tota Chriſtiana philoſophia, vt dudum dicebamus, amore conſtet, omnes ferè & viri & mulieres. nullum alium amorem norunt, quàm illum, quem terra & caro ſuggerit, atque adeo quem ethnici pro Deo venerabantur. de hoc frequentior vobis ſermo eſt, quàm de vero ipſo Deo. diſcuntur à pueritia cantilenæ cpidineis narrationibus plenę, & à iam adultis pro Diuinis precationibus paſsim cantantur, non ſolum ſine pudore, verum etiam plerique omnes ſibi ex hoc placent. interim verus amor, qui cogitationes, verba, facta noſtra omnia occupare debuerat, paſsim negligitur. nulli audiuntur de illo in conſuetudine quotidiana ſermones, qui tamen ſoli de eo eſſe, ſoli rapere nos in admirationem deberent. quid enim amandum eſt aliud, quam is, à quo habemus omnia, animam, corpus, facultates, honores, incolumitatem, liberos, quicquid ſumus, quicquid ſapimus, quicquid viuimus? [*qui* præterea *proprio filio* (ò ingratitudinem, ò ſtupiditatem noſtram) *qui proprio* inquam *filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*] & tantum amatorem non amamus, non amamus illum vnigenitum, [*qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemet ipſum, forma ſerui aſſumpta, in ſimilitudine hominum factus, & figura repertus ut homo, humiliauit ſemet ipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.*] qui, cum diues eſſet, nempe Dominus omnium, pauper pro nobis factus eſt, vt nos ſua inopia ditaret. quis tam impotenter vnquam amauit? quis pro amatis tanta vnquam, vel fecit, vel paſſus eſt? & nos ingratiſsimi tanto amatori non afficimur. vbi quis viliſsimum ſcortum deperit, profundit opes, noctes inſomnes ducit, dies totos in eius obſequium inſumit. nos neque dies, neque noctes impendimus, vt Chriſto aliquid gratificemur. tantum verò abeſt, vt opes in eius gratiam impendere homines audeant, vt tum demum, aut potius tunc ſolum inopes ſint, cum ab eis petitur, vt dent Chriſto. cum verò in laſciuiam & quaslibet humanas appetitiones diſperdendę pecuniæ ſunt, tunc ſuppetunt facultates, ne-

Rom. 8.

Phil. 2.

2. Co. 8.

que vnquam quicquam deest. facinus profectò omnibus probris prosequendum, atque adeo omnibus potius supplicijs castigandum. Quare pudeat nos tandem aliquando tam abiectæ vitæ, tamque à Christianis moribus alienę, et induamus eum affectum, qui in pijs olim viris illis erat, qui dicebant, [amor meus crucifixus est.] hic occupare vnus nostros omneis amores debet. si pulchri-
Psal. 44. tudinem quærimus, *speciosus forma est præ filijs hominum.* si a-
Ephe. 5. morem, is ita delexit nos, vt semet ipsum offerret *pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.*] si opes & gloriam,
Psa. 111. [*gloria & diuitiæ in domo eius.*] si iucunditatem, is torrente volu-
Psal 35. ptatis suę nos potabit. si vitæ longitudinem, apud illum est fons
ibidem. vitæ, & vitam nobis pollicetur sempiternam. si regna & imperia
Mat. 25. nos delectant, offert ipsę nobis regnum cœlorum. cum itaque omnia expetenda in eo sint, meritò amor omnis noster in illum est transferendus, & affectus omnes nostri illi dedicandi. vt aliqua ex parte tantó amatori esse grati incipiamus. cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO LIIII.

Interpraetatio in Psalmum CIII.

EA, QVAE de amore dicta à nobis superiore oratione fuerunt, multas quidem ob causas digna sunt, quæ unusquique intimis affectibus complectatur, cum ob ea, quæ debemus Deo & Christo eius, tum ob fructum, quem inde percipimus. illa uidelicet in cœlesti sede bona sempiterna. uerum, siquis etiam nihil aliud, quàm huius uitę commoda, cogitare amet, quod multis sanè accidit, castum tamen amorem lasciuo illi & impudico, quem pars hominum maxima sequitur, anteponeret. cum enim amandi affectus maximè omnium natura insitus homini sit, & omnes ad amandum inuitentur, quicunque amandis magis corporibus afficiuntur,

quàm animus, cum rei minimè stabili innitantur, instabiles etiam ipsi sint, necesse est. & cum eiusmodi amores perturbationibus pleni sint, & ex omnibus animi perturbationibus nulla sit uehementior, cogitet unusquisque, in qualem se Euripum conijciant eiusmodi homines. atque ut cætera omittamus, perturbatio ipsa mentis in amore fœda per se est. nam, ut illa præteream, quæ sunt furoris, hæc ipsa per se quam habent leuitatem, quæ uidentur esse mediocria, iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, bellum, pax rursum? incerta hæc si tu postules ratione certa facere, nihilò plus agas, quàm si des operam, ut cum ratione insanias. hæc inconstantia mutabilitasque mentis, quem non ipsa prauitate deterreat? ijs autem interioris hominis morbis obsessus, quo pacto tranquillam agere uitam potest? si enim corporis grauioribus morbis uitæ iucunditas impeditur, quantò magis animi morbis impediri necesse est. mitto quàm eiusmodi homines cæteris odio sint, & quàm uehementer optimus quisque eos abominetur, quod unum eos à tam perditis moribus auocare debuerat. rursus intueamur eos, qui lasciuos, atque intemperanteis amores auersati, ei amori, qui solus hac appellatione dignus est (nam ille alter non amor, sed furor est appellandus) adhæreſcunt. primum enim tranquillo semper animo sunt, & pacato, cum egregijs semper cogitationibus pleni sint, & in eis assiduè exerceantur, dum honesta studia perquirunt, honestasque consuetudines. deinde amantur ipsi ab omnibus, coluntur ab omnibus. quin & illi ipsi, qui contraria illis studia sequuntur, coguntur eos admirari. quis enim obsecro tam perditus est, qui audiens egregium illum adolescentem Ioseph expetitum toties à sua domina, nullis unquam eius blanditijs, nullis precibus, nullis pollicitationibus inflecti potuisse, ut adulter fieret, atque in Deum peccaret, non totus in admirationem tam præclari facinoris rapiatur? quare uerissimum est, quod diximus, sola etiam huius uitæ contemplatione commodorum, lasciuum amorem relinquendum, & uerum expetendum esse. Verum, quando duabus de rebus loqui polliciti sumus, absoluta priori parte, tempus est, ut ad alteram ueniamus, doceamusque quo pacto non solum sine damno, uerum summa etiam cum & utilitate & iucunditate uestra & uiri & mulieres curiosi esse possitis. mulieres Gen. 39.

præsertim,

præsertim, quæ maiore cum periculo prodire consueuerunt. itaq; decreui inire rationem & inuenire uiam, qua in hisce hilaribus, quæ rectius Bacchanalia appellari digna sunt, ita recreare animos posśint, ut fateantur ipsæ, nunquam sedies habuisse hilariores. nam recreandorum animorum ratio, qua paśsim homines utuntur, plus laboris & molestiarum secum affert, quàm recreationis. cogitemus enim eos, qui inuisendarum regionum, ac prouinciarum studio tenentur, ut noui aliquid uideant, quid tandem assequantur. primum enim pecunias non exiguas insumunt, deinde labores multos & incommoda, & plerunque uitæ pericula experiri coguntur, & postremo quid tandem est, quod gloriari posśint, se fuisse assecutos? quid habet terra contemplatu dignum, quod ferè ubique non sit? segetes, arbores, uites, flores, fructus uarij generis, flumina, fontes, præter hæc, quæ à natura ipsa nobis subministrantur, & Dei beneficio pasśim hominibus tribuuntur, quid pręterea est, quod allicere, & inuitare homines posśit ad peregrinas regiones perlustrandas? & quidem siqua regio esset, ubi hæc cœli admiranda species, sol, luna, stellæ conspici non possent, meritò prouocaretur homo ad longiora itinera conficienda, ut opera Dei tam magnifica contemplari posset. uerum, cum hęc omnia intuentium oculis fiant obuia, quorum species ea est, ut pulcherrima quęque, si cum illis conferantur, uocari turpia debeant, quid superuacua defatigatione est opus, & ea curiositate, quæ demum labores duntaxat, atque incommoda secum habeat? Age itaque, quam polliciti sumus curiositatem aggrediamur, quæ ut sine reprehensione sit, eam à scripturis sanctis accipiamus, solę enim illę certa
2.Ti.3. & recta totius uitæ nostræ norma sunt. nam [*omnis scriptura Diuinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit homo Dei, ad omne opus bonum paratus*.] & quò magnificentius res agatur, uolo, ut itineris huius nostri dux sit regius propheta Dauid, peritisśimus recreandorum animorum, & leuandæ cuiusuis grauioris ęgritudinis artifex. cuius rei experimentum ab ipsa eius pueritia præbuit, cum diuexato Saule à spiritu Domini malo, ipse citharæ sono ægritudinem illam regi efficiebat leuiorem. is ergo cum sæpe pia curiositate delectaretur, tum præcipuè quodam

dam psalmo decreuit totam hanc mundi fabricam perlustrare, quę perlustratio cum in primis facienda sit, ut Deum in illius operibus contemplemur, ueneremurque, ita exorsus est. [Benedic anima mea Domino.] cur hoc? quidnam accidit noui, cur ita abruptè in hęc uerba prorumperes? non dicit, sed ad Deum facta apostropha, ait. [Domine Deus meus magnificatus es uehementer.] ex quibus verbis significatur, illum ob eam causam inuitasse sese ad celebrandum Deum, quòd uenerit in contemplationem magnificorum illius operum, quod ethnicos philosophos fecisse non facile reperias. cum enim quotidie uersarentur in perscrutandis hiscæ naturæ rebus, atque ita exactè, ut ne minima quidem negligerent, propterea quòd admirandam cernerent, & dignam, quam contemplarentur in qualibet re maiestatem, nesciebant tamen attolli ad ipsum auctorem celebrandum, quæ sanè res non exigua mihi videtur admiratione digna, homines tam acutos, & qui quotidie in operibus Dei peruestigandis curiosissimè versarentur, nunquam ad id animum adiecisse, quod vnum aut certè præcipuum fuerat attendendum. vt scilicet omnium auctorem venerarentur ac prędicarent. ex qua consideratione nos magis inuitamur ad agnoscenda bona nostra, atque ad agendas gratias Deo, qui nos per prophetas suos ac Diuinos uiros docuerit, quo pacto summa cum vtilitate nostra philosophemur, vt scilicet omnibus in cogitationibus, & ratiocinationibus nostris, & quauis vel ingeniosa vel curiosa peruestigatione Deum in illius magnificis operibus celebremus, & quàm honestissimum esse velimus. quod quàm ęgregiè præstiterit regius hic propheta, intueamur. qui contemplatus eius maiestatem & admiranda opera, cum generatim dixisset. [Domine Deus meus magnificatus es supra modum.] descendit ad singularia, quibus hanc magnitudinem constare cernit, & ait. [confessionem.] hoc est, laudem (nam Hebraismus est ut confessio pro laude ponatur) & decorem ac magnificentiam induisti.] omnia (inquit) opera tua tam absoluta, & magnifica sunt, ut prędicent & glorificent te summa ornatum sapientia, potentia & bonitate. & uide, ut maiestatem Dei celebrare incipiat ab ipsa, quam ei ascribit, habitatione. [amictus (inquit) lumine sicut uestimento.] ut scilicet pro uestimento lucem habeat. nam & Paulus ait, Deum lucem habitare inaccessam. sed quo pacto? 1.Ti.6.

Ps. 103.

num

num loco circunscribitur? num aliud lux est, aliud ipse? atque is est ipsa lux. Cernis, vt etiam tunc, cum magnum aliquid de Deo loqui volumus, non valet explicare lingua rem, uti se habet? Enarrans ergo propheta opera Dei, incipit à cœlis & luminaribus cœlestibus, qui sunt veluti pellis, hoc est, cortina & uestis Dei fulgidissima, videturque principium Geneseos describere, iccirco meminit extensionis cœli, cum ait, [extendens cœlum sicut pellem;] nam quod Greci cœlum uocant στερέωμα, & Latini Grecos imitati, appellant firmamentum, Hæbrea uox Rakia sonat extensionem. nam ex aquis fecit rem extentissimam, & sphęras quasdam, quas scriptura eodem uocabulo cum cœlo summo uocat. quare & hic ait. [qui tegis aquis superiora eius.] & quia scriptura Geneseos aquarum meminit, quę supra firmamentum sunt, & quę sub firmamento, putant quidam, angelos, & quæ superiora sunt, à Mose figurari per aquas, quę sunt supra firmamentum, siue ob copiam, siue ob elementi puritatem. per aquas verò sub firmamento, elementa, & quicquid sublunare est, siue aërem, & locum nubium. alii censent à Mose fieri mentionem huius tantum corporei mundi, atque iccirco intelligi, in medio aquarum quasdam aquas solidatas, & factum firmamentum, quod cohibeat aquas superiores, & inferiores, ne istæ ascendant, illæ descendant. & ex aquis, quę supra firmamentum sunt, chrystallinum, quod uocant, cœlum, esse aquas concretas. sunt tamen, qui, quod hic dicitur, [qui tegis aquis superiora eius.] intelligant nubes, quæ cum sint conuplutum crassamentum exhalationum, uim habens aquę gignendę, ideo ipsa quoque nubes aqua appelletur. [Qui ponis nubem ascensum tuum,] hoc est, qui nube pro uehiculo uteris. [qui ambulas super pennas uentorum.] hoc est, pro remigio alarum, uentis vteris, siue uelocius volas, quàm si alas haberes ex vento. hæc autem dissimilis (vt sic dicam) similitudo, qua uentos alas vocat, cùm tamen longo interuallo distent vtraque, non caret gratia, cum ostendatur pernicissima quęque apud nos non esse idonea ad rem, de qua loquimur, exprimendam. sic cum alibi tonitruum appellat, vocem Dei, & fulmina sagittas, & solis pernicitatem heroi comparat, qui velocissimo cursu gradiatur. nam hęc disparilitas obiecta animo, stupere Dei amplitudinem facit, quam collatam rebus

bus humanis, videt nullis, quamlibet excellentibus apud nos
posse conferri. his figuratis locutionibus copiosius vtitur in psal-
mo decimoseptimo, cum inter cętera ait. [*ascendit super cheru-* Psal. 17.
bin & uolauit, uolauit super pennas uentorum, & posuit tenebras
latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius.] ut uelocitatem
eius denotet, ait illum pro equis habere spiritus angelicos, vnde
imagines illæ, quas scriptura cherubin vocat, quæ in propitiato- Exo 25.
rio collocatę erant, alas habebant. sic dicit illum caligine inuol- Heb. 9.
ui, & pro tabernaculo habere nubes, vt præsentem se quidem
testaretur, et tamen inuisibilem, vt populus disceret credere, eum,
qui in cœlis præsidet, suis nunquam deesse, etiam si non videre-
tur. & quia Deus hic dicitur vti nube pro vehiculo, iccirco cum
Christus ascendit in cœlum, nubes suscepit eum, vt Deus esse a- Act. 1.
gnosceretur. [Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem uren-
tem.] tuo (inquit) iussu nunc huc nunc illuc flant venti, & tan-
quam ministri obsequuntur Domino suo, nec aliter, quàm mini-
stri, quocunque ille voluerit, pergunt ignita fulgura. intelligit
ergo ventos, quibus Deus pro nuntijs vtitur, similiter & igni-
bus illis, qui in cœlo apparent, & è nubibus emittuntur. verum,
quia in epistolà ad Hebræos hic locus citatur de angelis, siquis Heb. 1.
Deum angelos mittere cum igne intelligit, is à vero nihil aberra- Ps. 103.
bit. & sanè ingens Dei maiestas in hisce aërijs agitationibus elu-
cet, vt rectè alio psalmo dictum sit, [*magnificentia eius & uirtus* Psal. 67.
eius in nubibus.] vix enim aliud est, vnde mortalibus Dei poten-
tia æque tremenda appareat, sicut in aëris tempestatibus, quapro
pter prophetæ illas sæpe commemorant, quibus per allegoriam
describunt virtutem Dei, quæ possit omnia subitò immutare.
cernas enim serenum vbique cœlum, & exiguo penè momento
ita omnia turbari, vt ruere mundus velle videatur. quare con-
templatus propheta tantam agendi celeritatem, quasi promptua-
ria Deus habeat, vnde ista depromat, dixit. [*qui educit uentos de* Ps. 134.
thesauris suis.] & ad Iob loquens Deus ait. [*nunquid ingressus es* Iob. 38.
thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? quis dedit uehe-
mentissimo imbri cursum, & uiam sonantis tonitrui? quis est pluuiæ
pater, uel quis genuit stillas roris? de cuius utero egressa est glacies, et
pruinam cœli quis genuit?] In eiusmodi etiam contemplationibus
psalmus centesimus quadragesimus septimus deliciatur. qui ad-

SSS hortans

Ps. 147. hortans ad laudandum Deum inter cętera ait. [*qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius, qui dat niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem spargit, mittit glaciem suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aquæ.*] quibus significatur, cum solo verbo, quicquid vult, subitò efficere posse. iussu enim eius decidit in terram pluuia, & eius mandatis parent subitò omnia. tribuit niuem similem lanæ, & pruinam tanquam cinerem dispergit, mittit frustratim grandinem similem glaciei, tam frigidam, vt nemo non horreat à frigore ipsius, rursus illo iubente, solis ardor liquefacit glaciem illam, spirare facit ventum quencunque voluerit, & producere pluuiam. Cernis, vnde occasiones quęrant viri sancti laudandi Deum? & stupidi homines in tanta rerum copia excogitare nesciunt quicquam, vnde se gratos ex aliqua parte ostendant, cum hęc omnia ad hominum vtilitatem efficiantur, & plena item admirationis omnia sint. quanti enim miraculi est, fluxam naturam solo verbo ligare in nubibus, & partem detinere in eis, partem effundere ad terrę superficiem irrigandam, vt neque permittat totam humidam naturam liberam esse atque indetentam (sufficit enim illuuies illa sub Noè) non
Gen. 7. oblitus suę pollicitationis ac fœderis, neque prorsus detineat, at-
3.Re.17 que cohibeat, ne iterum altero Elia indigeamus, qui siccitatem
Iac. 5. soluat. si enim claudat cœlum (inquit) quis aperiet? aut si aperuerit cataractas, quis cohibebit? quis feret rei vtriusque immoderantiam, nisi suis ipse mensuris ac ponderibus omnia moderetur? Enarratis autem breuiter ijs, quæ in cœlo fiunt, ad terram descendit, & ait. [qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.] miraculum profectò ingens, tantam tamque ponderosam molem suæ duntaxat basi inniti, & cum nihil habeat, cui inhæreat, in nullam tamen partem ullo unquam tempore inclinari, ut [ponderibus (quemadmodum externus quidam dixit] librata suis stet,] aut potius Diuino præcepto, cui, quemadmodum & marini fluctus, de quibus mox dicet, obtemperat. nam, quod dicunt, centrum ipsum, ad quod undique terrę partes suo pondere inclinantur, esse caussam, cur in meditullio mundi terra ipsa immobiliter consistat, uidetur quidem ingeniosè excogitatum, atque humanæ sapien

sapientiæ arridere. sed eiusmodi cogitationes maximam partem Diuinæ illius maiestatis auferunt, quæ in rebus est, nihilque est aliud Diuina facta humanis cogitationibus metiri, quàm uelle cyatho metiri oceanum, & multò etiam absurdius, quando infinitam sapientiam exiguis terminis nostrę ratiocinationis conamur circunscribere. neque unquam uenit nobis in mentem, quod ait Deus. [*non enim cogitationes meæ cogitationes uestræ, neque uiæ meæ uiæ uestræ. quia quantò celsiores sunt cæli terra, tantò celsiores sunt cogitationes meæ cogitationibus uestris, & uiæ meæ uijs uestris.*] & nisi hoc, quod de terra diximus, eius esset generis, ut omnem humanam intelligentiam superaret, non dictum fuisset ipsi Iob, [*ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius, si nosti, uel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius?*] [Abyssus sicut uestimentum amictus eius super montes stabunt aquæ. ab increpatione tua fugient, à uoce tonitrui tui formidabunt.] per abyssum, quo uerbo, & in principio Genes eos utitur, intelligit oceanum, intra quem ab initio terra & montes demergebantur. & nunc quoque super montes (inquit) si iusseris, aut potius nisi prohibuisses, starent aquæ, sed uoce Diuina, quæ ueluti tonitruum est, increpatus detexit terram, & tunc apparuerunt montes excelsi, & ualles, ac planicies campi, statutusque est mari terminus suus, ut illum transgredi non possit, hoc enim est, quod subijcit. [ascendunt montes & descendunt campi in locum, quem fundasti eis. terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.] scribit enim Moses, iussisse Deum, ut congegarentur aquæ in locum unum, & appareret arida. aquæ enim sua natura superiores terra sunt, & quemadmodum imperio Dei cesserunt, ut inferiores ea uideantur, sic eodem imperio terra, quod dicebamus, in medio stat, nulli alterius elementi basi innixa. neque uerò minus hoc miraculum est, immensam scilicet aquarum molem arenæ terminis cohiberi, cum uideamus quędam flumina, quę nihil sunt, si cum oceano conferantur, omnes hominum obiectas moles, ac machinas superare. quòd uerò hoc solo imperio Dei fiat, audi quid dicat propheta. [*me non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, præ-*

Esa. 55.

Iob. 38.

Gen. 1.

Gen. 1.

Ier. 5.

ceptum sempiternum, quod non præteribit. & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.]
Iob. 38. & in Iob dicitur. [*quis conclusit ostijs mare, quando erumpit, quasi de uulua procedens, cum ponerem nubem uestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluerem? circundedi illud terminis meis, & posui uectem & ostia, & dixi, usque huc uenies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*] Quod uerò ait, collectis in locum unum aquis, ascendisse montes, & descendisse campos, ad phantasiam hominis poëticè sanè loquitur. ubi desinentibus aquis, & in oceanum collectis, montes & campi, uallesque apparuerunt. tale quid etiam externus quidam poëta dixit, de diluuio loquens. [crescunt loca decrescentibus undis.] Verum, quod dicebamus, mare arenæ terminos, sibi à Deo assignatos reuereri, neque audere eos transilire, eandem obedientiam præfert multò minori in re. nam Alcyon marina auicula est, ac in maris litoribus nidificare consueuit, collocatis in ipsa arena ouis, idque in media heme, quo tempore multis, ac uiolentis flatibus mare, ac terra perturbantur. & tamen tandiu quiescunt marini fluctus, dum Alcyon fouet oua, septem uidelicet diebus. hoc enim spatio excludit pullos. quoniam uerò alimento est illis opus, & spatio quo crescant, septem alios dies ad pullorum educationem & incrementum munificentissimus Deus largitur paruissimæ huic auiculę. quam rem & nautæ intelligentes, dies illos Alcyonios appellant. quo exemplo inuitamur ad fidendum Deo, qui si tantum pusilla animalia
Gen. 1. curat, quid non sperandum nobis est, quos ad imaginem suam creauit, & quorum obsequio, ac seruituti subiecit omnia? [Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ:]
Gen. 1. quamuis (inquit) iusserit Deus congregari aquas in unum locum, ut appareret arida, non usqueadeo tamen segregauit aquas à terra, quin perennes fontes administret, & inexhausto, atque perpetuo tenore faciat fluere aquas, non sine magna hominum & animalium omnium commoditate, quę aquæ non solum super terram & frigidæ, uerum etiam per occultos terræ meatus fluentes, ac uiolento spiritu impulsæ, ac repercussæ, deinde calefactæ illa luctandi uehementia paulatim erumpunt, & calidarum aquarum usum hinc nobis largiuntur, medicinam sine

sumptu,

ſumptu,atque ita fit ex hac fontium & fluuiorum copia, ut terra, ac mare ad hominum uſus colligentur, & permixtione mutua in unum ueniant elementa, tantum natura inter ſe diſtantia. ubi etiam illud cogitare operæ pretium eſt, quæ ſit fontium prima origo in terræ ſinibus, quod etſi quæras homo, non tamen aſſequi poteris, & quo pacto neque redundet mare, tot aquis in illud influentibus, neque flumina unquam ſtent, quodue ſit perenne aquarum nutrimentum, dum aliȩ ſupernè irrigant, aliȩ à radicibus ſub terra attrahuntur. Deducit ergo fontes in fluuios, qui deinde inter altiſsimos montes defluunt rapidiſsimè. quem ad finem? [*potabunt omnes beſtiæ agri, ſedabunt onagri ſitim ſuam.*] Qui Dei benignitatem ignorant, eiuſque prouidentiam, ac curam omnium, mirarentur fortaſſe, cum cernunt aquarum copiam in ijs eſſe locis, quȩ à conſuetudine hominum ſunt ſolitaria. ſed hic diſcant, Deum proſpicere uoluiſſe etiam ſiluestrium animalium neceſsitatibus, ut [*miſerationes eius ſint ſuper omnia* Pſ. 144.
opera eius.] nam is eſt, ad quem alibi idem pſaltes ait, [*oculi o-* ibidem
mnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illis in tempore opportuno. aperis tu manum tuam; & imples omne animal benedictione.] onagrorum autem hiç peculiariter meminit, quòd ſint inter cæteras beſtias ſolitudinis amantiores, atque iccirco ferè habitent in locis arentibus, quare ſitis illorum pro exemplo ardentioris deſiderij ponitur. [*onager* (ait Ieremias) *aſſuetus in ſolitudine* Ier. 2.
in deſiderio animæ ſuæ attraxit uentum occaſionis ſuæ.] de hac etiam onagrorum libera vagatione habes in Iob vbi dicitur, [*quaſi pul-* Iob. 11.
lum onagri, ſe liberum natum putat.] & alibi. [*quis dimiſit ona-* Iob. 39.
grum liberum, & uincula eius quis ſoluit.] [Super eas uolucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt uoces.] iuxta illas aquas (inquit) & fluuios ipſos, aues, quæ in aere uolitant, nidulabuntur, & ex mediis arborum ramis cantillabunt, alia gratiæ acceſsio. cum enim per ſe aquȩ res ſint gratiſsimæ; vt quidam inter poëtas ethnicos celeberrimus, poema ſuum ab aquarum commendatione exorſus ſit, ubi præterea cantus auium, quȩ libenter iuxta aquas verſantur, ob earum vſum, adiungitur, maxima eſt profectò animorum oblectatio. & ob hanc cauſam cum recreare ſe homines volunt, eiuſmodi receſſus quȩrunt, ubi & aquarum murmure, & auicularum variis cantibus oblectantur.

ſed

ſed duo plerunque in hoc homines peccant. vnum, quòd dum his oblectationibus fruuntur, obliuiſcuntur munificentisſimo Deo ob tanta dona gratias agere. alterum multò deterius eſt, quòd ſcilicet in Dei contumeliam ipſius Dei muneribus abutuntur, & quo maioris iocunditatis loca plena ſunt, eò magis laſciuia, & omnibus intemperantiæ modis, horum bonorum largitori iniuriam faciunt. quod ſcelus quænam Geenna idonea erit ad caſtigandum, quando ea in re, quæ inuitare eos in primis debuerat ad amandum Deum, illum in primis offendunt, atque ad iracundiam prouocant? Et hic quidem fontium & fluuiorum eſt vſus, quem propheta in Dei gloriam deſcripſit. ſed aliam rurſus eiuſdem Dei prouidentiam, & curam prędicat. [rigans montes (inquit) de ſuperioribus ſuis.] hoc eſt, ex nubibus, quas in aere velut editisſimo loco ſuſpendit, humectat montes, ne ſterileſcant, qui cum à fontibus, & fluuiis irrigari commodè ob eorum formam ac ſitum nequeant, supernè è nubibus Diuina opera irrigantur. atque ut oſtendat, omnia quę à terra prodeunt, Dei eſſe beneficentiam, addit. [de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.] ex abundantia (inquit) frugum, quæ opera tua prouenient, ſatiabuntur, quęcunque deguntin terra, neque homines tantum verum etiam reliqua animantia. nam ſequitur. [producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, ut educas panem de terra.] hoc eſt, prouenire facit ſua ſponte fœnum in vſum brutorum animantium, & ad culturam hominis reliquam ſegetem, vt accipiat cibum ſibi, quem terra produxit, & in ſudore vultus ſui

Gen. 3 veſcatur pane. qua appellatione more Hebręorum omne edulium ſignificatur. & quamuis aqua ad ſitim leuandam ſatis eſſe posſit, ad maiorem tamen opulentiam prouenire facit & vinum, quod exhilaret cor hominis varijs miſerijs obnoxij, oleum pręterea, quo hilarior reddatur vultus illius, & panem, qui cor hominis confirmet. ait ergo. [& uinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.] quòd verò vinum creatum ad hunc vſum ſit, quem hic pſaltes ait, meminit

Eccl. 31. & quidam ſapiens. [*uinum* (inquiens) *in iucunditatem creatum eſt, & non inebrietatem ab initio.*] quare & Salomon prohibebat, ne

Pro. 31. in alium vſum conuerteretur, quàm ad affictorum recreandos animos, & aiebat. [*noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare ninum,*

num, neque principum est sicera, ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. date siceram pereunti, & uinum ijs, qui amaro sunt animo. bibant & obliuiscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur, amplius.] & tamen tam salutifero liquore ac tam nobili, ebriosi homines abutuntur in suam aliorumque perniciem, ingrati. cum ob hanc vnam causam scriptura dicat datum, vt nimijs curis affectum cor, aliquantum eo recreetur, tanquam præcipuo quodam afflicti animi medicamento. sic oleo, & unguentis, quibus recreari, vt ait etiam Salomon, cor solet, & fessa membra vires recipere, ad lasciuiam ferè, & omnem intemperantiam abuti homines consueuerunt. nam per oleum hic accipi putant vnguenta odorifera. alij intelligunt etiam oleum, quo lampades accenduntur, vnde illucescunt noctu facies hominum. vide verò, vt accuratè occasiones inueniat contemplandorum operum Dei. refert enim cogitationem ad arbores maximas, quibus summa humoris copia suppeditatur, & cedros, quæ proueniunt in Libano tam altæ, vt Deus ipse videri possit plantasse illas, in quibus diuersa auium genera nidulantur. ait ergo. [saturabuntur ligna Domini & cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt. ciconiæ domus abietes.] ciconię peculiariter meminit, quòd ea in altioribus soleat arboribus nidificare. quòd verò ait [ligna Domini,] idem est, ac si dixisset, ingentia & excelsa, more Hebręo, uel quòd nulla nisi eius cultura crescant, ideo adiecit, [quas plantauit. Montes excelsi ceruis, petra refugium erinaciis] hoc est, montibus excelsis gaudent cerui, ad rupes confugiunt erinacii, ne vllus terrarum locus suo careat habitatore, & vbique sapientia ac bonitas Dei elucescat. vt quocunque se conuertat homo, occasiones habeat laudandi cœlestis patris, & sese ad agendas illi gratias erigendi. [Fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum.] hoc dicit, ut & Dei sapientiam in temporum vicissitudinibus & egregio ordine commendet, & noctis ac diei vsum describat. fecit lunam certis modis ac temporibus mutabilem, & quamuis dixerit Deus in luminarium creatione absolutè, [*fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa, ac tempora & dies & annos,*] Gen. 1. uidetur tamen hic peculiariter de luna dixisse, [fecit lunam in tempora,] cum magis obuium sit etiam minus peritis obseruare menstruum spatium, quod lunæ cursu conficitur, quàm solis, ac reliquorum

quorum siderum, cur uerò dicat. solem nosse occasum suum, ex sequentibus uerbis intelligitur, cum ait. [posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi.] O' nunquam satis laudatos thesauros & sapientię & bonitatis Dei. cum sciat siluestres feras conspectum hominum declinare, ingenerauit ijs animalibus naturam, qua quęrere sibi uictum posint, dum interea quiescunt homines, ut duo ex usu noctis precentur bona, & feris pascendi occasio, & hominibus diurni laboris quies. Obserua uerò, prophetam, cum de ferarum alimento loqueretur, non dixisse solum, [ut

Ps. 144. quærant escam sibi, sed ut quærant à Deo.] sicut & alibi legis. [*oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore.*] ut doceamur, Diuinam prouidentiam in omnia porrigi, nec metuere scripturam, nequid de Deo indignum loquatur, si asserat etiam bruta animantia expectare à Deo escam. hinc quoque discendum est, si iustus Deus has truces bestias innocuis feris pascit, quibus tamen post hanc uitam nihil promisit, multò magis ferendum nobis esse, siquando malorum arbitrio permittimur, qui post hanc uitam illam beatam certò expectamus. [Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam.] quo tempore siluestria animalia recipiunt se in lustra & antra sua, eo ipso tempore homines, qui per noctem quieuerant, egrediuntur ad perficienda opera sua, & ad culturam agrorum suorum, usque ad uesperam. quibus verbis admonemur, nos non esse noctis ac tenebrarum

Rom. 13. filios, sed lucis atque diei, ob hanc causam aiebat Paulus. [*nox præcessit* (superiorem vitam intelligens, quam in tenebricosis vitiorum, & peccatorum operibus egerant) *dies autem appropinquauit. abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur armis lu-*

Eph. 5. *cis, sicut in die honestè ambulemus.*] & alibi.] *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. ut filij lucis ambulate.*] quæ lux ita propria hominis est, ut Græci hominem φῶς hoc est, lucem appellent. obseruandum quoque illud est, quod dicitur. [exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam,] multum redarguere eorum inertiam, qui tota die ociosi stertunt, & in nugis, ludis, iocis, tempus perdunt, ac tunc demum se nobiles putant, cum nihil agunt, neque meminerunt Diuini præcepti, quo

quod iubet, vt homo in sudore vultus sui vescatur pane. quare volebat Paulus, vt qui non operaretur, ne comederet quidem. Facta hac contemplatione, antequam propheta ad maris considerationem ueniat, poëtico quodam epiphonemate gratulabundus erumpit in hæc verba. [quam magnificata sunt opera tua Domine. omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.] quàm eleganti (inquit) sunt varietate distincta opera tua Domine, nihil non summa sapientia condidisti, plena est terra uariis possessionibus & rebus tuis. qua breui peracta laude, mox refert animum ad latissima maris spatia, & in auctoris commendationem canens ait. [Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.] quod ait, [spatiosum manibus,] Hebraismus est, quod idem est, ac si dixisset, latum spatijs, cum eius litora tanto inter se distent spatio. videtur autem accepta similitudo ab hominum vsu, qui, cum latitudinem aliquam designare volunt, extensione manuum ac brachiorum vtuntur. in eo ergo dicit ingentem esse piscium, & aliorum, quæ in eo degunt, multitudinem. fœcundissimum enim elementum est, & pisces mirandum in modum & numero & magnitudine crescunt. & ob eam rem pisces apud Hebræos à crescendo appellationem habent. דָּג enim & crescere ac multiplicare, & piscem significat. neque contentus commemorasse & magnitudinem & fœcunditatem maris, adiecit & vsum ac commoda, quę è nauibus in eo natantibus capiuntur, & ait. [illic naues pertransibunt.] maxima profectò vtilitas hominibus addita, vt hoc nauium vsu, hac præsertim ętate, non solum superius, verum etiam inferius hemisphærium peragratum sit, vt hoc instrumento omnia hominum genera commercium habere inter se possint, & res vitæ necessarię, quę vni parti orbis desunt, in alia inueniantur. [Draco iste quem formasti ad illudendum ei.] alij verterunt Leuiathan, quo significantur immanioris maris beluæ. & quod ait, [ad illudendum ei,] vel, vt ludat in eo, notat immensum robur, vt naues euertere, & omnem vim proterere, & vastis corporibus suis ingentes facere maris commotiones, sit eis merus lusus. hæc autem ad maiestatem Dei declarandam pertinere, ostenditur in Iob, vbi duo animalia memorantur ingentia, Behemoth ac Leuiathan, in quibus *Iob. 40.*
ostendit Deus magnificentiam suam, quòd facere, quæcunque

vult, poſsit. nam Behemoth ſecundum Hebræos eſt animal terre ſtre, miræ magnitudinis, Leuiathan verò ingens marina belua, in
ibidem. quam ſolus Deus in eodem Iob poteſtatem habere dicitur, vt illam pro voluntate coërceat, capiat, & ponat hamum in maxillam eius. Quid ergo iſta omnia? [omnia (inquit) a te expectant, ut des illis eſcam in tempore. dante te illis colligent, te aperiente manum tuam omnia implebuntur bonitate.] Nullum robur, nulla magnitudo, nulla potentia. quicquam valet ſine Deo. omnia ab eo expectent neceſſe eſt, quicquid ad vitam pertinet. quę res ſi cogitaretur, non tam inſoleſcerent homines, qui, cum potentia aliqua præditi ſunt, putant ſe aliquid eſſe, cum nihil ſint. quid enim, ſi Deus opem ſuam ſubtrahat? audi quod ſequitur. [auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur] audis omnia in puluerem, vnde accepta ſunt, redigenda, ſi ipſe regere deſinat? hoc enim eſt, auertere faciem. quoties te homo plus alijs aliquid eſſe opinaris, memento te in puluerem, vnde acceptus es, eſſe redigendum, ad quem cum deſcenderis, tum demum deprehendes, te nihil plus alijs habere, cur inſoleſcas. [Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.] hoc dicit propterea, quòd intereuntibus quotidie animantibus, quando lex vniuerſi eſt, quę iubet naſci & mori, Dei benignitate noua ſemper rerum creatione renouatur orbis terrę, dum in locum intereuntium animantium alia fingit animalia, quibus immittit ſpiracula vitæ. Facturus verò dicendi finem, alio rurſus epiphonemate gloriam Dei celebrans ait. [Sit gloria Domini in ſeculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis.] durabit (inquit) perpetuò maieſtas Domini. mirum verò quod ait. Deum oblectaturum ſe hac ſuorum operum varietate. cum enim omnia creata nihil
Eſa. 40. ſint, ſi cum Deo conferantur, & de eo propheta dicat, [*omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & minus quàm nihil & inane reputatæ ſunt*,] quid in re nihili oblectare ſe poteſt Deus? ſed Diuinarum ſcripturarum mos eſt, humanos affectus Deo tribuere, vt aliquid de eo intelligere nobis liceat. nam per hæc verba ſignificare vult incomprehenſam Dei benignitatem, qui tametſi bo-
Pſal. 15. norum noſtrorum non egeat, neque oblectari ex creatis rebus neceſſe illi ſit, non ſuo ſed noſtro bono delectatur & gaudet. quod non facile in hominibus reperias, niſi ſiqui in Diuinam

quan-

quandam translati naturam sunt, & egregios in Christiana philosophia progressus fecerunt. Vide verò vt propheta Diuinæ contemplandæ maiestati affectus sit, qui quamuis finem celebrandis eius operibus facere cogitauisset, rursus tamen eius potentiæ venit illi in mentem, quare addit. [qui aspicit terram; & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant.] solo (inquit) illius aspectu terra contremiscit, &, si vel leuiter montes attigerit, pre metu fumabunt. Quid ergo in his Diuine poëta cogitas, aut quid tibi faciendum restat? [cantabo (inquit) Domino in uita mea, psallam Deo meo quandiu sum. iucundum sit ei eloquium meum, ego uerò delectabor in Domino.] indicium animi, qui totus Deo dicatus sit, decreuisse per omnem vitam in Dei laudibus immorari, & nihil gratius illi esse, quàm vt Deo placeat quod canit, & quod loquitur. eos verò qui contraria ingrediuntur via, auersatur, atque, vt saltem metu coërceantur, interminatur in hæc verba. [deficient peccatores à terra, ita ut non sint,] quod quàm sedulo curaret, alibi ait. [*in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*] Demum non sine poëtico artificio claudit psalmum eisdem uerbis, quibus eum inchoauerat, & ait, [benedic anima mea Domino, alleluia.] hoc est, laudate Deum. vt non solum ipse se, verum etiam alios ad id præstandum adhortetur. Egregia nobis & copiosa etiam, laudandæ ac celebrandæ Diuinæ maiestatis, hoc psalmo suppeditata materia est, & quæ abunde sufficere per totam vitam, etiam præclarissimo cuiqne ingenio posit, quæ tamen & imperitioribus sit peruia, vt excusationem iustam habere nemo possit, cur non assiduè Diuinis in laudibus delicietur. quare magis reprehendendi sunt, & ingenti castigatione digni, quicunque relictis hisce cœlestibus poëmatibus, lasciuas duntaxat cantiones uel scribunt, uel canunt. digni profectò, qui ab ecclesia Christi in priores ethnicorum tenebras relegentur. qui tanta in luce veritatis adhuc tenebris gaudent, & inuentis frugibus glande uescuntur, quos miror quo pacto Christiani saltem principes ferant. & sanè siquid Christiani pectoris haberent, nullo modo tolerarent, sed dum hæc ferunt, deteriores ipsis ethnicis esse se profitentur. nam princeps inter ethnicos philosophos Plato nolebat Homerum, quamuis illi semper affectus fuisset, in ea republica esse, quam ipse finxerat,

Ps. 100.

tat, propterea quòd parum decorè de Dijs loqueretur, qui tamen non erant Dij. nostri uerò eos in primis poëtas charos habent, qui sunt in scribendo leuiores, & à scopo Euangelico magis alieni. Vellem tam crassis erroribus finem tandem aliquando imponi, quòd si reliquus orbis perseuerare in tam detestandis erroribus, uultuos saltem, quibus tam apertè declarata hæc ueritas est, corrigite quod hactenus à uobis peccatum fuit, & filios uestros, dum pueri adhuc sunt, ab ijs cantionibus auocate, quæ
Eph. 5. passim in ore uulgi sunt, & docete eos, quemadmodum Paulus admonet, uersari in hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus, & Diuinis his muneribus, quæ Deus per scripturas suas sanctas nobis est impertitus, ne ingrati simus. nos enim sumus, de qui-
Ps. 147. bus scriptum est. [*non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*] in hos thesauros frequentius ingrediamur, qui & hanc uitam tranquilliorem nobis efficient, & illam æternam comparabunt. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO LV.

In eandem sententiam, de contemplatione operum Domini.

VOLVPTATEM, quæ ex Diuinorum operum contemplatione percipitur, intelligens idem, qui superioris orationis conuiuium nobis instruxit, egregius psaltes ali-
Psal. 91. bi canit. [*delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*] quare libet rem tantæ uoluptatis, ac fructus persequi, & quæ leuiter, scripturarum morem secuti, attigimus, in eis latius deliciari. ob hanc enim causam sacræ literæ nobis ista commonstrant, & quasi digitum ad fontem intendunt, ut ex paucis plura peruestigare discamus,

& tanquam

& tanquam commendatum nobis talentum multiplicare. Age itaque primum referamus oculos ad ingentem hanc cœli & pulcherrimam fabricam, cuius cum species tum magnitudo inuitare nos debet, quorum gratia tam egregium opus factum est, ad altiora & cogitanda & expetenda, quàm ea sunt, quę plerique omnes tractare solent. profectò enim, nisi magnum quid esse nos uoluisset auctor noster Deus, non oportuerat tam admirando apparatu hominem honestari. de cuius cœli substantia contenti simus ijs, quæ ab Esaia dicta fuerunt, sic enim ait. [*qui firmauit cœlum tanquam fumum*,] hoc est tenuem quandam naturam, non crassam. sic de eius figura satis sit, quod idem ait. [*qui statuit cœlum tanquam fornicem*,] ut orbicularem eius figuram designaret. nam fidei simplicitas ædificationi ecclesiæ utilior est, alioqui si cogitationum humanarum disceptationes sequi uelimus, nihil solidi inueniemus, quando & externi philosophi discordes inter se sunt, dum alij compositum esse cœlum uolunt, & quatuor elementis constare, ut quod & tangi & cerni possit, & particeps quidem terræ sit ob soliditatem & renitendi uim, ignis uerò propterea quòd cernitur, reliquorum autem ob permixtionem. alij uerò hoc respuentes tanquam minus fide dignum, quintam quandam naturam ad cœli constitutionem introduxerunt, atque ęthereum corpus, quod neque ignis sit, neque aër, neque aqua, neque terra. hac nimirum ratione moti, quòd hisce simplicibus elementis proprius motus sit in directum, ut leuia quidem sursum ferantur, grauia deorsum, cœlum uerò circulari motu agi, quæ motuum diuersitas etiam eorum substantię arguat diuersitatem. Horum quidem cœlorum continua duratio est, ita uolente Deo, alioqui & ipsi essent corruptibiles, cum propheta dicat. [*opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi* Ps. 101.
peribunt, tu autem permanes,] hoc est, eadem facilitate poteris eos ad nihilum redigere, qua creasti. Intuere preterea ornatum cœlorum, solem, lunam, stellas, quę scriptura Geneseos ait, facta Gen. 1.
esse in signa & tempora & dies & annos. necessarię enim sunt ad humanam uitam horum luminarium significationes. nam siquis cum mensura signa perscrutetur, quę ab ijs fiunt, utiles eorum, ex longa experientia obseruationes inueniet. multa enim hinc discere est de pluuia, multa de siccitate, & uentorum motibus, aut particularibus, aut generalibus, uiolentis, aut remissis. nam

& eorum

& eorum, quæ à sole demonstrantur, unum & ipse Dominus
Mat. 16. exemplum protulit, cum dixit. [*facto uespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum.*] & mane, hodie tempestas, rubet enim triste cœlum. cum enim per nebulam delatio solis fit, obscurantur radij, cerniturque in morem igniti carbonis, & rutilans ut carbo, & colore ueluti sanguineus, aëris crassitie hanc aspectibus nostris imaginem efficiente. non diffusus autem à solaribus radijs densatus ille aër significationem præbet, se non potuisse superari ob uapores, qui è terra illuc feruntur, sed humoris copia tempestatem euenturam regionibus, circa quas congregantur. in eundem modum cum luna caliginoso humore circundatur, & soli, quæ uocantur areæ, circunscribuntur, uel aëriæ aquę multitudinem, uel uentorum uiolentum motum subindicant, aut etiam, quos oppositos soles uocant, cum circumcurrunt incedentem solem, significant futuras aërias aliquas passiones, queamadmodum & quæ uocantur uirgę, quæ secundum colorem Iridis in rectum in nubibus apparent, imbres & tempestates sæuas, aut omnino plurimam aëris mutationem futuram designant. multa uerò & circa lunam, cum uel augetur, uel minuitur, ij, qui in his occupantur, signa obseruarunt, quòd scilicet aër, qui circa terram est, cum ipsis lunę figuris necessario permutetur. cum enim tenuis circa diem tertium & pura est, stabilem serenitatem pollicetur. cum uero crassa in summis cornibus & subrubens apparet, uel copiosam aquam ex nubibus, uel uiolentum uentorum motum minatur. Significationes uerò, quæ ex his fiunt, quantam uitæ utilitatem afferant, quis ignorat? licet enim nautę intra portus scapham tenere, uentura pericula præuidenti, licet & uiatori è longinquo declinare damna, dum ex tristi cœli uultu mutationem aliquam expectat. agricolę uerò, qui circa semina & plantarum curam occupantur, omnes hinc inueniunt operum suorum opportunitates. iam uerò etiam cum uniuersum hoc dissoluendum erit, prædixit Dominus futura signa [*in sole & luna & stellis.*] [*sol mutabitur in sanguinem,*
Luc. 21. *& luna non dabit lumen suum.*] hæc signa sunt, quæ ad uniuersi
Act. 2. complementum pertinent. qui uerò ultra hæc septa transiliunt genethliaci, ad suæ artis patrocinium orationem trahunt, dicuntque pendere uitam nostram à cœlestium motu, ac propterea

ex astris

ex astris fieri illas Chaldæorum significationes rerum, quæ circa nos eueniunt, & scripturæ simplicia uerba, uidelicet, sint in signa, dicunt non ad aëris mutationes, ac temporum uicissitudines, sed ad id, quod cuiusque uita sortiatur, pertinere. quid enim aiunt? quòd horum, quæ mouentur, astrorum coniunctio cum ijs stellis, quæ in Zodiaco mouentur, cum secundum talem figuram congrediuntur, tales genituras efficiunt. alia uerò eorum figuratio contrariam uitæ sortem parit, de quibus non erit fortasse inutile aliquid leuiter tangere, & ea ipsa in eorum redargutionem in medium ponere, quę ipsi dicunt, ut hæc, quæ dicam, ijs quidem, qui iam decepti fuerunt, medeantur, alijs uerò tanquam antidotum sint, ne in eosdem errores incidant. Genthliaci, qui hanc artem excogitauerunt, cum didicissent, in temporis latitudine multas illos figuras effugere, in angustum prorsus concluserunt mensuras temporis, quandoquidem in breuissimo spatio, atque, ut apostolus ait, [*in momento, in ictu oculi*,] maxima fit differentia inter generationem & generationem, ut qui in hoc momento natus sit, tyrannus sit futurus urbium, & princeps populorum, diuitijs & potentia pręstans. qui uerò in altero temporis momento in lucem prodierit, hostiatim panem sit mendicaturus, quotidiani uictus gratia. hanc ob caussam circulum, quem signiferum appellant, cum in duodecim parteis diuisissent, quoniam per triginta dies pertransit sol duodecimam partem eius sphærę, quæ uocatur inerratica, in triginta partes unamquanque ex illis duodecim partibus diuiserunt deinde unamquanque partem in sexaginta diuidentes, rursus sexaginta harum singulas sexagies secuerunt. Cum itaque ponunt natiuitates eorum, qui nascuntur, uideamus, num exactam hanc diligentiam huius diuisionis temporis seruare possint, nam simul atque puer natus est, & nutrix inspicit, num mas sit an fœmina, & infantis fletum expectat, quod signum est uitalis partus, interea quot sexaginta per hoc tempus uis pertransisse? dic Chaldęo id quod natum est, per quot momenta vis statuamus nutricis uocem pertransisse, præsertim si contingat, eum, qui horam deponit, extra locum mulierum stare? oportet horoscopia didicisse eum, qui exactè horam sit descripturus, siue diurna hæc sint, siue nocturna. quantum sexaginta momentorum

1.Co.15

examen

examen in hoc rursus præterit tempore? necesse enim est inueniri horoscopum stellæ, non solum, vt quotus duodecimę partis est, verum etiam secundum qualem illius partem, & in quoto sexagesimo eorum, in quę diximus partem illam diuidi, uel, ut exactè res inueniatur, à quoto sexagesimo eorum, quę subdiuiduntur à primis sexagesimis. & hanc ita subtilem & incomprehensam inuentionem temporis, dicunt in unoquoque planetarum fieri esse necessarium, ut inueniatur, qualem haberent positionem ad inerraticas, & qualis esset eorum figura inter se in illa tunc nati generatione. itaque si horam exactè assequi possibile non est, & breuissimi temporis differentia efficit, ut à toto aberretur, ridiculi sunt & qui circa hanc artem occupantur, & qui eis fidem habent. Sed operę pretium est scire egregia eorum iudicia. ille (inquiunt) crispo erit capillo, & gratiosus, nam sub ariete natus est: cernere enim est hoc animal esse eiusmodi. quin & magnagnimus erit, quandoquidem aries dux gregis est. erit & ad agendum promptus ac liberalis, quoniam & animal hoc, & sine tristitia lanam deponit, rursusque à natura facile vestitur. qui verò sub tauro nascitur, tolerans malorum erit, ac seruitutem seruiet. nam taurus sub iugum agitur. qui autem sub scorpio, percussor erit, quemadmodum & scorpius ferire solet. qui sub libra nascitur, iustus erit ob æqualitatem, quæ apud nos habetur in lancibus. Quid obsecro his cogitationibus magis ridiculum est? aries, à quo genesim hominis accipis, cœli pars est duodecima, in quo vbi sol est, uerna signa tangit, eodem modo libra & taurus, & horum vnumquodque duodecima pars sunt illius circuli, qui Zodiacus appellatur. quo ergo pacto tu, qui dicis, illinc procedentes causas existere uitę hominum, ex pecudibus, quæ penes nos sunt, nascentium hominum vitam designas? etenim qui sub ariete natus fuerit, liberalis erit, non propterea quòd illa cœli pars hunc morem efficiat, sed quia pecus huius naturæ est. quid ergo persuades, ut fidem habeamus astris, & persuasionem hanc à balantibus accipis? nam si ab animalibus acceptas hasce morum proprietates cœlum habet, & ipsum alienis principiis subiectum erit, à pecudibus pendentes causas habens. quòd si ridiculum est hoc dicere, multò profectò ridiculosius est, ex iis, quę nihil inter se communicationis habent, conari adhibe

re persuasiones. Sed hęc quidem horum sapientia aranearum telis persimilis est, in quas si culex aut musca inciderit, aut aliud eiusmodi infirmum insectum, mox ligata detinentur, at si fortiora animalia accedant, & ipsa facilè euadunt, & imbecillam texturam frangunt. Neque uerò in hoc stant, sed quarum rerum voluntas cuiusque nostrum domina est, studiorum uidelicet virtutis ac uitii, etiam harum rerum causas cœlo ascribunt, quibus contradicere quidem alioqui ridiculum esset, nisi sciremus plerosque ab hac impostura fuisse præoccupatos, quare necessarium fortasse erit, rem silentio non præterire. Primum ergo illud quidem eos interrogabimus, si non singulis diebus millies permutantur astrorum figuræ. cum enim semper in motu sint ij, qui planetæ uocantur, & alii quidem uelocius mutuò se apprehendant, alii uerò tardiores ambitus faciant, eadem hora mutuo sese, & aspiciunt & occultant. maximam autem uim habere volunt illud, vel à beneficio sidere cerni, vel à malefico, quæ ipsi appellant, & sæpe cum non inuenerint tempus à benefico astro testatum, ob unius tenuissimorum momentorum ignorantiam, descripserunt tanquam positum in malefico & infelici. nam eorundem ipsorum verbis vti cogimur in hisce sermonibus, in quibus multa quidem stultitia est, neque minor impietas. nam maleficę stellæ sui vitij causam in earum auctorem transferunt. nam, si ex earum quidem natura malum est, artifex erit illius mali effector. si verò proposito ac voluntate malè faciunt, primum quidem erunt animalia ex proposito agentia, solutis & liberis motibus vtentia, quod vltra omnem insaniam est, contra inanima mentiri. deindequàm est irrationabile, malum & bonum non pro dignitate distribuere vnicuique, sed quoniam in hoc & hoc loco est, bonum esse, & quoniam ab hoc cernitur, eundem maleficum fieri, & quando rursus paululum à figura declinauit, confestim maleficii esse oblitum? Et hæc quidem in hunc modum. quòd si per singula momenta temporis in aliam, & aliam figuram transmutantur, atque in his infinitis mutationibus sæpius in die regiarum natiuitatum figurationes perficiuntur, quam ob causam singulis diebus non nascuntur reges? aut cur omnino paternę sunt apud eos regni successiones? neque enim singuli reges obseruant regiam stellarum figuram, cum filiorum genera-

tioni incumbunt. quis enim hominum huius rei dominus est? quomodo ergo Ozias genuit Ioatham, Ioatham Achaz, Achaz Ezechiam, & nemini in his obtigit seruilis hora natiuitatis? præterea si rectè & iniquè factorum principia non in nobis sunt, sed ex natiuitate sunt necessaria, superuacui erunt legum latores, qui nobis quę vel agenda, vel fugienda sunt, definiant. superuacui & iudices, qui & virtutem honestent, & vitium castigent. neque enim furis est peccatum, neque homicidæ. cui enim ne volenti quidem possibile erat manum abstinere, cum euitare non posset actiones vrgente necessitate, & fato ineluctabili. stultissimi etiam omnium sunt, qui circa artes laborant, quando abundabit quidem agricola, licet semina non iaciat, neque falcem acuat. diues item fiet mercator, velit, nolit, fato ei facultates subministrante. magnæ verò Christianorum spes inanes abibunt, si neque iustitia honoretur, neque damnetur peccatum, dum nihil ex proposito ab hominibus efficitur. nam vbi necessitas, & fatum dominatur, nullum habet locum id, quod pro dignitate est, quod iusti iudicij pręcipuum est. Et hęc quidem aduersus istos satis sint, neque enim uos longiori oratione egere video, neque ratio temporis patitur, ut longius progrediamur. Sint ergo in signa, & tempora, & dies & annos. de signis iam dictum est. tempora uerò appellare videtur uicissitudines illas quatuor anni partium, hyemis, veris, ęstatis, autumni, quę ut ordinatè procedant, statutos luminarium motus prębet. hyems enim fit, cum australibus partibus sol immoratur, & multa nocturna umbra hemisphærium nostrum occupat, ut aër, qui circa terram est, refrigescat, & humidi uapores nos circunstantes, imbrium causam, & glaciei, & frigoris, & copiosarum nubium præbeant. ubi verò rursus regrediens à meridianis locis in medio fit, vt ęqua temporis pars nocti ac diei tribuatur, quantò diutius in locis, qui supra terram sunt, immoratur, tantam paulatim temperiem reducit, & fit ver, omnibus plantis germinandi principium, & arboribus præbens vt reuiuiscant, & animantibus, quę vel in terra vel in aquis degunt, omnibus genus seruat, ex eorum successione, quæ generantur. inde verò iam ad ęstiua solstitia, versus ipsum septentrionem se recipiens sol, maximos ac longissimos nobis dies parit, & quia plurimum moratur in aere, ipsum, qui super

per caput noſtrum eſt, aerem torret, & terram omnem areſacit, atque ex hoc ſeminibus opitulatur, vt matureſcant, & arborum fructus vrget, vt percoquantur. demum ſuccedens autumnale tempus prohibet exuperantiam frigoris, & paulatim de calore imminuens per mediocritatem temperamenti, innocuos ad hyemem nos perducit, dum videlicet ſol rurſus à Borealibus locis ad meridiana reuertitur. hæ verò temporum anni viciſsitudines ſolis motus ſequentes, vitam noſtram gubernant, vt intelligimus, cœleſtem illam choream vſibus noſtris deſeruire. Sint (inquit) Gen. 1. non ſolum [in ſigna & tempora, ſed etiam in dies & annos.] in dies quidem, non vt dies faciant, ſed vt præſint diebus. dies enim et nox antiquior eſt generatione luminarium. cum enim dictum fuit, [factum eſt veſpere & mane dies vnus,] nondum ſol neque luna facti fuerant. ſed factus eſt ſol (ait pſalmus) *in poteſtatem diei, luna & ſtellæ in poteſtatem noctis,*] dum ſol lumen in ſeipſo circunferens, cum in noſtro orizonte apparet, diem præbet ſolutis tenebris. luna verò & ſtellæ noctu lumen ſuum proferunt. in annos quoque ſol & luna facti ſunt, & luna quidem, cum duodecies ſuum curſum perfecerit, annum facit, niſi quòd intercalari interdum menſe indiget, ad exactiorem cum ſolari anno concurſum, vt & Hebræi faciunt, & vetuſtiſsimi olim Græci. ſolaris verò annus eſt, ab eodem puncto ad idem punctum ſecundum proprium motum, ipſius ſolis reſtitutio. Neque verò motum duntaxat ſolis ac lunæ, verum etiam magnitudinem ęquum eſt contemplari, quam ne ſcripturę quidem ſacræ tacuerunt, cum dixere. [fecit Deus duo luminaria magna.] magnum ergo eſt ſolis luminare ſecundum ſcripturę teſtimonium. neque te id quod aſpectibus apparet, fallat, dum cernentibus videtur cubitalis. contrahi enim conſueuerunt in maximis interuallis eorum magnitudines, quæ cernuntur, dum cernendi vis non aſſequitur, vt ſpatium, quod in medio eſt, penetret, atque pertranſeat. quare aſpectus noſter imbecillis & exiguus effectus, exigua videri facit ea, quæ cernuntur. eſt ergo ſol infinitis partibus maior, quàm apparet, cuius magnitudinis illud tibi ſit euidens indicium, quòd, cum infinitę multitudinis ſint in cœlo ſtellę, lumen, quod ab illis colligitur, non eſt idoneum ad noctis obſcuritatem diſſoluendam, ſolus verò iſte ſuper orizontem apparens, atque adeo dum adhuc expecta-

Pſ. 135.

tur, vt mox appareat, ante quàm terris ſeſe oſtendat, fugat tenebras, lumen ſtellarum tollit ſuo ſplendore, & concretum aerem, qui circa terram eſt, diſſoluit atque diffundit. vnde & matutini venti & rores ſereno tempore generantur. cum verò tam ingens ſit terra, quo pacto poſſet ſol vno temporis momento totam illuſtrare, niſi ex magno orbe lucem emitteret? Interea artificis ſapientiam diſce, qui tanto interuallo huic, quod inter cœlum & terram eſt, commenſuratum calorem dederit. tanta eſt enim in eo calefaciendi vis, vt neque ob exuperantiam exurat terram, neque ob caloris inopiam, frigore oppreſſam infœcundam relinquat. Cognata ijs, quæ diximus, ſunt etiam, quæ ad lunam pertinent, nam & ipſa magnum eſt luminare, cuius magnitudo ab exiguis coniecturis demonſtrari poteſt. nam vrbes, quę per totum terrarum orbem plurimum inter ſe diſtant, ex æquo omnes lunare lumen accipiunt, ſicut viri illi, qui ad orientem uerſi ſunt, quibus omnibus niſi aduerſa fronte ſtaret, fieret, ut alios rectà illuſtraret, alios, qui ab eius latitudine exciderent, delatis in obliquum radijs. id quod & in lucernis cernere eſt, quę in domibus ſunt. cum enim plures unam lucernam circunſtant, umbra eius, qui in rectum ſtat, recta linea intenditur, reliquę uerò ex utraque parte inclinant. Itaque niſi immenſum eſſet, excelleretque magnitudine lunare corpus, non ęquè atque eodem modo porrigeretur omnibus. magnum ergo huius corpus eſt, & poſt ſolem maximè illuſtre. uerum non ſemper quidem uiſibilis permanet eius magnitudo, ſed nunc quidem perfectum habet circulum, nunc uerò deficiens & imminuta apparet, altera eius parte demonſtrans quod deeſt. nam alia parte adumbratur, dum creſcit, alia parte, cum imminuitur, occultatur. ratio autem arcana quædam ſapientis artificis eſt variæ huius figurarum permutationis. hic enim euidens præbet nobis exemplum naturæ noſtrę, quòd nihil in humanis rebus ſtabile ac firmum ſit, ſed alia quidem cum non ſint, produci, ut ſint, & perficiantur, alia verò cum ad ſummum vigorem peruenerint, ſuis rurſus paulatim diminutionibus corrumpi ac interire. quare ex miraculo, quod circa lunam fit, erudimur nos in rebus noſtris, ut cogitantes celerem rerum humanarum permutationem, ne efferamur huius uitę proſperitate, ne exultemus potentia, ne incerto diuitiarum inſoleſcamus.

contemnamus carnem, circa quam fit hæc variatio, & animum curemus, cuius bonum immotum est, quòd si tristior efficeris ob illas lunæ, quæ paulatim fiunt, imminutiones, tristem te magis reddat anima, quæ adepta virtutem, ob incogitantiam bonum illud perdit, & nunquam in eodem affectu permanet. re enim uera, quemadmodum ait quidam sapiens [*stultus ut luna mutatur.*] *Eccl.27*
Hęc etiam varia lunæ permutatio non exiguam vtilitatem affert animalium vitæ, & reliquis, quæ è terra producuntur. aliter enim afficiuntur corpora, cum luna minuitur, aliter cum augetur. cum enim deficit, rara fiunt & inania, cum verò augetur, atque ad plenitudinem festinat, illa rursus replentur, quia humiditatem quandam calori permixtam latenter immittit. declarant hoc, qui sub luna dormiunt, quorum capita copiosa humiditate replentur, & nuper interfectorum animalium carnes appulsu lunæ citò uitiantur. quę omnia nequiret luna sua mutatione simul permutare, nisi excellens quid esset ac virtute pręstans, vt scriptura testatur. Quin & variæ aëris affectiones huius mutationibus perficiuntur, quod testantur nobis repentinæ turbationes, quæ sępe fiunt in nouilunio, cum antea esset summa tranquillitas, & aër à uentis liber, dum nubes quatiuntur, & inter se mutuò colliduntur. declarant hoc & refluxus circa Euripos, & aquæ reciprocatio in oceano, quam ordinatè sequi lunę periodos obseruarunt locorum illorum accolæ. nam Euripi defluunt in vtranque paertm secundum reliquas lunæ figuras, in tempore autem generationis ne momento quidem quiescunt, sed in fluctu ac commotione continua sunt, donec rursus apparens, consequentiam quandam refluxui pręb eat. at Hesperium mare reciprocationes patitur, nunc accedens nunc recedens, tanquam lunæ respirationibus retroactum, rursusque eiusdem flatu ad propriam mensuram propulsum. Quod verò de lunę imminutione diximus, accipiendum est, non quòd ita deficiat ac minuatur, quasi prorsus illius corpus consumatur, sed quòd lumen ei circumpositum deponens, rursumque recipiens, diminutionis nobis atque incrementi imaginem pręb eat. quòd autem eius corpus ipsa deficiente non consumatur, euidens testimonium sunt ea, quę cernuntur. licet enim cuique, cum purus aër est, & ab omni nebula liber, cum maximè falcata figura luna est, obseruanti inspicere partem eius, quæ luce

caret,

caret, à tanto circulo circunſcribi, quantus totam ipſam implet cum eſt plenilunium. Hic itaque ſolis, ac lunæ uſus eſt, ſeruiens procreandis conſeruandisque rebus. uerum nequis hiſce egregijs luminaribus plus tribueret, quàm par eſt, uoluit Deus, ut ante terra germinaret, quàm ſol fieret, ante enim ſolem factum, dixit Deus, [germinet terra herbam uirentem & facientem ſemen ſecundum genus ſuum, & lignum fructiferum faciens fructum ſecundum genus ſuum,] ut ſcilicet terra germinaret ſine ullo exterius adhibito adiumento. nam quidam putant ſolem cauſam eſſe eorum, quæ è terra naſcuntur, dum attractu caloris ad ſuperficiem, uim ex profundo educit. idcirco antiquior ſole eſt hic circa terram ornatus, ut nemini in mentem ueniat adorare ſolem, tanquam ipſe uiuendi cauſam præbeat, cum enim perſuaſum eis fuerit, ante illius ortum omnem hunc circa terram ornatum extitiſſe, deſinent admirari, tanquam Diuinum quid in eo ſit, cogitantes illum fœno, ac herbis eſſe ętate iuniorem. Et hęc quidem de ſolis, ac lunę & ſtellarum uſu pro temporis ratione ſint dicta. ex quibus illud etiam boni aſſequi homines poterunt, ut ex horum contemplatione factis quaſi gradibus, ſupra cœlos & hanc fabricam, quę corporeis aſpectibus patet, ad interiora illa conſcendant, quæ ſola mente conſpiciuntur, cogitentque, ſi extrinſeca hęc, & quæ nobis in hoc exilio degentibus ſeruiunt, tanta ſpecie ſunt à Deo honeſtata, quanta illa eſſe debent, de quibus ſcriptum eſt, quòd
Eſa. 64. [*nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt,*
1. Cor. 2 *quæ præparauit Deus diligentibus ſe?*] accedet & aliud, quòd intellecta cœli amplitudine, cui totus terrarum orbis comparatus, unius puncti inſtar eſt, pœnitebit nos harum anguſtiarum, iudicabimusque, eum, qui etiam in totam terram, quod nemini unquam accidit, imperium fuiſſet aſſecutus, nihil magni ade-
Bar. 3. ptum eſſe, & exclamabimus cum propheta, *O Iſrael, quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus habitationis eius, magnus, & non habens finem, excelſus & immenſus,*] Poſt cœli & cœleſtium luminarium contemplationem offert ſeſe ingens hæc quatuor elementorum moles, ignis uidelicet, aëris, aquæ, & terrę, de quibus non omnia dicemus, quæ philoſophi obſeruarunt, & de eorum inter ſe conuenientia, atque ordine, & quo pacto, neque plura, neque pauciora, eſſe ea oportuerit, quod & mathe-

matícis

maticis rationibus demonſtrare conantur, ſed ea duntaxat attingemus, quę latiore ſpecie ſunt, atque ad audientium ędificationem magis accommoda. quæ prius quàm contemplari incipiamus, uenit in mentem explicare locum, qui in ſecunda beati Petri epiſtola eſt, ubi ait, cœlos, ac terram de aqua & per aquam 2.Pet.3. conſtitiſſe Dei uerbo. quod ſic eſt intelligendum, cœlos eſſe ex aqua. ipſe enim Moſes dixit, Deum præcepiſſe, ut fieret firmamentum in medio aquę, hoc eſt, ſolidior aquarum ſubſtantia, & Gen. 1. terra ſimiliter ex aquis apparuit, atque prominuit iuſſu creatoris. Sciendum quoque eſt, duo eſſe elementa maximę efficacię, quæ in primis contineant uniuerſum, aquam uidelicet, atque ignem, à quibus duo reliqua elementa accipere uidentur, ut ſint. aërem quidem euaporantibus aquis, terram uerò eiſdem coagmentatis. utranque autem rem, euaporationem ſcilicet, ac coagmentationem ex igne proficiſci. nam hanc uim à creatore Deo ignem ſortitum eſſe. aqua ergo terram, ut gluten quoddam, comprimit; quæ niſi adeſſet, neceſſe eſſet terram in puluerem diſſolui, atque aëreſcere, hoc eſt, in aërem conuerti, ſimiliter & aërem uolunt uaporibus aquę nutriri, & contineri, ne ignis fiat. Immenſa eſt autem aquarum moles, & multis partibus terra maior: ſapientiſsimo artifice id, quod erat futurum inſpiciente. quę igitur neceſsitas fuit, cur tam uehementer aqua exuperaret? cum eſſet huic uniuerſo neceſſaria ignis ſubſtantia, non ſolum ut ijs inſeruiret, quę circa terram fiunt, uerum etiam ad uniuerſi complementum, quod mutilum eſſet, ſi uno maximo, atque opportuniſsimo eſſet deſtitutum. cumque oppoſita hæc inter ſe ſint, & alterum uim perdendi alterius habeat, ignis quidem aquæ, cum uirtute ſuperauerit, aqua uerò ignis, ſi copia antecellat. oportebat autem, neque ſeditionem inter illa eſſe, neque altero omnino deficiente occaſionem diſſolutionis accidere uniuerſo, iccirco tantam humidi naturam Diuina prouidentia uniuerſi gratia præparauit, ut uſque ad pręfixos fines conſtitutionis mundi, aqua, dum paulatim uiribus ignis conſumitur, ſeſe opponat. Qui ergo omnia in pondere, & menſura conſtituit, (numeratæ enim ei ſunt, quemadmodum in libro Iob ſcribitur, guttæ pluuię) nouit quantum temporis mundo ad perdurationem conſtituerit, quantamque oportuerit igni reponere con-

consumptionem. Et hęc quidem est ratio, cur tanta aquarum copia in creatione fuerit præparata. at verò ignis vsus, quàm sit mundo necessarius, nemo tam prorsus extra uitam est, ut docto re hac in re opus habeat, non solum quia artes, quæ uitam nostram continent, ignita operatione omnes indigent, ut textoria, coriaria, ædificatoria, agricultura, uerum etiam, quòd neque arborum germina, neque fructuum maturitatis, neque animantium uel terrestrium, vel aquatilium generationes, neque horum alimenta vel initio constitissent, vel ad tempus perdurassent, virtute caloris deficiente. Itaque necessaria quidem est calidi possessio ob eorum, quę fiunt ac generantur, & constitutionem & permanentiam, necessaria verò & humoris copia, quia irrequieta, atque ineuitabilis est consumptio, quæ ab igne fit. nam [*ignis nunquam dicit sufficit*,] ait Salomon. Circunspice omnem creaturam, & uidebis calidi uim omnibus, quę in generatione, & corruptione fiunt, dominari. ob hanc causam aquarum ingens copia super terram fusa est, & in profundo etiam terrę disseminata, unde fontium ubertas, & puteorum scaturigines, & maximorum fluminum ac torrentium defluxus, quia in multis & uariis terrę penetralibus seruatur humidi natura. in hunc modum terram à nobis habitatam aquę circumplectuntur, & plurima maria, atque infinita ac continua flumina, arcana artificis sapientia ita statuente, ut contraria igni natura difficile consumi posset, donec ueniat tempus, cum omnia igni torreantur, quemadmodum per prophetas prędictum fuit. nam per Esaiam Deus

Esa. 44. ait. [*qui dico abysso, desolare, & omnia flumina tua arefaciam.*]

2. Pet. 3. & apostolus Petrus. [*qui nunc sunt cæli* (inquit) *ac terra, eiusdem sermone repositi sunt, & seruantur igni in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.*] & paulo post. [*ueniet autem dies Domi-*

ibidem. *ni sicut fur in nocte, quo cæli in procellæ marem transibunt, elementa uerò æstuantia soluentur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur.*] at hæc cogitatio quid efficere in nobis debet? nempe quod idem apostolus subdit, [*cum igitur hæc omnia* (inquit) *soluantur,*

ibidem. *quales oportet esse uos in sanctis conuersationibus, ac pietatibus, expectantes & accelerantes aduentum diei Dei, per quem cæli incensi soluentur, & elementa æstuantia liquescent.*] Hæc qui secum interdum meditaretur, desineret tam uehementer affici terrę ac ter-

renis rebus, quæ veluti somnium abituræ sunt, & ea duntaxat quæreret, quæ sunt in æternum permansura. Verum in hac elementorum contemplatione, danda est etiam aëri sua pars, in quo in primis Diuina & admiranda fiunt opera, & cuius vsus maximè est homini necessarius. contemplare enim quantus sit artifex, qui tam ingens elementum effudit, & tam exuberans, quod non dignitatibus non fortunis mensuratur, neque enim magis illius particeps est rex, quàm quiuis mendicus, non terminis continetur, non ætatibus distribuitur. sed hic accidit, quod de mannæ distributione scriptum est, vt alter plus altero nequeat possidere. Exo. 16.
hoc pennatorum generis vehiculum est, ventorum sedes, anni partium opportunitas, animalium refrigeratio ac respiratio, atque adeo animæ cum corpore conseruatio. cum aëre fit sermo & vox. in hoc lumen & quę illuminantur, & visio, quæ per eum fluit. uehiculum est ad irrigandam terram, temperat sua humiditate radios solis, densatus pluuiam facit, & vehementiori ventorum appulsu illam despumans, in niuem & grandinem densat. hic cœli interdum nomine appellatur. hinc illud, [*uolatilia cœli*,] Psal. 49.
& rursus.[*ascendunt usque ad cœlos*.]& Isaac benedicens filio.[*in rore cœli* (inquit) *& pinguedine terræ erit benedictio tua*.] & cum in Gen. 27. Deu. 28.
execrationibus dicitur, [*erit tibi cœlum æneum*.] significans per hæc verba omnimodam exarescentiam, & aëriarum aquarum destitutionem, per quas fœcunditas tẹrræ fructibus datur. Cum itaque dicitur ferri è cœlo rorem ac pluuiam, de aquis intelligimus, quibus superiorem regionem tenere mandatum est. collectis enim euaporationibus in altum, ac densato ventis cogentibus aëre, vbi quidem illi humores, qui interim in vaporum morem ac tenuiter in nube disseminati erant, inter se coniunguntur, guttæ fiunt, quæ grauitate permixtionis feruntur ad inferiora, & hæc est pluuiæ generatio. cum verò humidum intercisum ventorum violentia veluti in spumam redactum fuerit, deinde ad summum frigus peruenerit, & totum omnino densatum fuerit, vulnerata nebula nix deorsum fertur. grando autem ęstiuis caloribus fit, circumobsistente ac reciprocante interius in nube frigore, ob calorem à quo circundatur. Et hæc quidem de aëre dicta satis sint, ut curiositates philosophorum huius seculi deuitemus. qui quidem aër, secundum post ignem elementum, et ipse inferiora ele-

ra elementa ambit,aquam ſcilicet ac terram, quod idem & aquæ elementum efficere oportuerat, quod & initio creationis accidit, ſed ob animantium terreſtrium vſum ac vitam mandato Dei ſeceſsit, vbi dixit Deus, [congregentur aquæ in locum unum,& appareat arida.] quę vox deſignat naturam terrę,eiuſque proprietatem. vocabulum verò terræ ſimplex eſt rei appellatio, ſicut rationale eſt proprium hominis, ipſa verò vox, homo, ſignificatiua eſt animalis, cui illa proprietas, hoc eſt, rationale ineſt, ſic ariditas proprium eſt ac peculiare terræ vocabulum, neque verò hoc ſolum terræ accidit, vt ſepoſitam & ab alijs ſeparatam habeat proprietatem, verum & ſingula elementa reliqua priuatam ſortita ſunt qualitatem, per quam vnumquodque & ab alijs ſecernitur, & ipſum, quale ſit, agnoſcitur. nam qualitas aquę propria eſt frigiditas, aeris humiditas, ignis calor. verum hæc quidem vt prima elementa ante ea, quę compoſita ſunt, modo quo diximus, conſiderantur, quę verò iam in corporibus ordinata & ſubiecta ſenſibus ſunt, coniunctas habent qualitates, neque vllum abſolutè eſt ſolitarium, neque ſimplex ac ſyncerum, eorum, quæ ſenſibus ſubijciuntur, ſed terra quidem ſicca eſt & frigida, aër calidus & humidus, ignis calidus & ſiccus. ſic enim per coniugatam qualitatem vis progreditur, qua verum quodque vnicuique permiſceatur. nam & vicino elemento per communem qualitatem vnumquodque permiſcetur, & per vicini communicationem contraria etiam attingit, exempli gratia, terra, quæ arida & frigida eſt, vnitur quidem aquę ob cognationem frigiditatis, unitur uerò per aquam & aeri, quandoquidem media vtrorumque poſita aqua, tanquam duarum manuum iniectione, utraque, qualitate uicina tangit, frigiditate quidem terram, humiditate uerò aërem. rurſus aër ſua interceſsione fit conciliator pugnantis naturę, aquę & ignis, dum aquæ per humiditatem, & igni per caliditatem complicatur. ignis verò calidus & ſiccus natura cum ſit, caliditate quidem colligatur aëri, rurſus ariditate ad communicandum cum terra reuertitur. atque ita fit circulus, & conſonus quidam elementorum chorus, dum conſpirant omnia, atque inter ſe coniunguntur. Verum hodie ſatis exſpatiati ſumus, quare quieſcendum pauliſper eſt, vt ad ea, quę reliqua ſunt, accedamus alacriores. hac enim via ad Dei inuiſibilia peruenitur. ſiquidem

quidem quæ sunt [*inuisibilia illius, e x creatione mundi, dum per o-* Rom. 1.
pera intelliguntur,] peruidentur, ipsaque æterna eius potentia ac
Diuinitas, quam si curemus nunc per speculum in ænigmate pro 1.Co. 19
viribus contemplari, fiet, vt aliquando illam sicuti est, intuea-
mur, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spi-
ritu sancto est honor & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO LVI.

in eandem sententiam.

HACTENVS immensa cœli & elementorum spatia perlustrauimus, & interea sumus contemplati vtilitatem, quam ex cœlestibus luminaribus, & igne, atque aëre capiamus. nunc videndum est aliqua ex parte (nam totum peruestigare humana nequit imbecillitas) quantam nobis rerum copiam Dei liberalitas ex terra & aquis subministret, vt illius tanta beneficentia ac largitate non abuti tandem aliquando discamus, sed potius contemplatione tam profusæ erga genus nostrum bonitatis, quorum causa facta hæc omnia sunt, grati esse incipiamus, atque in omnibus bonis, quæ nobis ita abunde suppeditantur, illius incomprehensam bonitatem quibus possumus laudibus prosequamur. Intueamur itaque primum rerum copiam, quę è terra, iubente Deo, nostro vsui producuntur, tam multa herbarum genera, tot virtutibus prædita, quę, cum ad edendi iucunditatem, tum ad diuersa medicamina suppeditantur, florum pręterea admirandam varietatem, qui & suaueolentia & specie mirum in modum sensus hominis oblectant. quorum egregium colorem, tanquam conspicuum quoddam vestimentum, Dominus pro exemplo proposuit, cum arguere vellet exiguam fidem nostram. [*considerate* (inquiens) *lilia* Mat. 6.
agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. amen dico uobis, nec Salomon in omni gloria sua uestitus fuit sicut unum ex istis. si ergo fœ-

num, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quantò magis uos pusillæ fidei?] & sanè quæ tapetia artificiosissimè elaborata, æquare possunt florentis prati speciem & gratiam? quam tamen momentaneam & fragilem esse Deus uoluit, non solum ob iam dictam causam, ut scilicet fidamus ei, qui, cum rem nullius pretij tam pulchrè ornet, multò magis nos curabit, quorum causa facta sunt omnia, uerum etiam ut in ijs contemplemur
Ps. 102. humanarum rerum uanitatem. quod cogitans Dauid aiebat. [*homo sicut fœnum, dies eius sicut flos agri sic efflorebit.*] & Esaias, [*uox*
Esa. 40. *dicentis, clama,*] nimirum ut surdi ad ista homines exaudiant, & [*quid clamabo? omnis caro fœnum & omnis gloria eius sicut flos fœni, fœnum aruit, & cecidit flos.*] nam exiguum uitæ tempus, & momentanea hilaritas humanè felicitatis effecit, ut propheta hac similitudine uteretur. hodie quis uigescenti corpore est, & obeso ob delicias, florido colore ob uigorem ætatis, cras idem ipse est miserabilis, qui uel tempore emarcuit, uel morbo est dissolutus. alius conspicuus est diuitiarum copia, circunstantium assentatorum numero, satellitio simulantium amicitiam, cognatorum multitudine & ipsa simulata, adde diuitijs ciuilem aliquam potentiam, atque à regibus honores, ut præsit genti, aut exercitus dux sit, atque ob potestatem terrori sit omnibus. quid deinde? nox una, aut una febris, aut laterum dolor aufert eum ab hominibus, omni repente illum scena denudans, & gloria eius uelut somnium uisa est. quare meritò propheta humanam omnem gloriam floribus comparat. Intuere præterea arborum, ac plantarum diuersa genera, in quarum etiam folijs est artificium, ut & iucunditatem aspectui & fructibus utilitatem afferant. contemplare pomorum & aliorum fructuum, qui ex plantis oriuntur, & uarietatem & copiam. in ipsis quoque arboribus cernere est artificiosum ordinem, & quo pacto aliæ fœcundę sint, ac fructiferæ, aliæ infœcundæ, ac sine fructu, aliæ ad naues conficiendas aptę, alię ad comburendum. in ijs rursus uaria quidem est in unaquaque arbore partium dispositio, & difficilis excogitatio proprietatis cuiusque, & differentiæ inter eas contemplatio, dum aliæ quidem ex eis in altum radices agunt, aliæ in summa terra. & aliæ rectæ, atque unum ab radice caudicem habentes, aliæ humi depressæ, & quę mox ab radice in multa germina diuidantur.

diuidantur. quo pacto quarum rami in altum feruntur, quantum uertice (ut ait poëta) ad auras ætherias, tantum radice in tartara tendunt, tanquam fundamenta quædam celsitudini arboris subijciente natura. corticum item quàm multæ sunt differentiæ, dum hę quidem leui, illę uerò aspero cortice sunt, & aliæ uno, ac simplici cortice contentæ, aliæ uelut multiplici ueste indutæ, quodque admirandum est, inuenias & in plantis similes quosdam casus, qui hominibus accidunt, iuuentutis, ac senectutis. nam iuuenibus, ac uigescentibus cortex extensus est, senescentibus uerò uelut rugæ crispantur. & aliæ quidem cæsę regerminant, alię manent sine successione, amputationem ueluti mortem ferentes. iam uerò sunt, qui obseruauerint, pinus sectas, aut combustas in quercus transmutari, quasdam uerò arbores, uitium, quod ex natura contraxerant, uidimus agricolarum cura deposuisse, ut malogranata, quę acuto & aspero sapore sunt, & amygdala amariora, perforato ad radices stipite, pinguem tędę cuneum in media medulla admittentia, asperitatem illam in suauem succum mutant. nemo itaque ex ijs, qui in uitio degunt, desperet correctionem, cernens agriculturæ industriam qualitates plantarum mutare. multò ergo magis animi secundum uirtutem cura potest morbos omnes superare. At uerò circa fructuum genituram tam multa est fructiferarum plantarum differentia, ut percurri oratione non possit. neque enim solum in diuersi generis arboribus differentia fructuum est, uerum in eadem etiam arboris specie, quando alius character fructus masculorum, alius fœminarum arborum obseruatur ab ijs, qui excolendis arboribus operam dant, qui palmas in masculos, ac fœminas diuidunt. & cernas interdum eam, quæ ab illis fœmina appellatur, dimittere ramos, & quasi amplexum uiri appetere, quo animaduerso cultores inijcere ramos, quasi semina quędam masculorum, atque ita fœminam ueluti fruendi sensu oblectatam, rursus erigere ramos, atque ad priorem formam comam restituere. eadem & de ficu ferunt. quare alij quidem siluestres ficus iuxta domesticas plantant, alij grossos alligantes, frugiferarum, ac domesticarum languori, ac debilitati medentur, decidentem iam fructum grossis illis continentes. Atque hac in re à natura accepto exemplo admonemur, oportere sæpe

nos ab

nos ab ijs, qui alieni à fide sunt, constantiam aliquam accipere ad rectè factorum exercitium. si enim uideas ethnicum hominem temperantem uitam agere, & compositos habere mores, maius studium adhibe, ut similis fias fructiferę ficui, quæ sibi ex agrestium præsentia uim comparat, & fluxum quidem illum cohibet, accuratius uerò fructus nutrit. Et huius quidem generis sunt differentiæ nascentium fructuum, ut minima de plurimis sint dicta. ipsorum uerò fructuum quæ oratio assequatur uarietatem, figuras, colores, saporum proprietates, utilitatesque, quę à singulis proficiscuntur? & quo pacto alij quidem à sole coquantur, alij uerò quibusdam receptaculis operti perficiantur. & quarum quidem arborum tener est fructus, eos crassius integumentum protegit, ut in ficu. quarum uerò fructus solidiores sunt, in ijs leuis est foliorum protectio, ut in nuce. quia illæ quidem ob imbecillitatem maiore indigent auxilio, his uerò etiam officeret crassius operimentum propter umbram. cernis quomodo folium uitis scissum sit, ut racemus & aëris offensioni obsistat, & radium solis ob raritatem abunde admittat? nihil sine causa, nihil à fato & casu est, omnia arcanam habent sapientiam. quænam assequatur oratio, quæ humana mens exactè percurrat, ut dispicere proprietates possit, & omnium inter se differentias diiudicare, atque occultas causas in lucem proferre? una aqua per radicem attracta, aliter nutrit radicem ipsam, aliter corticem trunci, aliter lignum, aliter medullam. eadem aqua & folium fit, & in ramos scinditur, & fructibus prębet incrementum, & lacryma plantæ & succus ex eadem causa proficiscitur, quibus quanta sit inter se differentia, nulla oratio explicare queat. Quo uerò pacto rursus ex eodem humore in uite quidem uinum fit, in oliua oleum. neque hoc solum miraculo est, quo pacto hic quidem humor edulcuerit, illic uerò pinguis euaserit, uerum etiam quòd in dulcibus fructibus ineffabilis est differentia qualitatis. nam aliud est dulce in uinea, aliud in malo & ficu & palma. idem tamen est terræ humor, qui in diuersis & plantis & herbis nunc dulcis fit nunc amarus, alibi acidus, alibi austerus, omnium denique saporum accipit qualitates. Differentiæ uerò in coloribus quàm multę sunt. cernas enim in prato eandem aquam in hoc flore rubescere, in illo purpureum, in alio nigrum, in alio

album

album colorem accipere. & maiorem rurſus, quàm ſit in coloribus uarietas, cernas prębere in odoribus differentiam. Hæc autem omnia uno Dei pręcepto extiterunt, cum dixit. [germinet terra herbam uirentem, & lignum faciens fructum.] mox enim herbæ ubique extiterunt, mox ſumma iuga montium comata uiſa ſunt, horti decori apparuerunt, fluuiorum ripę infinitis plantarum generibus fuerunt honeſtatę, quarum aliæ factę ſunt, ut hominum menſas ornent, alię ad pecudum paſcua, ex folijs ex fructibus, aliæ nobis ad medicinam ſeruiunt, humores, ſucci, cortices, fructus. in ſumma quæcunque nobis diuturna experientia adinuenit, ex incidentibus caſibus colligens id quod utile eſt, hęc ſumma creatoris prouidentia ab initio proſpiciens in eſſe produxit. Tu uerò cum cernis domeſticas arbores, ſilueſtres, gaudentes aquis, terreſtres, floriferas, ſine flore, in rebus exiguis magnum agnoſcens, adde ſemper aliquid miraculo, & auge erga creatorem charitatem, & ſcrutare, ut alias quidem creauerit ſemper uireſcentes, alias quæ quotannis ſpolientur. & earum, quæ ſemper uirides apparent, alias abijcere folia, alias ſemper illa tenere. nam olea & pinus abijciunt folia, licet ſenſim ita permutent, ut nunquam uideantur coma nudari. at palma ſemper folia retinet, cum eodem folio à primo germine uſque in finem perſeuerans. deinde & illud conſidera, myricam ancipitem eſſe, hoc eſt, & inter arbores numerari, quę aquis gaudent, & in ſolitudine atque arentibus locis multam reperiri. icciro non iniuria Ieremias malos & uarios mores huic plantæ comparauit. plura etiam in hunc modum inuenies exempla in terrę germinibus & plantis, quæ ad uitæ ędificationem faciant, vt cum cernis arborem nucis percuſsionibus fieri fœcundiorem, quod & in olea quidam experti ſunt, diſcis afflictiones utiles eſſe ad fructus pietatis ferendos. ſic cum cernis uitem, quę ſilueſcere permittitur, minus aptam eſſe ad uuas producendas, doceris, hanc terrenarum rerum nimiam copiam impedimento eſſe, quo minus in Euangelica præcepta pleno gradu ingrediamur. ob hanc cauſam Dominus accepta ab hac uite comparatione aiebat. [*omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum* (nempe pater) *ut fructum amplius afferat*.] & , cum audis, omnem palmitem non ferentem fructum in ignem mitti,

Gen. 1. *Ier. 17.* *Ioan. 15.* *ibidem.*

&

& comburi, inuitaris ad rectè facta, ne in æterna Geennę incendia conijciaris. Et sanè si nil aliud terra, quàm ea, quæ dicta sunt, protulisset, maximæ Diuinę liberalitati gratię essent habendę, cum verò tot præterea animalium genera humanis vsibus ex eadem terra subministrauerit, ingratissimi profectò sumus, nisi momentis omnibus illius munificentiam celebramus, qui non solum prospexerit, vt diuersi generis animalium copiam in alimentum haberemus, verum etiam vt adiumenta ad labores & opera suppeditarentur. quamuis enim in peccati pœnam ad excolendam nostris sudoribus terram damnati fuerimus, dedit tamen nobis Deus, qua est benignitate, multa animalia, cum quibus laborem nostrum impertiamur. quanto enim nos leuant onere equi, boues, cameli, asini, cæteraque eius generis iumenta? quæ si deessent, quanto solatio essemus destituti? & tamen in tantis commodis nunquam, dum his animalibus utimur, ad laudandum horum munerum auctorem erigi scimus. Nihilò verò minor nobis laudandi opificis summi ac sapientissimi occasio offertur in animalium contemplatione, quàm in herbis dudum ac plantis, sed tantò maior, quantò hęc perfectior creatura est. nam primum diuersis proprietatibus vnumquodque animal distinctum ab altero est. nam fortis & constans est bos, segnis ac piger asellus, feruidus equus ad fœminæ appetitionem. quare propheta lasciuos increpans ait. [*equi emissarij facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*] lupus mansuescere nescit, dolosa est vulpes, timidus ceruus, laboriosa formica, ad quam mittebat pigrum Salomon, cum aiebat. [*accede ad formicam o piger.*] canis gratus est, atque amicitiæ memor. simul enim vt vnumquodque creatum fuit, secum afferebat naturę suę proprietatem. cognata est leoni animositas, solitaria uita, & incommunicabilis cum suo genere. nam tyrannus quidam est ratione carentium animantium ob despicientiam, quam ex natura habet, neque admittit parem cum multis honorem. quare neque hesternum cibum admittit, neque ad suę ipsius venationis reliquias vnquam reuerteretur. cui etiam talia uocis instrumenta natura apposuit, vt multa animalia, quę illum celeritate superant, solo sępe rugitu capiantur. pardus impetuosus, & agilis, aptumque illi corpus coniunctum est, flexibilitate ac leuitate motus animi se-

Ier. 5. *Pro. 6.*

sequens. Quòd si prӕterea cogitatione percurramus, quanta carentibus ratione animantibus sit naturalis ac sine doctrina suæ ipsorum vitæ cura, profectò vel mouebimur ad nostram ipsorum custodiam, atque animarum nostrarum prouidendam salutem, vel seuerius condemnabimur, cum reperti fuerimus etiam ratione carentium imitatione destituti. Ceruæ vbi se uulneratas sentiunt, ad dictamum herbam accurrunt, & statim tela decidunt. Vrsi, quia eorum oculi crebro hebetantur, fauos expetunt, ut conuulneratum ab apibus os, leuet sanguine grauedinem illam, & cum inualidissimum caput habeant, cum vis vrget, prӕcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus capite operto iaciuntur. Lacertus cum serpente pugnaturus, non longe à quadam herba se collocat, & quoties se à serpente vulneratum sentit, toties ad herbam illam accurrit, & mox tutus ad certamen reuertitur. Vulpes pini lacryma sibi ipsi medetur. Testudo carnibus viperӕ exsatiata, origano veneni damnum vitat. Serpens læsos oculos curat pastu marathri. At verò prӕuisiones mutationum cœli, quam rationalem non occultant intelligentiam? quando ouis quidem imminente hyeme auidius cibum capit, veluti quӕ aduersus futuram indigentiam muniri studeat. boues verò cum diu hyemali tempore iacuerint, iam accedente uere, naturali sensu mutationem expectantes, è stabulo ad fores prospiciunt, omnes ex composito aspectum illuc conuertentes. iam uerò quidam harum rerum studiosus obseruauit erinaceum terrestrem duo spiracula suӕ cauernæ machinatum, & cum spiraturus est boreas, occludere aquilonare, rursusq; austro flante ad aquilonare transire. Quid per hæc nobis hominibus submonstratur? non solum quòd per omnia penetrat creatoris nostri cura verum etiam quòd & apud ratione carentia animalia aliquis de futuro sensus est, vt & nos non prӕsenti vitӕ inhiemus, sed ad futurum seculum omni studio aspiremus. non studiosus eris pro teipso homo? non in præsenti seculo repones, quod in futuro tibi requiem paret, formicӕ exemplum spectans? quӕ per ӕstatem hybernum cibum sibi recondit, neque, quia nondum adest tristis hyems, inertер tempus deducit, sed irrequieto labore operi incumbit donec idoneum pro hyeme cibum recondat suis in penetralibus, neque hoc contenta, machinatur sapienti excogitatione, quo pacto cibus diutius

perdurare poſsit. amputat enim ſuis tanquam forficulis eam gra ni partem, quæ germinare poſſet, ne, ſi germinarent grana, inutilia fierent alimento, & cum ea humefacta ſentit, effert è cellarijs, neque id quouis tempore, ſed cum præſentit aërem in ſereno ſtatu duraturum. denique non cernas imbrem è nubibus defluentem, quandiu triticum à formicis eductum eſt. Et ſanè quę oratio aſſequatur, qui auditus capiat, quod tempus ſufficiat ad dicenda & enarranda Dei mirabilia? dicamus & nos cum propheta,

Pſal. 91. [*quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.*] quid ergo nobis ad defenſionem ſatis erit, cur non literis vtilia doceamur, cum ſine doctrina lege naturæ acceperimus, quo pacto eligere vtilia poſsimus? ſcis, quod bonum proximo tuo facias? quod tibi ipſi vis ab altero fieri. ſcis, quid malum ſit? quod ipſe ab altero pati non eligeres. nulla medicinalis ars, neque herbarum experientia rerum vtilium doctrinam brutis adinuenit. ſed naturaliter vnumquodque animal propriam ſalutem ſibi parat, & ineffabilem quandam adeptum eſt ad id, quod ſecundum naturam eſt, proprietatem. ſunt verò & apud nos virtutes ſecundum naturam, quas ſibi anima vendicat ſine hominum doctrina, ſed ex ipſa natura inſunt, ſicut enim nulla nos oratio docet morbum odiſſe, ſed ſponte naturæ hunc affectum habemus aduerſus ea, quę moleſta ſunt, ſic eſt animę quędam ſine doctrina declinatio mali. at omne malum morbus eſt animę, virtus verò rationem ſanitatis tenet. iccirco laudatur ab omnibus temperantia, amplexantur omnes iuſtitiam, admirantur fortitudinem, ſtudent prudentiæ, quæ magis propria animę ſunt, quàm corpori

Eph. 6. ſanitas. nam quod dicitur, filij diligite parentes, patres ne ad iracundiam prouocetis filios, an non & ipſa natura hęc docet? nihil nouum admonet Paulus, ſed naturę vincula aſtringit. Leæna amat partus ſuos, & lupus pro catulis pugnat. quid dicas homo, cum & præceptum tranſgrederis, & naturę leges aboles, cum vel filius ſenectam patris non reueretur, uel parens per ſecundas nuptias priorum filiorum obliuiſcitur? admirandus eſt in ratione carentibus mutuus parentum ac filiorum inter ſe affectus. ob quam cauſam qui ea creauit Deus, cum deſit illis ratio, effecit, ut ſenſibus eſſent acutiora. vnde enim in mille ouium numero agnus ſepta tranſiliens vocem matris agnoſcit, atque ad eam feſtinat,

 nat,

nat, & quęrit proprios lactis fontes, & quamuis incidat in matris mammas lactis inopiores, ijs tamen contentus pinguiora vbera transilit, & mater in mille agnis agnoscit suum? vna vox, idem color, odor ab omnibus idem, quod ad odoratum nostrum pertinet, & tamen est illis sensus, nostra comprehensione subtilior, atque acutior, quo vnicuique adest proprij agnitio. nondum dentes sunt catulo, & tamen per os eum vlciscitur, qui sibi molestiam parit. nondum cornua adsunt vitulo, & nouit. quo loco arma sibi sint nascitura. hæc indicio sunt, naturas omnium esse sine doctrina, nihilque esse inordinatum aut indefinitum in rebus, sed omnia secum ferre vestigia sapientię creatoris sui, dum in semet ipsis demonstrant exhibita sibi fuisse ad suæ ipsorum salutis custodiam instrumenta. Rationis quidem expers est canis, & tamen sensum habet, qui ęquipolleat rationi. quę enim multo cum ocio vitę sedentes vix inuenerunt sapientes huius mundi, syllogismorum videlicet complicationes, hęc ostendit canis à natura edoctus. nam ferę vestigia perscrutans, cum ea inuenit in multas parteis diuisa, percurrens digresiones, quę in quamlibet partem ferunt, tantum non per ea, quę agit, syllogisticam vocem emittit, aut hac via (inquit) se conuertit fera, aut hac, aut in hanc partem, sed neque hanc neque hanc tenuit, relinquitur ergo, vt hac ingressa sit. itaque ex falsorum ablatione, verum inuenit. quid amplius faciunt ij, qui in descriptionibus cum grauitate sedentes, à tribus propositionibus duas auferunt, & in reliqua veritatem inueniunt? recordationem verò gratię huius animalis, quem erga benefactores ingratum non pudefaciat? quando interfectis in solitudine dominis, multi canes iuxta eos mortui esse memorantur. iam verò quidam in ipso doloris feruore duces fuerunt ijs, qui interfectores quærebant, & effecerunt, vt noxij traderentur vltioni. quid dicturi sunt ij, qui Dominum suum, qui eos creauit & nutrit, non diligunt, & amicis vtuntur ijs, qui loquuntur aduersus Deum iniquitatem, & eiusdem cum illis mensę participes fiunt, & inter ipsum cibum blasphemias proferunt aduersus illum, qui eos pascit? sed ad creaturæ contemplationem reuertamur. Animalia, quę facilius capiuntur, fœcundiara sunt. ob hanc causam fœcundi sunt lepores & agrestes capræ, & syluestres oues gemellos pariunt, nę genus deficiat, dum à carniuoris consumuntur.

tur. quæ verò animalia perdere alia conſueuerunt, ea rariores fœtus edunt, unde Leæna uix vnius leonis fit mater. nam ſummis vnguibus vuluam matris dilacerans, vt ferunt, prodit. in eundem modum viperæ vterum matris dilacerantes exeunt, conſentaneam genitrici mercedem reddentes. nihil in rebus ſine prouidentia eſt, neque expers curæ illis conſentaneæ. Quòd ſi ipſas animantium parteis obſerues, inuenies earum auctorem nihil ſuperuacuum appoſuiſſe, neque quod neceſſarium ſit detraxiſſe. carniuoris animalibus acutos dentes aptauit, talibus enim opus erat ad illius cibi ſpeciem. quę uerò ex dimidia parte armata dentibus ſunt, ijs multas & uarias ciborum apothecas præparauit. quia enim primo ſatis mandi & comminui cibus non potuit, dedit illis uiam, qua, quod iam deglutierant, ad os reuocent, ut ruminatione lenitum alimentum, in animalis ſubſtantiam conuertatur. ſtomachi uerò & uaria conceptacula, atque inteſtina non ocioſè inſunt animalibus, quę illa habent, ſed unumquodque neceſſarium uſum implet. in eundem modum exteriora membra, nam longum eſt Camelis collum, ut pedibus, ac cruribus exęquetur, atque ad herbas pertingat, ex quibus uiuit. breue autem eſt carniuoris, ut leoni & tigridi, & eius generis alijs, quia non ex herba eſt illis uictus, neque neceſſe illis eſt in terram inclinari, cum carnibus ueſcantur, atque ex uenatione ſibi cibum parent. Quid uult proboſcis elephanti? nimirum quòd magnum animal eſt, & terreſtrium maximum cum ſit, ad eorum, qui in illum incidunt, ſtuporem adhibitum, oportuit multas carnes in illius corpus congeri. huic ſi magnum, ac proportionem cum pedibus habens collum additum eſſet, contrectari uix potuiſſet, exuperanti magnitudine ſemper ad ima propendens. nunc uerò caput quidem paruis à ceruice uertebris coniungitur ſcapulis, ſed habet proboſcidem, quę colli uſum implet, per quam & cibum ducit, & idoneam quantitatem haurit. at inarticulati ſunt illi pedes, & ueluti columnę uniti, molem illam, ac pondus fulciunt. ſi enim laxi & molles pedes ſubiecti fuiſſent, continuæ fuiſſent articulorum inflexiones, & claudicaſſet, pondus leuare illis articulis non ualentibus. nunc uerò breuis talus ſubiectus eſt pedi elephantis, qui neque in curuaturam, neque in genu articulatus ſit. neque enim ſuſtinuiſſet

articulorum

articulorum lubricitas obesitatem animalis, quæ multa ei circun fusa est, quare necessaria fuit ei proboscis illa, quæ usque ad pedes demissa esset. non cernis in bellis, ut tanquam turres quędam animatæ phalangas præcedunt, aut uelut colles quidam carnei impetum quendam habentes, quem hostes ferre nequeunt, aduersariorum aciem perrumpunt? quibus nisi inferiores partes inessent sua proportione compactę, ad nullum tempus animal perdurasset. nunc uerò ferunt ad trecentos, & eo amplius annos uiuere elephantem. ita uerus sermo est, nihil uel superuacuum uel deficiens in rebus creatis inueniri posse. Et hoc quidem animal tanta corporis mole subiecit nobis Deus ita, ut, si doceatur, intelligat, si uerberetur, perferat. ferunt historiæ unum elephantem tardioris ingenij in accipiendis quę tradebantur, sępius castigatum uerberibus, repertum noctu eadem meditari. alium uerò (quod profectò maximè est mirum) ductus Græcarum literarum didicisse, solitumque perscribere eius linguę sermone uerba ista. ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui. quo exemplo taxatur hominum inertia, qui tantis præditi discendi instrumentis, ociosam malunt uitam exigere. Neque deest huic animali clementia, nam elephas si forte obuium habet hominem in solitudine oberrantem, clemens placidusque etiam demonstrare uiam traditur, qui tamen quanti hominem faciat, ut impleatur, quòd dictum fuit à Deo, [*terror uester erit super cuncta animantia*,] *Gen. 9.*
hinc apparet. nam si hominis uestigium, prius etiam, quàm ipsum hominem, cernat, intremiscit metu insidiarum, & olfacto illo uestigio subsistit, circunspectat, iras proflat, nec uestigium illud calcat, sed erutum proximo tradit, ille sequenti, usque ad extremum, & odor uestigij illius humani, ne nudorum quidem pedum, maiore ex parte ad omnes perdurat. hunc hominis timorem etiam tigris habere scribitur, quæ cæteris feris truculenta, & ipsius elephanti spernens uestigia, uiso tamen homine transfert catulos. quonam modo agnito? ubi ante conspecto illo, quem timet? nam tales siluas minimè frequentari certum est. esto, mirentur ipsam uestigij raritatem, sed undę sciunt timendum esse hominem? immo uerò cur uel sæpius conspectum pauent ferę, tantò uiribus, magnitudine, uelocitate pręstantiores? nimirum hoc est Dei pręceptum, ut intelligamus, omnia

subijci

ſubijci hominis imperio uolente Deo, atque iccirco fit, ut maximę, atque ſæuiſsimæ ferarum, quæ nunquam uidiſſent, quem debeant timere, ſtatim intelligant, cur ſit timendus. Iidem elephantes in itineribus prudentiam præferunt, nam ducit agmen maximus natu, cogit agmen ętate proximus. amnem tranſituri minimos præmittunt, ne maiorum ingreſſu atterente alueum, creſcat gurgitis altitudo. Pudore quoque niſi in abdito coëunt, nec adulteria nouere, nullâue propter fœminas inter ſe pręlia, cæteris animantibus & ipſis etiam hominibus pernicialia. quamuis non deſit elephantis amoris uis. nam mulierem quandam ab elephanto amatam, memorię proditum eſt, & amoris argumenta fuerunt, gaudium à conſpectu, blanditiæque inconditæ, & ſtipes, quas populus dediſſet, in ſinum eius effuſæ. nec mirum eſt, eſſe amorem, quibus ſit memoria. nam tradunt agnitum in ſenecta multos poſt annos eum, qui rector in iuuentute fuiſſet, ijdem uiſi interdum ſunt, diuinationem habere iuſtitiæ. cum enim Bochus rex triginta elephantis totidem in quos ſæuire decreuerat, ſtipitibus alligatos obieciſſet, procurſantibus inter eos, qui laceſſerent, non potuit effici, ut crudelitatis alienæ miniſterio fungerentur. quam pudendum eſt, homines, ratione prędítum animal, tam facile in iniuſtitiam prolabi, cum cernunt bruta animalia illam tam accuratè auerſari. Eſt & in leonibus, quod exemplo hominibus ſit. huic enim ex feris in ſupplices clementia eſt, proſtratis parcit, & ubi ſęuit, in uiros potius quàm in fœminas, in infantes non niſi magna fame. creditur leonem preces intelligere. ferunt enim quandam captiuam è Getulia, multorum impetum in ſiluis mitigaſſe alloquio, dum diceret ſe fœminam eſſe profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſsimi, cęteriſque imperantis, indignam eius gloria prædam. ferunt etiam ſatiatos eſſe innoxios. at auari hominis appetitus inſatiabilis eſt, neque vlla copia parcit rapinæ, & aliorum damnis. generoſus maximè in periculis deprehenditur non ſolum quòd ſpernens tela, diu ſolo ſe terrore tuetur, quaſi obteſtans ſe cogi ad ultionem, verum etiam quòd quamlibet magna canum & venantium vrgente vi, contemptim reſtitanſque cedit in campos, & ubi uideri poteſt. idem ubi uirgulta ſiluaſque penetrauit, acerrimo curſu fertur, velut exiſtimans abſcondi turpe eſſe.

esse. caret etiam dolis ac suspicione, nec limis intuetur oculis, neque ipse hoc modo vult cerni. Gratitudinem quoque tam ferum animal rependere nouit. accidit.n.quendam Androdum nomine sęuitiam domini fugientem in Aphricę solitudines venisse, & casu in leonis speluncam ingressum. aberat tunc leo, qui rediens ad speluncam claudus ob pedem à spina læsum, conspecto homine quasi intelligeret, opem ab illo se posse consequi, propius ad illum accedit, & cauda blandiens læsum pedem ostendit. is, qui prius ad leonis aspectum fuerat territus, animum recipit, pedem contrectat, & euulsa spina saniem educit, ac optimè curatum dimittit. leo beneficium intelligens, homini amicitia coniungitur, & quotidie captam prædam ei afferebat. ille, cum ignis deesset, carnes ad torrentem solem coquebat. idque officium tribus continuis annis leo præstitit. verum Androdus tædio affectus illius cum feris uitæ, quodam die absente leone discedit. at vbi in loca ab hominibus habitata venit, captus est, & Romam ductus leonibus exponendus. leo ad speluncam reuersus, ubi hospitem suum abesse cernit, illius desiderium non ferens, iter arripit, vt eum quærat, qui cum ad domestica loca peruenisset, apprehensus & ipse est ac Romam ductus. quod ita fuisse ex rerum euentu agnitum fuit.cum.n. Androdus ille obiectus esset ad bestias, & emissi essent leones aliquot, qui eum deuorarent, maximus inter eos leo primus accurrit, hominem laceraturus, qui, cum propius accessisset, substitit, & mox plenè agnito blandiri cępit. quo miraculo delectatus populus Romanus & hominem & leonem liberauit, & posthac leonis feritas ita lenita est, ut, cum per vrbem incederent homo & leo, populus sertis leonem coronaret, dicerentq; hic est homo medicus leonis, hic est leo amicus hominis. eiusmodi autem ratione carentium animalium exempla prouocare homines deberent, qui ratione sunt prædití, ad rectè vtendum ipsa ratione, ne brutis deteriores esse videantur. multa etiam de alijs animalibus dici possent. sed satis in præsenti sit dictum. Neque uerò solum in magnis animalibus imperuestigabilis Dei sapientia intelligi, uerum etiam in minimis nihilò minus excitari miraculum potest. neque enim ego magis admiror elephantem ob magnitudinem, quàm quòd mus elephanti est terrori, aut quo pacto tenuissimum scorpij aculeum artifex cauum

tan-

tanquam fistulam effecerit, vt per illum uenenum uulneratis immittat. neque uerò ob hanc causam quis calumniam auctori struere debet, quòd uenenosa animalia ac uitæ nostræ inimica inuexerit. alioqui & pædagogum reprehendat, qui lubricum adolescentiæ regat, & in officio contineat, ac uerberibus intemperantiam illius moderetur. Fidei demonstratio feræ sunt. confidis in
Ps. 90. Domino? [*super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis*
Luc. 10. *leonem, & draconem.*] habesque potestatem ex fide calcandi
Act. 28. super serpentes, & scorpios. non cernis, ut sarmenta colligenti Paulo adhęsit uipera, & nihil eum læsit propterea, quòd fidei plenus esset vir sanctus? quòd si fide cares, ne magis timeas feras, quàm tuam ipsius infidelitatem, ob quam effecisti, vt cuiuis corruptioni teipsum præbeas capiendum. Discamus ergo in omnibus maiestatem ac sapientiam Dei reuereri, & quemadmodum
1. Co. 12. ait Paulus de membris corporis, quòd scilicet quæ inhonesta in nobis sunt, ijs maiorem honorem circundamus, sic quæ humanis cogitationibus minus videntur satisfacere, ea maiori reuerentia prosequamur, certo scientes, omnia sapientissimè a summo artifice Deo esse facta. cui est honor & potestas, & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO LVII.

In eandem sententiam.

VIDIMVS superiore oratione, quantum temporis ratio patiebatur, munificentiam Dei erga nos in ijs animalibus, quæ terra produxit, contemplemur nunc eiusdem non minorem liberalitatem in ijs, quæ ex aquis generantur, quorum duo genera memorat liber Geneseos, sic enim legimus dixisse Dominum. [producant aquæ reptilia animę uiuentis & uolatilia.] quare, cum & pisces & volucres ex aquis originem habeant, de vtrisque simul dicendum est, & prius de piscibus, quorum prius facta mentio est, in quibus & ipsis incomprehensa penè varietas deprehenditur, quorum aliqua exempli gratia commemorabimus. Primum enim in integumento multiplex differentia est. nam alij habent cutem testaceam, vt conchę, pectines, cochleæ marinę, conchilia, & plurimæ sunt ostreorum differentiæ. aliud rursus genus præter hoc, quod à mollicie testæ nomen à Græcis accipit, vt sunt, carabis, cancri, & ijs similes. aliud item genus eorum, qui molles appellantur, quorum caro tenera est & laxa, vt polypodes, & sepiæ, & alij eius generis, in quibus rursus plurimæ sunt differentiæ, nam dracones & murenæ & anguillæ, quæ in cœnosis fluuijs ac paludibus gignuntur, ad venenata magis reptilia quàm ad pisces similitudine proximè accedunt. aliud genus est eorum piscium, qui oua pariunt, & aliud eorum, qui pariunt animal. pariunt autem animal, quæ mustelini sunt generis, & qui apud Græcos à cane nomen habent, & omnino quæ cartilaginea vocantur. & ex cetis plurima sunt, quæ animal pariant, delphines & phocæ, quæ etiam teneros adhuc catulos ob aliquam causam perterrefactos, dicuntur rursus in vterum recipere ac tueri. Aquæ sanè & plura & maiora quàm terra ferunt ob humoris luxuriem, vt videatur vulgi opinio vera, quic

Gen. 1.

quid videlicet nascatur in parte ulla naturæ, & in mari esse, pariterque multa, quæ nusquam alibi, non solum animalium, uerum etiam rerum simulacra. quod licet intelligere intuentibus ibi vuam, gladium, serras, cucumim, vero similem & colore & odore. plurima autem & maxima in Indico mari animalia, è quibus balenę quaternorum iugerum feruntur, pistres ducentorum cubitorum, vbi & locustæ quaternos cubitos implent. Quòd uerò ad eorum genera pertinet, quinam ex ijs, qui accurata & inconniuenti speculatione hæc obseruarunt, eorum differentias nobis enumerare possint? quamuis ferant eos in magnis piscium gregibus etiam numerum edicere. quis uerò eorum qui circa portus & litora consenescunt, possit horum nobis historiam exactè describere? alia agnoscunt, qui Indico in mari piscantur, alia ij, qui in Aegyptio uenantur sinu, alia insulares, alia Numidæ. multæ sunt piscibus in uitæ ratione differentię, & circa cuiusque generis successiones. plurimi è piscibus non incubant ouis, quemadmodum aues, neque nidos compingunt, neque cum labore educant filios suos, sed aqua excipiens oua decidentia, animal efficit, & unicuique generi est successio, quæ cum altera natura non permiscetur, qualis in terrestribus est mulorum, aut etiam quarundam auium complexus, quę genus uitiant. nullum genus inter pisces ex dimidia parte armatum dentibus est, ut apud nos bos & ouis, neque enim in illis quisquam ruminat præter scarum, ut quidam ferunt, sed omnes acutissima dentium acie instructi sunt, ne longiori masticatione cibus defluat. nisi enim acutè abscissus in uentrem demitteretur, fieret, ut in ipsa extenuatione distraheretur ab aqua. At uerò cibus piscium alius aliis est, secundum genera distributus. nam alij cęno aluntur, alij alga, alij herbis, quas aquæ nutriunt, contenti sunt. plurimi uerò è piscibus sunt, qui mutuo se deuorant, & minor inter illos maioris cibus est. quòd siquando contingat, eum, qui minorem ceperat, fieri alterius prædam, ambo sub eundem ueniunt uentrem postremi. Quid ergo nos homines aliud facimus, cum potentia opprimimus inferiores? quid differt ab ultimo illo pisce is, qui ob diuitiarum ingluuiem insatiabilibus auaritię finibus imbecillos occultat? ille habuit res pauperis, tu has accipiens partem fecisti tuarum facultatum, & iniustis iniustior apparuisti, & auaro magis

gis auarus, caue ne idem te finis, qui pisces, excipiat, videlicet hamus, vel rete, vel laqueus. [*qui enim uolunt fieri diuites in hoc seculo* 1. Ti. 6.
(ait Paulus) *incidunt in tentationem & in laqueum.*] Velim autem vt in infirmo animali agnoscens multam malitiam & insidias, effugias versutorum imitationem. cancer appetit carnem ostreç, sed captu difficilis est illa venatio ob testaceum integumentum. natura enim infracto septo molliciem carnis communiuit. & quoniam geminę concauitates accuratè inter se aptatæ ostream circumplectuntur, necessario chelæ cancri nihil efficere possunt. quid ergo facit? cum cernit conchilium, illud in locis vento carentibus iucundè foueri, atque ad solis radium sese explicare, tunc clam calculum inijciens prohibet, ne claudere se possit, & quod ad vires deest, supplet malitia. & hic est astus animalis, quod neque rationis nequæ vocis est particeps. ego verò velim te artificium hoc cancri auersantem, à damno proximorum abstinere. talis est, qui aduersus fratrem dolosè graditur, & rete expandit gressibus eius, vt ait Salomon, & in alienis calamitatibus delicia- Pro. 29.
tur. fuge has scelestorum imitationes, & tuis contentus esto. nam paupertas quæ sibi satis sit, omnibus delicijs temperanti viro antefertur. Non prætenbo polypi dolosam & furacem artem, qui cuicunque petrę adhęserit, illius induit colorem. quare multi pisces improuiso natantes incidunt in polypum, nimirum petram opinantes, & parata venatio fiunt malitioso. hos mores habent qui principibus assentantur, & dolosè eos subeunt, & frequenter pro rerum vsu mutantur, nunquam in eodem proposito degentes, sed alij ex alijs subinde facti, cum temperantibus laudantes temperantiam, at vbi cum intemperantibus sunt, intemperanter viuunt, sententiam mutantes ad cuiusque placitum, quos neque declinare facile est, neque à damno cauere, quo homines afficiunt, quoniam sub prætextu pietatis profundè malitiam occultant. mores eiuscemodi lupos rapaces appellat Domi- Matt. 6.
nus, ouium indumento obtectos. fuge varietatem hanc morum, & sectare veritatem, synceritatem, simplicitatem. serpens varius est, iccirco vt serperet, est condemnatus. iustus sine figmento, ac simplex est, qualis erat Iacob, ob hanc causam [*habitare* Psal. 67.
facit Dominus (ait psaltes) *unius moris in domo. Hoc est mare ma-* Ps. 103.
gnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus,

animalia pusilla cum magnis.] sed tamen sapiens quædam est in illis & ordinata compositio, neque solum habemus, quo reprehendamus pisces, sed sunt in eis aliqua etiam imitatione digna: quomodo piscium singula genera, aptam sibi regionem distribuentia, non mutuò se inuadunt, sed proprijs in terminis immorantur, nullus apud eos geometra distribuit habitationes, non parietibus circunscriptæ sunt, non terminis distinctæ, sed sponte quod cuique utile est, fuit constitutum. nam hic quidem sinus certa hic genera piscium pascit, & alius alia, & nullus mons acutis uerticibus disterminat inter eos, nullus fluuius transitum secat, sed lex quędam est naturæ, quæ æqualiter, ac iustè, prout cuique necessarium est, uictum singulis impertitur. at nos tales non sumus, qui transilimus terminos antiquos, quos posuerunt
Esa. 5. patres nostri. diuidimus terram, coniungimus domum domui, & agrum agro copulamus, ut non sit terminus loci. Ecce cete illa grandia decretum sibi à natura uictum acceperunt, nempe mare quod extra habitatas regiones est, & insulis caret, ubi nulla è regione obiecta continens est, quamobrem est innauigabilis. mare illud occupantia cetæ, maximis montibus magnitudine quàm simillima, ut ferunt qui ea sunt intuiti, maneat intra proprios terminos, neque insula, neque maritimas ciuitates deuastantia, sic itaque unumquodque genus, tanquam urbibus, aut uicis quibusdam, aut antiquis patrijs, decretis sibi maris partibus immorantur. Iam uerò quędam piscium genera sunt, quæ peregrinantur, tanquam à communi quodam senatus consulto extra terminos missa, unanimi consensu iter arripiunt. cum enim statutum abeundi tempus appetierit, alij ab alijs finibus recedentes, communi naturę lege excitati, ad mare festinant aquilonare. & cernas quo tempore ascendunt, pisces tanquam fluctum quendam unitos, per Propontidem in Euxinum fluere. quis est, qui eos mouet? quod regis præceptum? quod edictum in foro propositum hoc significauit? quinam eos deducunt? cernis Diuinum ordinem omnia implere, & per minima quęque penetrare? piscis non contradicit Diuinę legi, & homines salutarem doctrinam non admittimus. ne spernas pisces propterea, quòd uoce & ratione careant, sed uerere, ne tu ijs sis irrationalior, dum creatoris pręcepto obsistis. audi pisces, qui tantum non uocem emittunt

emittunt per ea, quæ faciunt, & dicunt, ob generis seruandam perpetuitatem, longam hanc peregrinationem non recusamus. non habent propriam rationem, sed habent naturæ legem solidè insidentem, & quid agendum sit, indicantem. eamus (inquiunt) ad mare septentrionale, nam aqua illa dulcior est, quàm alterius maris aquæ, quia cum parum in eo immoretur sol, non educit ex eo per radios totum, quod potabile est. gaudent uerò dulcibus etiam marina, quare & ad fluuios sæpe enatant, & longius à mari feruntur, ob hanc causam præferunt pontum reliquis finibus, tanquam aptum & generationi & educationi filiorum. ubi uerò id, cui studuerunt, sunt assecuti, rursus cateruatim omnes domum reuertuntur, & quæ sit ratio audiamus à silentibus. aperta nimis (inquiunt) & supina est septentrionalis maris facies, atque uiolentiæ uentorum exposita, exigua litora, ac latebras habens, quare & ex imo fundo uenti facile mare illud euertunt, ut & arena quę in fundo est, fluctibus permisceatur. quinetiam frigido hyemis tempore à multis & magnis fluminibus impletur. ob hanc causam ubi frui contigit illo mari per æstatem, rursus hyeme ad teporem & loca soli exposita festinant, & fugientes à uentis infestatam septentrionis partem, ad sinus, qui minus concutiuntur, se recipiunt. Vidi ego ista, & Dei sapientiam, quę in rebus omnibus est, sum admiratus. si ratione carentia animalia prouident, & obseruant ea, quę ad salutem suam pertinent, & nouit piscis, quid sibi eligendum, quidue fugiendum sit, quid dicemus nos ratione honestati, & lege instructi, promissionibus inuitati, spiritu eruditi, deinde irrationalius, quàm pisces, res nostras administrantes? quandoquidem illi nouerunt in futurum sibi prospicere, nos uerò ob id, quòd futurorum spem non habemus, in uoluptates more pecudum uitam insumimus. piscis tot maria peragrat, ut aliquam inueniat utilitatem, quid tu dices, qui in ocio degis? at ociositas malè faciendi principium est. nullus ignorantiam prætexat, naturalis ratio insita nobis est, quæ ostendit & bonum quærendum, & fugiendum malum. Sed non recedamus à marinis exemplis, quando hæc proposita nobis sunt ad peruestigandum. ferunt ij, qui iuxta mare habitant, marinum erinaceum, exiguum prorsus & contemptum animal, magistrum sæpe fieri & tranquillitatis & tempestatis naui-

tis nauigantibus, qui, cum prȩuidet turbationem ex uentis fu tu ram, lapillum aliquem solidum arripiens, ei uelut firmę ancoræ adhæret, ne facile à fluctibus rapiatur. hoc signum nauigantes cum cernunt, intelligunt uiolentum uentorum motum expectari. nullus astrologus, nullus Chaldæus, regulis astrorum aëris turbationes coniectans, hoc docuit erinaceum, sed uentorum & maris Dominus etiam exiguo animali magnę suę sapientiæ uestigium imposuit. nihil sine prouidentia, nihil neglectum à Deo est, omnia speculatur peruigil oculus, omnibus adest, salutem cuique definiens. si erinaceum inobseruatum non reliquit Deus, tua non inspiciet? Viri diligite uxores, quamuis forte acciderit, ut in dispari conditione fueritis copulati. naturę uinculum & iugum benedictionis efficiat distantium unitatem. ecce enim uipera perniciosissimum inter serpentes animal, ad nuptias accedit murenæ, quę in mari degit, & sibilo aduentum suum significans, euocat illam ex profundo ad coniugalem complexum, illa uerò obtemperat, & uenenato animali copulatur. quid per hæc admonemur? quòd quamuis asper sit, quamuis agrestes mores habeat coniux, necesse est ferre coniugium, & nullo prætextu admittere, ut unitas dissoluatur. percussor est, sed maritus. uinosus, at secundum naturam coniunctus. asper & morosus, sed membrum iam tuum est, idque honestissimum. audiat etiam uir consentaneam sibi admonitionem. uipera uenenum euomit coniugium reuerita, & tu animi sæuitiam & immanitatem non depones ob coniunctionis reuerentiam? Fortasse uerò uiperæ exemplum etiam ad aliam rem erit utile, quòd uidelicet scortatio quædam est naturæ complexus ille uiperæ, ac murenę. doceantur ergo ij, qui alieno thoro insidiantur, quali reptili similes sint. unus mihi scopus est ædificatio ecclesiæ. quare comprimantur intemperantium mores & terrestribus & marinis exemplis. Multa essent adhuc dicenda, admiratione digna de ijs, quę nascuntur in mari, ac de mari ipso, qui fiat ut aqua in salem congeletur, ut pretiosus lapis corallium herba quidem sit in mari, ubi uerò educta in aërem fuerit, in lapidis soliditatem cogatur. unde uilissimo animali ostreę pretiosissimum margaritum natura imposuerit. quę enim concupiscunt thesauri regum, hęc circa litora & asperas petras proiecta sunt, receptaculis ostreorum inclusa, ut aureum

reum uellus conchę nutriant, quod nullus tinctorum est imitatus. unde testudines regibus purpuras largiantur, quæ etiam pratenses flores coloris specie antecellunt. Et quid non factum est, uel pretiosum, uel necessarium, quod humanis usibus deseruiat? & alia quidem ad hominum ministerium, alia ad contemplanda creatoris miracula, alia terrifica, quæ inertiam nostram castigent, fecit Deus cete grandia, non ob id grandia, quòd cancro & alece sint maiora, sed quòd maximis interdum montibus mole corporis adæquentur, quæ sępe & insularum imaginem prębent, siquando ad aquæ superficiem enatant. hæc itaque tam magna cum sint, non circa litora uersantur, sed mare, quod Atlanticum appellatur, inhabitant. talia sunt animalia, quæ ad terrorem ac stuporem nostrum creata fuerunt. quòd si audieris, quemadmodum maxima nauigia, quę expansis velis secundo vento feruntur, minimus pisciculus, qui Grecis appellatur Echeneis, à tenendis nauibus nomen habens, Latinis Remora, tam facilè sistit, vt immotus diu illa retineat, tanquam radicibus in ipso pelago fixis, nonne in exiguo hoc pisce, eiusdem creatoris argumentum accipis potestatis? non enim solum qui uocantur gladii, & serrę, & canes, & zygenæ, uerum etiam marinæ pastinacæ aculeus, eiusque mortuę, & marinus lupus nihilo minus terrori sunt, celerem & irreuocabilem interitum afferentes. ita te per omnia vigilare creator uult, ut spe in Deum damna & pericula, quæ ex ijs sunt, euadas. Sed oportet meminerimus, è duobus generibus, quę ex aqua producta sunt, vnum reliquum adhuc esse pertractandum, quare. & volucribus sua pars tribuenda est, cum non ignobilis & illi inter creaturas ac tertia sint portio. siquidem tria sunt animalium genera, terrestre, uolucre, & aquatile. sed fortasse scire cupiat aliquis, quam ob causam volucribus originem ex aquis dederit Deus. nimirum quia cognatio quædam volatilibus est cum iis, quę natant. nam sicut pisces aquam secant, & motu quidem pinnarum in anteriora feruntur, cauda verò velut temone quodam conuersiones & in rectum impetus gubernant, sic & in auibus cernere est, qui per aërem natant pennis, similem in modum. quare, quoniam una est proprietas in vtrisque, natare videlicet, una etiam cognatio originis ex aquis data fuit. verumtamen nulla sine pedibus

est,

est, quia omnibus è terra victus quæritur, & omnes necessario egent pedum ministerio. & rapacibus quidem ad venationem insunt vnguium acumina, reliquis uerò ob cibi suppeditationem, & reliquam agendæ uitę rationem, necessarium pedum ministerium donatum est. paucæ uerò aues sunt, quę malè pedatæ sint, quę hirudines, & quæ fulculæ ripariæ vocantur, quę cibum sibi per aërem venantur. neque venari, neque ingredi pedibus valeant, vt hirundini vero vicinus terræ volatus pro ministerio pedum est. Sanè vero generum differentię infinitę sunt etiam in auibus, & in magnitudine, in figura, in colore, in ratione vitæ, in actione, in moribus ineffabilem habent inter se differentiam. sed nos omissa subtiliore disquisitione, communiora attingemus. aliud ergo genus est auium, quę carnibus vescuntur, & alia structura partium corporis, moribus viuendi consentanea, unguium acies, curuum rostrum, velox ala, vt & facile venationem apprehendat, & dilaceratam suum efficiat cibum. alia est structura earum, quę semina colligunt, alia earum, quę quauis re sibi obuia vescuntur, & in ijs plures differentię. nam alię quidem ex eis sunt gregarię, præter rapaces, nullum enim horum inter se communicat extra coniugii vsum. at infinita alia genera socialem uitam elegerunt, vt columbę, grues, sturni, gracculi. rursus in ijs alia quidem sine duce sunt, alia sub duce esse eligentia, ut grues. iam uerò & in ijs alia est differentia, ex qua alia eodem in loco habitant, alia longius peregrinantur, & appropinquante hyeme plurimum mutant locum. plurimę uero aues mansuescunt. sunt verò & quę cum hominibus communes admittunt habitationes, vt hirundines, aliæ montes ac solitudines amant. maxima vero differentia & proprietas cuiusque circa vocem. aliæ enim sunt loquaces, alię taciturnę, alię canunt. & multas edunt voces, aliæ cantus expertes, alię imitatrices, vel ex natura habentes vim imitandi, vel ab exercitatione & doctrina. alię vnius tantum moris, & immutabilem vocem emittunt. inter aues autem, quæ cantus modulatione delectantur, admiranda est luscinia. primum tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus. deinde in una perfecta musicę scientia modulatus editur sonus, & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc inflexo variatur, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto,

pro-

promittitur, reuocatur, infuscatur ex inopinato. interdum & secum ipsa murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus, breuiter omnia tam paruulis in faucibus, quę tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. ac nequis dubitet, artes esse plures, singulis sunt cantus, & non idem omnibus, sed suus cuique. certant inter se, palamque animosa contentio est, uicta sæpe finit vitam, spiritu prius deficiente quàm cantu. meditantur aliæ iuniores, uersusque, quos imitentur, accipiunt. audit discipula intentione magna, & reddit, vicibusque reticent. intelligitur emendatæ correctio, & in docente quędam reprehensio. quis non hęc agnoscat esse admiranda summi artificis, & prędicet facta? Sunt & morum proprietates cuique volucri. superbus est gallus, gloriosus pauo, qui gemmatas pennas laudatus expandit. salaces columbę, & aues, quæ in domibus nutriuntur, nam quouis tempore fœtant. dolosus perdix & zelotypus, & malitiosè se erga venatores gerit. nam fœmina, si auceps ad nidum cœperit accedere, procurrit ad pedes eius, prægrauem aut delumbem se simulans, subitoque in procursu, aut breui aliquo volatu cadit, veluti fracta aut ala aut pedibus, aut procurrit iterum, iam prehensurum effugiens, ac spe frustrans, donec in diuersum abducat à nidis. Inuenitur & in quibusdam imago quædam reipublicę, siquidem reipublicę proprium est ad vnum communem finem uiuere, quod in apibus cernere est, quarum admirandam rempublicam siquis contempletur, quæ ciuitas hac vna consideratione non inuitetur ad omnia vnanimiter pertractanda, & erubescat, à paruo insecto diligentia superari? intueamur enim primo rationem operis. interdiu stationem ad portas collocant, in morem castrorum, nocte vsque ad matutinum tempus quiescunt, donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, vel buccino quodam. tunc vniuersę prouolant, si dies mitis futurus est. prædiuinant enim ventos imbresque, & se tunc sub tecto continent. itaque cum temperies est cœli, quam inter præscita habent, cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, alię aquam ore, guttasque lanugine totius corporis, quibus ea est. & adolescentiores quidem sunt, quę foras ad opera exeunt, & ea, quæ diximus, conuehunt, seniores intus

operantur. quæ flores comportant, prioribus pedibus fœmora onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro, totæque onustę redeunt ob sarcinam curuę. excipiunt eas ternę aut quaternę, atque exonerant. sunt enim intus quoque officia diuisa. nam aliæ struunt, alię poliunt, alię suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est, neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis aut cibi fiat & temporis. mira verò obseruatio operis, cessantium inertiam notant, castigant mox & puniunt morte. mira munditia, amoliuntur omnia è medio, nullęque inter opera spurcitiæ iacent, quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congesta in locum, turbidis diebus, cum ocium agunt, egerunt. cum aduesperascit, in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circumuolet, eodem, quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc castrorum more. tunc repente conticescunt. Cum verò aculeo præditę omnes sint, earum tamen rex aculeo caret, aut certè non vtitur. vt doceamur, oportere reges ac principes vni tantum beneficentiæ studere, & nunquam in subditorum vltionem iracundè armari. hunc autem regem in summo habent honore, humeris portant, & stipant militum ac satellitum more, atque interdum pro eo certamina ineunt, vt exemplo sint hominibus ad principes suos colendos ac protegendos. Est & aliud, quod in apibus Christiani imitentur, quibus mandatum est, nulli malum pro malo reddere, sed vincere in bono malum. imitentur ergo proprium apis morem, quæ nemini damnum afferens, neque fructum alienum corrumpens, fauos construit. nam ceram quidem manifestè ex floribus congregat, mel verò, dum roridum humorem floribus inspersum attrahens ore, hunc cauitatibus fauorum immittit, vnde & humidum primo est, deinde tempore decoctum ad propriam constitutionem ac iucunditatem reuertitur. Mirum verò est, quàm sapienter atque artificiosè mellis apothecas construat. nam in tenuem membranam ceram extendens, densas ac continuas inter se cauitates construit, ut densitas illius colligationis minimarum cauitatum inter se, firmamentum sit operis totius. nam vnaquęque profunditas alteram tenet, subtili ad illam septo & coniuncta simul & diuisa. deinde duplici & triplici tecto fistulæ ipsę mutuo superædificatę sunt. cauent enim

unam

vnam omnino efficere cauitatem, vti ne pondere humidum foras decidat. intuere quo pacto inuentiones geometriç additamenta quędam operi sunt sapientissimæ apis. nam fistulę illæ fauorum sexangulares omnes sunt, & ęquilaterę, non recta linea inter se superimpositæ, ne fundum laboraret rei vacuæ aptatum, sed anguli inferiorum exagonorum basis, & firmamentum est superimpositis, vt tuto super se suspensa onera, & priuatim cuique cauitati humidum detineatur. Quo pacto tibi omnes exactè percurram proprietates, quę in auium vita sunt? quemadmodum quidem grues nocturnas excubias habeant, lapillum pede sustinentes, vt victis somno decidens, sono redarguat indiligentiam, & alię quidem dormiunt, alię circueuntes omnem illis præbent securitatem. deinde impleto custodię tempore, hæc quidem clamans ad somnum reuertitur, altera verò succedit reddens vicem securitatis, quam acceperat. hunc & in volatu ordinem aspicies. quando enim proficiscuntur, consensum quendam inter se habent uolant ad prospiciendum altę, ducem, quem sequantur, eligunt, uicissimque ducatum suscipiunt. in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, & qui gregem uoce contineant. Quòd verò ad ciconias pertinet, non admodum à rationali intelligentia distat, tum quidem quòd uno tempore omnes simul ad has regiones ueniunt, tum quòd uno omnes consensu discedunt. nam quo è loco ueniant, aut quo se referant, incompertum adhuc est, è longinquo eas uenire non est dubium, eodem modo quo grues, illas hyemis, has ęstatis aduenas. abituræ congregantur certo in loco, comitatæque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiua & serua, discedunt quasi lege die præfixo. nemo uidit agmen discedentium, cum discessurum appareat, nec uenire sed uenisse cernimus, utrumque nocturnis fit temporibus. comitantur eas cornices, quę penes nos sunt, atque deducunt, uidenturque patrocinium quoddam pręberé contra inimicas aues, cuius rei signum est, primum quòd toto illo tempore cornices prorsus non apparent, deinde quòd uulneratę reuertuntur, manifesta propugnationis & auxilij ferentes indicia. quis apud illas hospitij leges declarauit? quis eis minas intentauit, quę in illos fiunt, qui ab exercitu deficiunt, ne deserant deductionem? audiant ij, qui iniqui hospitibus sunt, & fores occludunt,

& ne tectum quidem in hyeme & nocte peregrinis impertiuntur. At uerò prouidentia ciconiarum, quam senescentibus exhibent, sola idonea esset, filios, si attendere uelint parentum studiosos efficere. nemo enim ita prudentia est destitutus, qui non iudicet probrosum esse, carentibus ratione auibus uirtute uideri inferiorem. illę patrem ob senectam pennis destitutum circunstantes suis alis souent, & abunde alimenta pręparantes, idoneum etiam in uolatu prębent auxilium. sensim ala ex utraque parte subleuantes. atque hoc apud homines est celeberrimum, ut iam quidam beneficentiæ retributionem à nomine auis huius, Græco uocabulo ἀντιπελαργίαν, siue ἀντιπελάργωσιν appellent. Nemo paupertatem defleat, neque ob uitę inopiam desperet, cui nulla reliqua sit domi supellex. oculos referat ad hirundinem ingeniosam. nam illa nidum compingens festucas ore fert, cum uerò lutum portare pedibus nequeat, alarum summitatem aqua irrigans, deinde tenuissimo puluere inuoluens, hoc pacto luti usum excogitat, & paulatim festucas inter se luto illo, ueluti glutino quodam colligans, ibi pullos nutrit, quorum si quis oculos pungat, habet à natura curationem quandam, ac medendi artem, qua ad sanitatem filiorum oculos reuocat. hęc te admoneant, ne ob paupertatem ad malefaciendum conuertaris, neque in molestissimis afflictionibus omni spe abiecta, ipse te deseras, sed ad Deum refugias, qui si hirundini talia largitur, multò profectò maiora dabit hominibus, qui ad eum toto corde clamauerint. nam eiusmodi exempla adhortari te debent ad petendum à Deo, quę ad salutem pertinent, dum cernis illius erga ratione carentia prouidentiam. Turturem ferunt orbatam coniuge, non iam posthac alteri coniugio copulari, sed uiduam permanere, & prioris coniugij recordatione copulam alterius recusare. audiant mulieres quemadmodum uiduitatis decorum, etiam apud ratione carentia inueniatur, & crebris nuptijs anteferatur. Aquila iniquissima est in filiorum educatione, cum enim duos pullos ediderit, alterum eorum in terram proijcit, alarum percussione repellens, alterum uerò solum retinens nutrit, atque ob parandi cibi laborem, quem genuit, auersatur. uerum auis, ut ferunt, quæ fulica appellatur, non sinit eum interire, sed acceptum una cum proprijs filijs educat. tales

sunt

sunt parentes duri, qui prętextu paupertatis infantes exponunt, aut in hęreditatis diuisione inæqualiter se erga filios gerunt. iustum.n. esset, ut, quemadmodum ex ęquo impertiti eis fuerunt, ut sint, ita etiam uitæ commoda ex æquo prębeרent. Ne imiteris auium, quæ curuos ungues habent, sęuitiam, quæ ubi cernunt pullos suos uolatum aggredi uelle, eijciunt è nido, alis uerberantes & propellentes, neque ullam posthac eorum curam suscipiunt. laudatur cornicis studium in filios, quę etiam iam uolantes comitatur, quęrens eos, & multò tempore nutriens. Multa auium genera complexu non egent masculorum ad concipiendum, sed in alijs quidem oua sunt infœcunda, & subuentanea, uultures uerò ferunt plurimum sine coniuge parere, & ob hanc causam longissimæ esse uitæ, quibus sępe usque ad centum annos uita porrigatur. hoc mihi apud temetipsum notatum tene ex auium historia, ut, cum cernis ridere quosdam mysterium nostrum, tanquam possibile non sit, atque extra naturam uirginem parere, seruata uirginitate illibata, cogites, eum, cui placuit, per stultitiam prędicationis seruare credentes, plures à natura occasiones, ad fidem faciendam horum mirabilium, multò ante accipere uoluisse. Habes iam aërem, aquam, terram, suis animantibus decorata. quamuis enim aues ex aquis originem acceperint, atque ad terram alimenti gratia descendant, aëris tamen spatia auium uolatu occupantur, quę ubi necessarios è terra cibos acceperunt, gaudent illo per aërem cursu. quod & nobis imitandum est, qui, cum ad cęlum facti simus, acceptis à terra rebus ijs duntaxat, quæ ad quotidianum uictum sunt necessarię, curare debemus, ut, quemadmodum ait Paulus, consuetudo nostra in cœlo sit. Habes in tenebris genera auium, quæ noctu uiuunt, habes in lumine quę per diem. nam uespertiliones & noctuę & nycticoraces ex ijs sunt, quæ noctu pascuntur, ut cum tibi interdum non surrepit somnus, in his meditere, & earum proprietates scruteris in creatoris laudem, quo pacto quemadmodum in Iob legitur, det carmina in nocte, ut tenebrarum molestias leuet, quo pacto peruigil luscinia, dum incubat ouis, per totam noctem non deserat melodiam. ut uespertilio idem & quadrupes sit & uolatile, ut solus ex auibus dentibus utatur, & parit quidem, ut quadrupedia, per aëra uerò fertur non pennis alleuatus, sed membrana

quadam ut pelle. & habet hoc etiam in natura mutui amoris indicium, quòd uespertiliones tenent sese inuicem, & unus ab altero pendet, quod in nobis hominibus haud facile fit. nam plerique omnes præferunt priuata commoda publicis atque communibus. Cogitandum similes esse noctuarum oculis eos, qui circa inanem sapientiam sunt occupati. nam & illis uisus noctu quidem ualet, fulgente autem sole obscuratur, sic horum mens acutissima quidem est circa uanitatis contemplationem, at uerò ad ueri luminis intelligentiam cæcutiunt, & hæc quidem de nocturnis auibus. Per diem uerò admodum facile tibi est undique colligere quibus creatorem admireris, quo scilicet pacto auis, quæ tibi contubernalis est, te ad opera excitet, acuta uoce acclamans, & multò ante significans solem appropinquare. hæc cum uiatoribus diluculo surgit, agricolas ad messem educit. quo item pacto anserum genus acutissimi sensus sit, qui olim urbem Romam seruauerunt, hostes qui clam uenerant, & iam Capitolium inuaserant, adesse significantes. Quonam in auium genere non proprium aliquod miraculum natura demonstrat? quis uulturibus ante prædixit, hominum futuram cædem, cum exercitus comparantur? cernas enim innumeros eorum greges sequi exercitus, ex armorum apparatu id, quod secuturum est, coniectantes. hoc uerò haud quaquam longè est ab humanis ratiocinationibus. Quo pacto tibi terribiles locustarum expeditiones enarrabo? cum vno consensu omnes consurgunt, & coacto ingenti exercitu, per latam regionem delatæ, non prius cibos tangunt, quàm Diuinum eis præceptum fiat, quodque maius est, sic cateruatim gradiuntur sine duce,
Pro. 30. quod & Salomoni visum est admirandum. sic enim ait. [*regem locusta non habet, & egreditur uniuersa per turmas suas.*] auis uerò quædam, quæ Seleucis appellatur, eas insequens, tanquam medicamentum plagæ, qua regiones afficiunt, inexplebilem habet edendi uim, benignissimo Deo insatiabilem illi naturam dante ad hominum beneficium. Quæ cicadis ratio canendi est? quopacto in meridie seipsis magis canoræ sunt? aëris attractu edito sonitu, quem in distinctione thoracis faciunt. Sed enim uideor plus destitui oratione in enarrandis uolatilium miraculis, quàm si pedibus conarer eorum assequi celeritatem. cum cernis

ea.

ea. quę insecta vocantur, ut apes & vespas. quæ ideirco insecta appellantur, quòd sectiones quædam undique in eis appareant, cogita, cum eis non sit respiratio, neque pulmones, quòd tota tamen per totum aëre nutriuntur, ob hanc causam oleo immersa intereunt obturatis meatibus, at iniecto confestim aceto, rursus reuiuiscunt, eisdem reseratis meatibus. Rursus si animalia, quę aquis gaudent, obserues, aliam in eis structuram inuenies. pedes non scissos vt cornicis, neque curuos vt carninoratum auium, sed latos & cartilaginosos, vt facile aquis innatent, veluti remis quibusdam, sic pedem membranulis humidum elementum impellentes. Quòd si etiam intuearis, quo pacto Cycnus collum in profundum demittens, ex imo cibum sibi compararet, tunc inuenies creatoris sapientiam, quòd scilicet propterea ceruicem longiorem pedibus apposuerit, vt veluti funiculo quodam demisso, absconditum in profundo cibum efferat. Quid? quòd ex quorundam volatilium contemplatione mysterium nobis resurrectionis fit confirmatius? quid dicitis, qui non creditis Paulo de immutatione, quę in resurrectione est facienda, cum cernatis aëria quædam formam permutare? nam vermis, qui sericum facit, quod vobis omnibus liquet, ubi opus suum ex tenuissimis ac pretiosissimis filis confecit, intra quod se ipse concludit, paucos post dies alatum animal prodit. cum ergo uiri ac mulieres, qui in hac urbe plurimum hac arte occupamini, sedentes ipsa huius uermiculi fila pertractatis, quibus molles ac pretiosę uestes conficiuntur, recordati animalis huius transformationem, euidentem accipitis resurrectionis intelligentiam, neque fidem derogabitis uerbis Pauli, quibus corporum mutationem in resurrectione pollicetur, & ait, corpus nostrum seminari in corruptione, in ignominia, in infirmitate, & resurrecturum in incorruptione, in gloria, in potentia. verum, quando hæc instituta à nobis oratio est, vt ex creaturæ contemplatione in creatoris admirationem, atque amorem feramur, unum postremo addere animus est, quòd eò erit forrasse vtilius, quòd ante oculos vestros toto anno versari consueuit, quodnam verò illud est? plurimi uestrum auiculas habent in caueis, earum cantu oblectati in earum ergo contemplatione discere multa potestis ad interioris hominis ædificationem. primum enim ingentem in eis Diuinam

1.Co.15.

ibidem.

nam erga nos liberalitatem licet intueri, qui hanc uim hisce auriculis inseruerit, ut mirandum in modum cantu multiplici oblectent audientes. cernas item eas totum diem bene collocare, & ubi aliquantisper conquieuerint, mox suos cantus repetere: quod inertibus documento esse, ac reprehensioni etiam posit, qui in ocio degunt, neque quicquam agere student, quod uel sibi, uel alijs hominibus usui sit. quos uehementer reprehendit
2. Thes. 3. Paulus, iubetque, ut, qui operari negligit, ne comedat quidem. quin præter eos canendi modos, quos à natura acceperunt, uarios præterea, si quis eas doceat, cantus ediscunt, ut miraculo interdum sint audientibus. quæ res admonere eos deberet, qui, cum tot habeant discendi instrumenta, & præter rationem, qua duce multi sponte docti euaserunt, tantam magistrorum copiam, ac librorum, ætate hac præsertim, malunt tamen in summa ignorantia consenescere, quàm aliquo, neque ita multo cum labore fieri eruditi. Obserua etiam illud, quod prodesse non parum poterit ad progressus in uia Dei faciendos. cum enim ea uolucrum natura sit, ut per aëra ferantur, iccirco enim uolucres cœli appellantur, nulla cibi copiosa suppeditatio efficere unquam, aut allicere potest, ut naturæ suę obliuiscantur, semper enim libertatem amant. cuius rei indicium est, quòd omnes caueæ rimas omnibus penè momentis scrutantur, si forte inuenire uiam posint, qua in libertatem uendicentur. quid per hoc nos docemur? nimirum ut nulla tanta rerum terrenarum copia sit, quæ hunc huius uitę carcerem expetendum nobis faciat, sed cogitemus semper, cœlum nostrum esse domicilium, nostramque patriam, dicamusque identidem cum propheta. [*hei mihi, quòd*
Psal. 119. *incolatus meus prolongatus est.*] & rursus. [*quemadmodum desiderat*
Psal. 41. *ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante*
Phil. 1. *faciem Dei?*] & cum Paulo [*cupio dissolui & esse cum Christo.*] unum illud non intelligunt, quòd scilicet utilius sit illis, ac tutius, caueæ illa ueluti carcere detineri, sic.n. tutę redduntur, & ab aucupum, & à rapacium auium insidijs, sed hoc propterea illis accidit, quòd destitutę ratione sunt, quam excusationem habere homo non potest, si non intelligit, afflictiones, ueluti carceris angustias quasdam, esse adiumento aduersus Diaboli, aucupis ac venatoris versutisimi:

ris versutissimi, fraudes, ne videlicet illius blanditijs, quas ex mundi voluptatibus proponit, & quasi retia tendit, decipiamur. Sed illud est, quod imitemur, nam sicut illę melius ac frequentius canunt clausæ, quam cum per aërem vagari permittuntur, sic nos in rectè facta melius incumbimus, cum difficultatibus ac molestijs veluti cauea detinemur, ne arbitrio nostro vagi sensibus indulgeamus, qui abducere homines ab illa cum cœlestibus consuetudine consueuerunt. illud etiam cum fructu contemplemur, quòd si nimis pinguescant, non canunt, sic ista rerum terrenarum opulentia prohibet nos, quo minus, vt docet Paulus, Col. 3. in hymnis & psalmis & canticis spiritualibus exerceamur. obseruandum & illud in eis est, quòd proposita sibi perpetua esca, non student crapulæ, sed acceptis duntaxat ijs, quæ ad vitam sunt necessaria, ad suum canendi opus reuertuntur. at homo ratione præditum animal ita crapulę plerunque indulget, vt cuiuis honesto operi ineptus fiat. Cætera horum, quę diximus exemplo uos ipsi interdum considerate. sic enim fiet, ut gratiores Deo ob tam innumera in nos collata beneficia facti, maiora etiam ab eo assequamur. iuuante domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est gloria & magnificentia & imperium & potestas nunc & in omnia secula. Amen.

ORATIO LVIII.

In eandem ſententiam.

HACTENVS quę hominum cauſa Diuina liberalitas in hac mundi fabrica copioſè ſuppeditauit, qantum licuit, commemorauimus, quòd ſi ipſum hominem, cuius cauſa facta omnia ſunt, prętermittamus, maximam Diuinorum operum partem uidebimur neglexiſſe, atque in eo potiſsimum ingrati reperiemur, in quo gratię in primis Deo agendę ſunt. quare hodiernam illi orationem aſsignabimus, vt quò maiora homini, quàm cæteris animantibus pręſtita beneficia intellexerimus, eò uehementius in Dei amorem inflammemur, & pręterea dignitatem noſtram accuratius, quàm hactenus factum ſit, tueamur, cum didicerimus quanti nos Deus pręreliqua creata natura facere uoluerit. quod ſanè in ipſa hominis conditione fuit declaratum, vbi cæteris quidem omnibus in rebus creandis ſolo imperio vſus fuit Deus, & mox extitere omnia. nam
Pſ. 148. [*ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.*] [fiat
Gen. 1. (inquit) lux, & facta eſt lux, fiat firmamentum, fiant luminaria in firmamento cœli,] & facta eſt illa tam admiranda cœli ſpecies ſolo verbo ac creantis imperio, cæteraque in eundem modum. at vbi formandus fuit homo, quid? [faciamus (inquit) hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.] res venit in deliberationem, perinde quaſi de altera quadam Diuinitate cogitaretur. quid enim aliud eſt, decreuiſſe Deum facere hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quàm Diuinum quid aggredi uoluiſſe, & longè maius, quàm omnia ſimul, quæ hactenus fuiſſent creata? & ob hanc cauſam poſtremo loco ſeruata eſt hominis conſtitutio. neque enim conſentaneum erat, principem ante eos, qui ei ſubiecti futuri eſſent, apparere. uoluit ergo omnium auctor prius quandam ueluti regiam domum regnaturo præparare. ea verò eſt fabrica hęc, quæ

aſpectibus hominum patet, cœlum videlicet, ac terra, & mare, & opes quæ in eis continentur, quibus præparatis hominem condidit, horum omnium tum contemplatorem, tum dominum, vt, dum quidem ijs frueretur, ad intelligentiam veniret eius, qui illa præbuiſſet, per pulchritudinem verò ac magnitudinem rerum, quę ſubiectę ſenſibus ſunt, ineffabilem artificis virtutem perueſtigaret. ob hanc cauſam poſt reliquam creaturam introductus homo eſt. neque enim honeſtus quiſpiam conuiua admittitur ante ciborum & conuiuij præparationem, ſed inſtructo conuiuio demum introducitur. in eundem modum Deus facto hoc ſolenni rerum apparatu hominem introduxit, duabus partibus honeſtatum, Diuina ſcilicet ac terrena, vt quoddam vniuerſi vinculum videri poſsit, vt per nobiliorem quidem partem Deo, per inferiorem verò his terrę bonis frueretur. quemadmodum enim artifices inſtrumenta conficiunt, exercendæ ſuę arti conſentanea, ſic ſummus artifex Deus naturam noſtram velut inſtrumentum quoddam ad regia negocia aptum effecit, præparans illam, vt talis eſſet, & animi dotibus & figura corporis. nam anima quidem regium quid præ ſe atque excellens fert ex eo, quod libero voluntatis arbitrio vtitur. cuius enim alterius hoc, quàm regis eſt? & præterea ad imaginem facta eſt eius, qui omnibus imperat, nimirum Dei. quod nihil aliud indicat, quàm hominis naturam regiam eſſe. ſicut enim hominum more ij, qui principum imagines fabricant, & figuræ characterem exprimunt, & regum purpuræ dignitatem ſimul appingunt, & de more etiam ipſa imago rex appellatur, ſic & hominis natura, quia ad imperandum alijs facta eſt, ex ſimilitudine ad regem vniuerſi, tanquam viua imago eſt conſtituta, communem habens cum archetypo & dignitatem & nomen, non purpura quidem amicta, neque ſceptro ac diademate dignitatem oſtentans, neque enim ipſum archetypum in ijs eſt, ſed pro purpura quidem virtutem induta, quod omnium indumentorum eſt maximè regium, pro ſceptro verò immortalitatis beatitudine nixa, pro regio diademate iuſtitiæ corona honeſtata, vt per omnia in regia dignitate exactè oſtendat, ſe ad archetypam pulchritudinem fuiſſe conformatam. Quòd ſi & alia ſimul ſcruteris, per quæ Diuina pulchritudo in homine deſignatur, inuenies præter illa, exactam ſeruari in hac noſtra imagine ſimilitu-

Ioa.1. dinem. nam Diuinitas mens est & ratio. [*in principio* (inquit) *erat*] λόγος, qui & sermo & ratio Græcis est. de mente verò ait Pau-
1.Cor.2 lus, qui mentem Christi habent. non longè ab ijs est humana natura. nam cernis in te ipso habere te & mentem & rationem, ueræ mentis & rationis imitationem. Rursus Deus charitas est, & fons charitatis, sic enim ait magnus ille Ioannes,
1.Ioa.4. [*charitas ex Deo est, & Deus charitas est,*] hanc habere & ipsi iu-
Ioa.13. bemur. [*in hoc* (inquit) *agnoscent homines, quòd discipuli mei estis, si uos mutuò inter uos dilexeritis.*] hæc itaque si non adsit, omnis imaginis character mutatus est. Pręterea omnia cernit, & omnia audit Diuina natura, & omnia scrutatur: habes & tu per aspectum & auditum rerum omnium perceptionem, & mentem, quę perquirere & perscrutari res possit. Verum plerique externi, & qui Diuinæ sapientiæ consilia intueri nesciunt, offenduntur in corporis humani structura, & naturam tanquam nouercam hominis fuisse calumniantur, quod nihil est aliud, quàm Deo naturæ auctori calumniam struere. mirantur enim, cur nudus homo naturalibus indumentis, & inermis, & pauper, & rerum omnium, quę ad uitam pertinent, egenus in uitam productus sit, dignus potius miseratione, quàm ut beatus prædicetur. non enim armatus fuit cornuum obiectione, non unguium acumine, non dentibus, non ungulis, aut aculeo aliquo, qui lætiferum uenenum à natura habeat, quemadmodum multa animalia ad sui ultionem adepta sunt, non pilorum integumento corpus operitur, quod consentaneum uideretur esse ei, qui ad alijs imperandum pararetur, ut scilicet proprijs armis muniretur à natura, ne aliorum adiumento ad se tuendum indigeret. nunc uerò lęo quidem, & tigris, & sus, & pardus, & alia eius generis animalia, idonea habent ad salutem suam conseruandam, à natura instrumenta. & tauro quidem cornua, lepori celeritas, capreæ saltus, ac cernendi acumen, alijs magnitudo ingens, uolucribus alæ, api aculeus, & omnino omnibus aliquid ad se tuendum à natura adest. at unus homo ex omnibus animantibus ijs quidem, quæ celeritate præstant, pigrior est, corpulentioribus breuior, ijs, quæ naturalibus armis munita sunt, infirmior, & ad omnem iniuriam magis expositus. & talis quo pacto (dicet aliquis) imperium in omnia sortitus est? sed non difficile

ficile erit, opinor, demonstrare, quemadmodum id, quod naturæ deesse uidetur nostræ, occasio sit dominandi ijs, quæ subiecta nobis sunt. si enim hanc uim haberet homo, ut celeritate equum antecelleret, & inflexibilem ob soliditatem pedem haberet, ungulis quibusdam, aut chelis consolidatum, cornuaque, & aculeum, & ungues in se ferret, primum quidem ferinum quid esset, ac molestum occursum præberet, si talia innata corpori essent, præterea neglexisset suum in reliqua imperium, cum sibi subiectorum auxilio non egeret. nunc uerò ob hanc causam ea, quæ ad uitam sunt necessaria, distributa sunt in unumquodque nobis subiectorum, ut necessarium efficerent imperium in illa. nam corporis tarditas effecit, ut equus nostro usui domaretur, carnis nuditas necessitatem præbuit ouium curandarum, dum singulis annis lanas ferunt, quæ, quod naturæ nostræ deest, implent. ex eo uerò, quòd uiuendi occasiones aliunde nobis accersimus, onerifera animalia sub iugum aguntur. &, quia non possumus in morem pecudum herbis pasci, factum est, vt bos nobis subijceretur, qui suis laboribus vitam nobis redderet faciliorem. &, quoniam morsu opus erat, ac dentibus aduersus quędam animalia, canis per dentium offensionem adiecta celeritate proprium mentum nostro usui prębuit, tanquam uiuus quidam gladius. ferrum uerò excogitatum hominibus est, quod multò ualidius est, atque potentius cornuum ictu, & unguium acumine, quod ferrum non innatum est nobis, ut arma illa feris, sed suo tempore nobis deseruit, cætera in se manet, & pro crocodili squama (contingit enim & illa uti pro telo) opportunè pelli circumponitur, aut in gladios formatur ad usum belli, quo peracto deponitur, ut hominem ferendo non grauet. Auium quoque alę uitæ nostræ ministerium præbent, excogitata uia, qua uolatilium celeritate non destituamur. nam quędam ex eis mansuescunt, & uenatoribus auxiliantur, & per eas aliæ in nostram ueniunt potestatem. quin & ars sagittas excogitauit, quibus per arcum, celeritatem uolucrum assequimur. Ex eo item, quòd flexibiles pedes habemus, & qui facile patiantur, necessarius factus est nobis usus animalium, ex quibus talaria & calcei pedibus aptantur. Quòd uerò recta statura factus homo sit, & quæ cœlum spectet, hoc etiam ad imperandum, & regiam digni-

tatem

tatem declarandam pertinet. quòd enim solus ex ijs, quę sunt, hac forma constet, reliquis autem omnibus corpora ad terram propendeant, manifestæ dignitatis differentiam declarat. & alijs quidem omnibus anteriora corporis membra pedes sunt propter ea, quòd curuitas illa prorsus egeret re, cui inniteretur. at in hominis structura manus adhibitæ sunt. nam rectæ figuræ satis erat ad usum basis una, duobus pedibus ob securitatem innitens, alioqui etiam sermonis usui manuum ministerium opitulatur. &, siquis diceret, proprium esse rationalis naturę manuum ministerium, is non omnino aberraret, non solum ad illud cogitationem referens, quod in promptu cuique est cogitare, quòd scilicet sermonem, aptitudine manuum, ac ministerio literis mandamus, est enim & hoc rationalis gratiæ minimè expers, quòd nos per literas loquamur, & quodam modo per manus disseramus, elementorum characteribus uoces seruantes, non solum inquam ob hanc causam, uerum etiam quia, si absque manibus esset homo factus, oportuisset in morem quadrupedum etiam faciei partes effigiari ad cibi capiendi proportionem, ut oblonga forma esset, & producta labia, atque callosa, & solida, & crassa haberet, ut apta essent carpendis herbis. in eundem modum & dentes & linguam longè diuersam, carnosam, duram, asperam, quæ cum dentibus operaretur ad cibum, aut quemadmodum habent canes, & crudiuora animalia, quę acuminatos habent dentes. si ergo non affuissent homini manus, quo pacto articulatam uocem habuisset, cum oris partes ineptæ fuissent eiusmodi pronuntiationi? an non cernis in hac ipsa etiam tam apta ad prolationem figura, siquis paulò pinguiorem, ac crassiorem linguam habeat, huic difficilem fieri loquendi usum? quare necesse fuisset prorsus homini, aut balatum ouium imitari, aut mugire, aut latrare, aut hinnire, aut alium eiusmodi ferinum sonitum edere. nunc uerò additis corpori manibus, aptum est os sermonis ministerio. Obserua uerò quanto cum artificio fabricatę sint manus, nam non sunt ultra modum extensæ, ne grauarent, neque citra necessitatem angustæ, ut implere ministerium suum commodè possint, quinque digiti adiecti, distincti nodis, ut exercendo cuiuis instrumento essent aptiores, summi digiti intus molles, ut tangendi sensum acutius percipiant, foris uerò muniti sunt unguibus,

unguibus, tenuibus quidem, ne grauarent, ne'ue parerent deformitatem, latis uerò, ut interiorem molliciem firmarent, circulari autem figura, ne tam facilè paterentur. nam figurę angulares facile franguntur. leonibus autem, & ursis, & eiusmodi animalibus acutos, & crassos, & longos ungues pro armis natura posuit, cum artium expertes sint. hæ itaque hominis manus, quibus accommoda etiam brachia addita sunt, apta sunt ad omnes artes instrumenta, ad arandum, serendum, pastinandum, putandis vitibus, ad metendum, plantandum, secernendo à paleis grano, colligendis vuis, atque oleis. hoc manuum usu mens humana non solum terram floridis pratis, segetibus, uineis, nemoribus, sed mare etiam itineribus ornauit, & inaccessum elementum peruium fecit, exstructis mira arte nauibus, in quibus ueluti domibus tutus homo in alieno elemento habitaret, carinam pro domus fundamento ponens, latera pro parietibus, qui pice obliti aquas prohibeant. & quoniam equos, ac currus fluxa natura non patitur, pro temone currus, malum nauis, pro iugo uelum excogitauit, uentis usus pro equis ac mulis. pro habenis autem gubernaculum est, & gubernator tanquam auriga moderatur habenas, quodque maius est, non solum secundo vento vti scit, sed contrarios etiam velut equos indomitos regit. harum sanè rerum admirationem consuetudo abstulit, sed qui primum hęc intuerentur, intelligerent, res esse maximè admirandas. & hæc omnia manibus fiunt, quibus nautæ remigant, gubernator dirigit, mercator imponit merces, piscator venatur factis retibus vel hamo. Et hæc quidem in aquis. sed reuertamur ad terram, & contemplare, quo pacto fabrilis ars tectonicæ instrumenta præbeat, tectonica fabrili ædificandis domibus, vtraque agriculturæ. rursus quo pacto inuenerit homo metalla, ferrum, æs, plumbum, stannum, venas argenti & auri, vt didicerit naturam vitri, & arenam igni tradere, ut excogitata sint igni & flatu tam varia vasa, urcei, phialę, pocula, cyathi. Quis satis admiretur texendi artem, lana, lino, serico? telarium ipsum tot instrumentis compositum, tamque artificiosis. tinctura tot colores imitatur, vt cum natura certare ac penè æquare eam velle videatur, intexuntur tam variæ animalium ac rerum formæ. verum, ne tam multis ac pulchris texturę arti-

ficiis

ficiis intumescas, vermes & aranei subtiliora fila texunt, ut agnoscas, hæc tuę non esse virtutis, sed Dei, qui & tibi & illis hanc vim ingenerauit. Contemplare prętera ædificia domorum, turrium, vrbium, & quo pacto portubus terra mari coniungatur, quæ soli omnium animalium homini data sunt. inuenta quoque ars medendi, quę occultas morborum causas peruestigat, tam varia remedia adhibita tot morborum generibus, & ob hanc causam Deus tot herbarum generibus multiplices virtutes indidit, quæ mira in leuandis morbis & curandis vulneribus efficiunt. Grammaticen inuenit homo, quę exiguis elementis manuum artificio tot libros confecit, qui de Diuinis & humanis rebus tractant. per libros cum ijs versamur, qui maximis locorum interuallis à nobis distant, earundem usu manuum, in quibus idcirco quatuor digitis natura opposuit maiorem ob usum calami, qui tamen & aliorum instrumentorum ministerio inseruit. & hæc quidem de necessitate manuum, & vsu homini proprio prę cæteris animalibus, satis sint. Obserua verò in organis sensuum ac partium ministerio, quàm mirum sit artificium, dum alterius operatio alteri se non permiscet, sed in sua permanet actione, quam à natura sortita est, neque vicinę parti affert turbationem,

1. Co. 7. vt doceamur & nos in ea vocatione manere, qua vocati sumus, vt apostolus docet, ecce enim auris non loquitur, neque uis loquendi audit, sed uox profert, auris continuè accipit, neque audiendo satiatur, vt ait Salomon, quod maximè omnium, quæ in

Eccl. 1. nobis sunt, dignum admiratione videtur. quę enim intus latitudo, quæ spatia loci illius sunt, in quem omnia confluuut, quæ per aureis infunduntur? quinam à commentariis sunt, qui ea notent, quę intromittuntur? quæ conceptacula sensuum, & intelligentiarum, quæ auribus committuntur? aut quo pacto, cum multa & uaria inter se immittantur, error & confusio illorum minimè fit? eadem est in actu videndi admiratio. quę enim etiam per oculos mens ea, quæ extra corpus sunt, apprehendit, atque ad se trahit eorum simulacra, quæ apparent, formas rerum uisibilium in seipsa describens. perinde enim est, ac si lata quędam esset urbs, quę per diuersos introitus ad se accedentes admitteret, qui non ad eundem locum omnes concurrant, sed alij ad forum, alii ad domos, alij ad ecclesias, alij ad theatra accedant. ta-

le quid in hac mentis vrbe cerno, quam diuersi quidem per sensus introitus implent, mens uerò vnumquodque ingredientium dijudicans & perscrutans, conuenientibus in locis reponit. & quemadmodum in hoc vrbis exemplo fit interdum, vt contribules & cognati non eadem porta ingrediantur, dum alius alio introitu, ut contingit, introëat, nihilo tamen minus, ubi intra ambitum murorum fuerint, rursus conueniunt, & familiariter uersantur. contrarium item fieri contingit, ut scilicet, qui ignoti inter se sunt, uno sępe introitu vtantur, sed ingressi inter se non communicant. possunt enim, vbi intus sunt, separari, & contribuli suo coniungi. tale quid cernere est in hoc lato mentis spatio. nam sępe ex differentibus sensorijs una nobis agnitio colligitur, dum eadem res multipliciter per sensus diuiditur. contra uerò sępe contingit, vt ex uno aliquo sensu multa ac uaria discamus, quę nihil inter se natura conueniant. hoc autem aptius fiet exemplo. propositum sit, quærere de saporum proprietatibus, quid iucundum sensui, quid'ue fugiendum gustantibus. inuentum ergo est experimento, & fel esse amarum, & mellis suauitatem amabilem. hæc autem differentia cùm sint, res eadem unam introducit agnitionem, dum per uarias partes menti insidet. accedit enim gestus, odoratus, auditus, sæpe etiam tactus & uisus. nam cernens quis mel, & audito eius nomine, & gustu admittens, & odoratu agnoscens, & tactu approbans intelligit. rursus autem uaria, & quæ diuersa specie sint, per vnum è sensibus discimus, dum & auris omnia vocum genera admittit, & oculus res diuersas intuetur, nam æquè album & nigrum dijudicat, quæ contraria inter se sunt, sic gustus, odoratus, tactus, vnusquisque horum res diuersas apprehendit. Quid igitur secundum suam ipsius naturam est mens, quæ sentiendi viribus sese impertitur, & per vnumquenque sensum rerum agnitionem assequitur? nam quod aliud quippiam sit præter sensus, neminem puto prudentem ambigere, si enim esset idem cum sensu, ad unum prorsus eorum, quæ per sensus aguntur, cognationem haberet propterea, quòd simplex quidem ea est, nihil verò varium in simplici contemplamur, nunc verò cum omnes consentiant, aliud quidem esse tactum, aliud odoratum, & reliquos item sensus nullam habere inter se communicationem,

& cum ex ęquo omnes menti adsint, prorsus necesse est ponere, mentem aliam quandam ac diuersam à sensibus esse naturam, ne-
Rom.11. qua varietas intelligibili commisceatur. [*Quis nouit mentem Domini?*] ait apostolus. ego verò illud addo. quis propriam mentem intellexit? dicant, qui Dei naturam pugno se concludere posse sibi persuadent, num seipsos intelligant, & proprię mentis naturam agnoscant. si dixerint, eam multis constare partibus, quo pacto res intellectu constans in compositione est? dicent, simplex est, atque incomposita. cur ergo in multas sensuum parteis diffunditur? quo pacto res varia in vnitate est? quo pacto vnum est in varietate? sed videor mihi excogitauisse harum ambiguitatum solutionem, si ad ipsam Dei vocem recurram. nam dixit, [faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.] imago enim propriè imago est, quatenus nulla in re destituitur ab ijs, quę in exemplari intelliguntur, quatenus verò excidit, ea parte imago non est. itaquę quoniam vnum ex ijs, quæ circa Diuinam naturam considerantur, est, eam esse incomprehensam substantia, necesse omnino est, vt imago etiam in hac parte ad exemplar habeat imitationem. si enim imaginis quidem natura comprehensa esset, exemplar verò super comprehensionem, hęc contrarietas argueret imaginis dissimilitudinem. sed quando eius natura effugit nostram agnitionem, & est ad creatoris imaginem facta, exactam habet ad illum similitudinem. Taceat ergo omnis uaniloquentia eorum, qui coniecturis quibusdam actionem intelligentiæ nescio quibus corporis partibus includunt, quorum alij in corde pręcipuam eius sedem ponunt, alij in cerebro mentem inquiunt residere, superficialibus quibusdam persuasionibus opiniones eiusmodi astruentes. nam qui primatum cordi tribuit, coniecturam accipit ex loci positione, quòd scilicet cor mediam corporis regionem tenere videatur, vt inde commodiùs in totum corpus distribuatur, atque ita progrediatur ad agendum. & huius rationis testimonium adhibent, tristem illum irascendi affectum hominis, quòd eiusmodi affectus simul mouere has parteis videantur. qui verò cerebrum ratiocinationi dedicant, aiunt, veluti arcem quandam totius corporis caput à natura fuisse ędificatum, mentem verò tanquam regem quendam in eo habitare, sensorijs illam in morem satellitij vndique stipantibus. huius autem opinionis signum

& ipsi

& ipsi faciunt, quòd vbi pellicula ambiens cerebrum vitiata est, peruertitur & de statu deiicitur ratiocinatio, quodque qui grauati ebrietate sunt, à decoro ignorantes recedunt. addunt verò etiam quasdam magis naturales causas eiusmodi opinionis vterque eorum, qui has sententias proferunt. nam alter motum mentis ait cognationem habere cum ignea vi, eo quòd & ignis & mens semper moueantur. & quoniam in confesso est, in corde fontem inesse caloris, ob hanc causam motum mentis mobilitati caliditatis permixtum esse, & cor conceptaculum esse virtutis intelligendi, in quo calidum comprehendatur. alter uerò omnibus sensorijs ait fundamentum quoddam ac radicem esse pelliculam illam, quę cerebrum ambit, atque ita suam rationem firmat, quòd non alibi uis intelligendi resideat, quàm in hac parte, cui & auris aptata incidentes ei uoces allidit, & uisus ad fundum sedis oculorum adnatus, per simulacra pupillis incidentia externam accipit impressionem, & uaporum qualitates per attractum olfactus discernuntur. sic gustandi sensum quibusdam neruosis excrescentiis ac musculis per colli uertebras fieri uult. Verumenimuero turbari quidem animæ uim intelligendi, & hebetari ratiocinandi actionem ex corporeo aliquo accidente, non est negandum, atque etiam cor fontem esse quendam igneæ uirtutis in corpore, & simul moueri ad irascendi impetus, & præterea pelliculam illam, quam Grçci meningam uocant, sensoriis esse substratam, quę cerebrum circumplectatur; vt ij ostendunt, qui corporum sectiones experti sunt. uerum non hęc satis sunt ad demonstrationem faciendam, quòd locorum circunscriptionibus incorporea natura comprehendatur. nam quod de furore dicunt, ille mentis error non ex sola capitis grauedine ac ebrietate proficiscitur. nam experimur, ex morbo quodam circa latera oborto vim intelligendi ægrotare, & Græci mente captos φρενίτας appellant, à verbo φρένες, quod septa pectoris ac præcordia significat, vt intelligamus morbum eundem accidere. cum illæ partes laborant ex dolore, qui circa cor fit. hanc autem astruit rationem non tantum dolore, sed etiam nimia lętitia, ex qua mors interdum est consecuta. nam diffunduntur quodam modo ac dissoluuntur meatus corporis ex aliquo repentino iucundo auditu. sicut enim in dolore ac tristitia clauduntur tenues illę meatuum respiratio-

nes, & astringunt interiorem viscerum dispositionem erga caput & cerebri pelliculas, quas meningas vocant, ac morbosum vaporem constringunt. qui multus cum in cerebri cauitatibus relictus sit, ad oculos impellitur, & fiunt lacrymę. sic ex contrario affectu cum plus solito dilatantur pori, attrahitur spiritus quidam per eos in imum, atque inde rursus expellitur à natura per oris meatum, idque omnium viscerum, & pręsertim hepatis, vt ferunt, opera. neque igitur propter hoc pręcipuam mentis sedem in hepate esse censendum est, neq; in corde propterea, quòd accensio sanguinis in irę affectibus circa cor fiat. sed hęc quidem ad diuersas structuras partium corporis referenda sunt, mentem verò censendum est æquè unamquanque partem tangere ineffabili quadam permixtionis ratione. quòd siquis nobis sacrarum scripturarum auctoritates obijciat, quę cordi pręcipuam animi sedem ascribant, perscrutemur ipsa scripturę Diuinæ uerba. nam qui mentionem
Psa. 7. cordis facit, etiam renum meminit, [*scrutans* (inquit) *corda & renes Deus*,] quare aut in utroque, aut in neutro uis intelligendi concludenda est. Quòd uerò hebetentur actiones intelligendi, aut etiam prorsus inutiles reddantur per aliquam corporis dispositionem, non est idonea coniectura, quòd loco uis mentis coërceatur, & tanquam intumescentibus partibus, propria latitudo prohibeatur; nam corporea est talis opinio, cùm non potest, præoccupato uase per aliqua iniecta, aliud quippiam spatium inuenire. nam mentis natura, neque ob uacuitatem in corpore uersatur, neque carnis exuperantia expellitur. sed quando omne corpus ueluti musicum instrumentum ędificatum est, quemadmodum sæpe contingit ijs, qui musicæ artis periti sunt, non posse scientiam suam ostendere, dum instrumentorum deprauatio artem non admittit, sic & mens per totum corporis organum penetrans, & pro cuiusque membri natura ea tangens, in ijs quidem, quæ secundum naturam aptata sunt, agit, & uim suam exerit, quæ verò infirma & uitiata sunt, ut artificiosum eius motum admittere nequeant, in ijs sine actione, atque inutilis manet. Non ergo parti cuipiam corporis alligata est mens, sed æquè totum tangit, & pro partium corporis ratione suos motus agit, interdum autem naturales appetitiones sequitur mens, tanquam ministra facta, præceditque sępe natura corporis. at hoc non

omnibus accidit, sed ijs duntaxat, qui seruili natura sunt præditi, quique rationem subijciunt naturæ appetitionibus; uerum ijs, qui perfectiores sunt, non hoc usu uenit, in quibus mens, ac ratio dux est, eligens id, quod sit utile, natura uerò uestigia ducis sequitur. uerum, ut dicebamus, non in parte aliqua corporis mens detinetur. sed ęquè in omnibus & per omnes est, neque extra circumplectens, neque intus detenta. hoc enim de cadis, & dolijs alijsq; corporeis rebus dicuntur, quę mutuò se capiunt. at mentis communicatio cum corpore ineffabilem, & non excogitabilem contactum habet. tantum cernimus, cum rectè se habet natura, etiam mentem esse efficacem, quòd siquid accidat uitij, etiam mentis motum claudicare. Sed repetamus obsecro Dei uerba, quæ huius orationis initio attigeramus. [Faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram.] quàm humilia & indigna hominis magnificentia externi quidam sunt imaginati, qui arbitrati magnum efficere hominem, si eum cum hoc mundo conferrent, paruum mundum illum appellauerunt, qui eisdem cum uniuerso elementis constaret. dum enim huius nominis iactantia hanc laudem humanę naturę tribuunt, ignorant, se eisdem proprietatibus honestare hominem, quibus culicem, aut murem, nam & illi quatuor hisce elementis constant. sed qua in re iuxta Christianę philosophiæ dogma est hominis magnitudo, ac dignitas? non in similitudine ad creatum hunc mundum, sed quòd ad imaginem factus est naturę creatoris. quænam igitur est (dicet aliquis) huius imaginis ratio? quomodo res incorporea corpori similis est? rei sempiternę res temporaria? impermutabili quod permutatur? incorrupto quod corruptioni obnoxium est? ei quod omni permixtione uitij caret, id quod cum uitio semper uersatur? nam imago, siquidem habet cum exemplari similitudinem, propriè imago appellatur. si uerò aberret imitatio, aliud quippiam est. quo igitur pacto mortale hoc, atque passibile, incorruptæ, ac purę naturæ imago est? sed ueram, ac absolutam huius rei rationem solus ille plenè scit, qui ueritas est. nos uerò, quantum imbecillitas nostra capax est, coniecturis & opinionibus ueritatem in hunc modum peruestigabimus. Si neque Diuinus sermo mentitur, qui ait, hominem ad Dei imaginem esse factum, neque tamen miserabilitas hæc, quam cerni-

mus,

mus, humanę naturæ, beatitudini Diuinę uitę similis est, necesse est inuenire rationem aliam, qua uera esse Diuina uox intelligatur, quòd scilicet homo ad imaginem Dei sit factus. quare rursus propius accedamus ad uerba Geneseos. cum dixisset, [faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,] adiecit [& fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos.] hoc postremum extra exemplaris similitudinem esse ma-

Gal. 3. nifestum omnibus est. nam in Christo Iesu, ait apostolus [*non est masculus, neque fœmina.*] at scripturæ uerba dicunt hominem in ista diuidi. duplex ergo naturę nostrę structura, altera, qua ad Dei similitudinem factus est homo, altera, qua in hanc differentiam distinctus est. tale enim quid ipse uerborum contextus subindicat. cum enim prius dixisset, [fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, rursus adiecit, masculum & fœminam fecit eos,] quod alienum est ab ijs, quæ de Deo cogitantur. quibus uerbis uidetur magnum quoddam, atque excelsum dogma à Diuina scriptura traditum fuisse. illud uerò est, hominem medium esse duorum, quæ inter se maximè distent, Diuinę scilicet, incorporeęque naturæ, ac uitæ ratione carentis. nam licet utriusque horum partem in humana comparatione contemplari. Diuinum quidem in ratione ac ui intelligendi, quæ masculi ac fœminę differentiam non admittit, ratione uero carentem corpoream hanc formationem, quæ in masculum ac fœminam diuisa est. utrunque enim horum prorsus est in omni, qui humanę uitę sit particeps, sed primas parteis tenet id quod mente præditum est, iccirco prius dictum est, [fecit Deus hominem ad imaginem suam, deinde adiectum [masculum & fœminam fecit eos.] quid igitur per hæc discimus? hoc nimirum Deus sua natura omne bonum, quod cogitatione quis assequi potest, ipse illud est, atque adeo ultra omne bonum potius, quod intelligi ac mente comprehendi possit. is nullam aliam ob causam humanam uitam condidit, quàm quòd bonus est. talis cum sit, velletque propterea humanam naturam fabricare, non semiplenam bonitatis vim declarauit, ut partem suorum bonorum ei impertiretur, partem inuideret. sed perfecta bonitatis forma in hoc est, quòd hominem produxit in esse, copiosisq; ditauit bonis. & quoniam horum bonorum per singula recensere catalo-

gum

gum non est facile, idcirco una uoce comprehensa omnia sunt, cum dictum est, ad imaginem Dei factum esse hominem. hoc enim idem est, ac si dixisset, omnis boni participem humanam naturam effecit. si enim bonorum plenitudo Diuina natura est, homo verò illius est imago, sequitur, hanc imaginem habere similitudinem cum exemplari ex eò, quòd plena sit omni bono. est itaque in nobis omnis boni idea, omnis quoque uirtus & sapientia, & omne quod ad id, quod præstantius est, referri potest: ex omnibus autem vnum illud est, quòd liber à necessitate est homo, & libero præditus uoluntatis arbitrio. nam virtus res quædam est spontanea ac libera. quod verò coactionem ac vim patitur, uirtus esse non potest. cum itaque in omnibus imago characterem exemplaris pulchritudinis ferat, nisi aliqua ex parte differentiam haberet, iam non esset similitudo, sed, ut sic dicam, identitas. quam ergo cernimus naturæ Diuinæ, & eius, quæ ad Dei similitudinem facta est, differentiam? illam nimirum, quòd illa creata non est, hæc per creationem subsistit. hęc uero eiusce modi proprietatis differentia, rursus aliarum proprietatum sequelam parit. nam prorsus in confesso est, naturam quę creata non sit, etiam esse impermutabilem, & semper eodem modo se habentem, creatam verò possibile non est sine mutabilitate consistere. ipsa enim productio ex eo, quod non erat, ut esset, motus quidam est ac permutatio. & quemadmodum Cæsaris characterem in ære Euangelium appellat imaginem, per quod discimus, secundum figuram quidem similitudinem esse rei formatę ad Cæsarem, sed in re subiecta differentiam habere, sic & in hac ratione considerantes pro characteribus ea, quæ contemplamur in Diuina natura, atque humana, in quibus est similitudo, in subiecto differentiam inuenimus, quæ in non creato & creato conspicitur. quoniam ergo illud quidem eodem se modo habet ac semper, hoc uero per creationem factum à mutatione originem habuit, & cognatam eam habet, ob hanc causam præuidens, excogitauit hoc additamentum maris ac fœminæ, quod non ad exemplar Diuinum factum est, sed potius ratione carenti naturæ est assimile. Sed hic non contemnenda oritur quæstio. cum enim masculus ac fœmina facti uideantur procreandæ prolis gratia, ut conseruetur animantis species, quæritur, quid fuisset factum,

Mat. 22.

ctum, si homo peccando mortalis non euasisset. dicunt enim, ante peccatum non legi eos genuisse, aut ad procreandos liberos appetitionem habuisse, postea uerò quàm exules à paradiso facti sunt post peccatum, in mulieris pœnam dolores partus datos, & Adam uxori fuisse coniugio copulatum, atque ita filiorum generationi principium datum. si ergo nuptiæ (inquiunt) in paradiso non fuissent, neque partus, necesse est colligere, ne in multitudine quidem animas hominum fuisse futuras, si non in mortem immortalitatis gratia decidisset, neque nuptiæ naturam conseruassent per nascentium successionem, pro ijs, qui intereunt, quare profuisse quodam modo peccatum uitæ hominum, alioqui mansisset in illo primorum parentum binario humanum genus, nisi timor mortis naturam ad successionem & generandam prolem exstimulasset. Verum, quæ sit certa huiusce quæstionis solutio, Pauli est, & eius similium, qui rapti in paradisum audierunt arcana uerba, & in Diuinorum consiliorum secreta fuerunt introducti, nostra verò ratio eiusmodi est. cum olim Sadducæi sermoni de resurrectione aduersarentur, & mulierem illam, quæ septem fratrum uxor fuisset, ad sui dogmatis confirmationem proposuissent, interrogassentque cuius eorum post resurrectionem futura esset, respondit Dominus, non solum Sadducæos docens, uerum etiam omnes, qui secuturi essent, & aperuit mysterium uitæ in resurrectione futuræ. [*in resurrectione* (inquit) *neque nubent, neque tradent nuptui*,] neque enim mori iam possunt, nam pares angelis, ac filij Dei sunt, cum sint filij resurrectionis. at gratia resurrectionis nihil nobis aliud pollicetur, quàm restitutionem eorum, qui ceciderant, in antiquum statum; nam expectata hæc gratia, reditus est ad primam uitam, dum abiectum à paradiso rursus in ipsum restituit. si ergo uita restituendorum, ad illam angelorum assimilis est, profectò liquet, uitam, quæ erat ante præuaricationem, angelicam quandam fuisse, icirco & reditus noster ad antiquam uitam angelis similis est. cum uerò nuptiæ, (ut dictum est) apud eos non sint, & tamen exercitus angelorum in infinita millia porrigatur, sic enim Daniel in suis uisionibus ennarrauit, quid prohibet, quin eodem modo, si nulla fuisset ob peccatum euersio & lapsus ab illa pari cum angelis dignitate, accidisset, ut ne nos quidem nuptijs ad multiplicatio-

Mat.22. *Luc.20.* *ibidem.* *Dan.7.*

multiplicationem indiguissemus, sed qui fuit modus multiplicandę angelorum naturę, arcanus quidem & hominum conie-ċturis inexcogitabilis, idem esse potuisse in hominibus, qui pusillum quid angelis minores facti sunt, ut scilicet augeretur humana mensura in eum numerum, quem Dei consilium constituisset. quòd siquis in angustum deducere uelit rem, & interrogare, qui esset modus generationis hominum, si non eguissent nuptiarum opitulatione, etiam nos illum contra interrogabimus modum, quo angelica natura subsistit, quo pacto illi in infinita millia euaserint, vt vna substantia sint, & tamen tam multi numero. hoc enim opportunè respondebimus ei, qui quærat, quomodo sine nuptijs esset homo, dicemusque, eo modo, quo etiam angeli sunt sine nuptiis atque coniugio. quòd enim esset homo eis similis ante præuaricationem, ostendit ipsa rursus in eandem vitam restitutio. Absoluta autem hac quæstione, ad priorem orationem redeundum est, quo scilicet pacto Deus post fabricatam hanc imaginem, masculi ac fœminæ differentiam excogitauerit, nimirum quòd pręuiderat, hominem in excelsa illa & pari cum angelis conditione minime persliturum, & ne mutilaretur humanarum animarum multitudo, cum ab eo modo excidisset, quo ipsi angeli aucti sunt, iccirco consentaneam ijs, qui in peccatum lapsi essent, augendi generis rationem excogitauit, & pro angelica pręstantia, modum generandi pecudibus similem naturæ inseruit humanę. hinc videtur magnus ille Dauid infelicitatem humanam miseratus dixisse, [*homo cum in honore esset, non intellexit,*] honorem appellans parem illam cum angelis dignitatem. quare adiecit, [*comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*] verè enim pecoribus similis est effectus, dum fluxum hunc generandi morem in sua natura accepit. Audistis quanta Deus hominem affecerit dignitate in ipsa illius creatione, & quo pacto, quemadmodum ait psaltes, omnia subiecerit pedibus eius. quòd si pręterea cogitemus, quid in eiusdem reparatione Deus fecerit, quid reliquum erit, nisi vt in stuporem versi extra nos feramur, & exclamemus cum eodem propheta, [*quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quia uisitas eum?*] [*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*] O' stuporem, ò cogitationem, quę nunquam in cor

Psal. 8. *Psal.* 48. *ibidem.* *Psal.* 8. *ibidem.* *Ioa.* 3.

DDDD hominis

hominis aſcendere potuiſſet. O' conſilium, quod vnum miraculo
Luc. 2. dignum eſt. Deus hominis reparandi gratia homo factus eſt, & naſci in ſtabulo, atque in præſepi voluit collocari, vt vel hoc pacto nos qui iumenta inſipientia euaſeramus, ad præſepe Domini accedentes illum agnoſceremus, & reuocati ab illa ſtoliditate atque deſipientia, dignitatem iterum noſtram reciperemus. Quid ergo reſtat faciendum, niſi vt tam profuſę liberalitati per ſingula momenta gratias agamus, dignitatem noſtram agnoſcamus, ad quam ſumus facti, amiſſam ob peccata inſtaurare omni ſtudio curemus? ſic enim fiet, vt & hanc vitam multò felicius agamus, & demum perpetuam illam, atque immortalem conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria & poteſtas & imperium per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO LIX.
Contra gulam.

CVm nudiuſtertius contra carnis laſciuiam verba fecerimus, opportunum mihi videtur hodie de ea re loqui, vnde præcipuam laſciuiendi occaſionem capere homines ſolent, de crapula videlicet ac ebrietate, quam eſſe viam ad ſcortationes & adulteria, cæteraque impudica facta Paulus ſubindicauit.
Ro. 13. cum enim dixiſſet, [*non in comeſſationibus & ebrietatibus*, adiecit, *non in cubilibus & impudicitijs*.] nam poſt ventrem ſequi ea ſolent, quæ ſub ventre ſunt. quantum autem ab hoc gulę ac ventris vitio abſtinendum ſit homini Chriſtiano, docet ipſe Dominus, qui de terrifico illo iudicij die loquens, di-
Luc. 21. xit. [*cauete autem uobis, nequando grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ* (nam & ipſæ ebrietatem quandam menti afferunt) *ſubitusque uobis ingruat dies ille*.] Et ſanè quidem, ſi hoc malum animæ duntaxat ſaluti officeret, eſſet profectò

fectò fugiendum, sed quando perniciem preterea etiam corpori, siquid aliud vllum, afferre consueuit, multò accuratius ab eo cauendum est. si enim cogites, ob intemperantem cibi ac potus vsum, maxima hominum pars non naturali sed immatura ac violenta morte è vita recedunt, neque expectant, dum opus ipsa suum, quę coagmentauit, natura dissoluat. vt rectè quidam dixerit, crapulam plures interficere, quàm gladium. quæ enim tam firma corporis constitutio est, quæ crapulæ & ebrietatis vitijs non dissoluatur? quę machina seruare illud corpus queat, quod semper incalescat, semperque vino fiat irriguum? hinc tremores, atque imbecillitates, dum vini immoderatione interciditur spiritus, neruorumque constantia dissoluitur, vertigo toti corporis moli ingeneratur. quid execrationem in Caim prolatam in teipsum trahis, per totam vitam tremens & oberrans? quid uerò aliud ebriosi sunt, quam simulacra gentium? oculos habent & non cernunt, manus solutas habent, pedes mortuos, quid aspectu turpius, quàm uenter plenus & exęstuans, & huc illucque se uertens, & in ructus ac crepitus uentorum efflatione respirans? hæc & plura his mala Salomon contemplatus admonebat in hæc uerba. [*noli esse in conuiuijs potatorum, & in comessationibus eorum, qui carnes ad uescendum conferunt, quia uacantes potibus & dantes symbola consumentur, & uestietur pannis laceris dormitatio.*] & rursus. [*cui uæ, cui anxietas, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa uulnera, cui suffusio oculorum? non'ne ijs, qui commorantur in uino, & student calicibus epotandis.*] & alibi. [*qui diligit epulas, in egestate erit, qui amat uinum & pinguia, non ditabitur.*] & sanè nil tam euertit domos, quàm uini & epularum intemperantia, quę quantum malorum examen secum afferat, uidete quid Esaias dicat. [*uæ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad crepusculum, ut uino æstuetis. cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiuijs uestris, & opus Domini non aspicitis, neque opera manuum eius consideratis.*] sed quemnam illud uæ, illaque interminatio finem est habitura? sequitur. [*propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit, propterea dilatauit infirmus animam suam, et aperuit os suum supra modum, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & su-*

Marginal notes: *Gen.* 4. (beside "in Caim prolatam"); *Pro.* 23. (beside "noli esse in conuiuijs"); *ibidem.* (beside "cui uæ"); *Pro.* 21. (beside "qui diligit epulas"); *Esa.* 5. (beside "uæ qui consurgitis"); *ibidem.* (beside "propterea captiuus").

blimes, & lætari solitus, ad eum.] Cernis, ut, quæ maxima accidere hominibus mala possunt, videlicet bellum, pestis, fames inde proficiscantur? vbi etiam obseruandum est, quod dixit, eiusmodi homines opus Dei non aspicere, & opera manuum eius non considerare. obruti enim vino ac crapula nihil à mortuis differunt, atque adeo sunt mortuis deteriores, quantò miserabilius est, viuentem adhuc mortuo esse similem, quamuis ij hanc vnam vitæ intemperantiam vitam putent. Verum, si agnoscere volumus, vtri viuant, ij scilicet, an qui contraria ingrediuntur via, duos in medium ponamus, unum, qui intemperantiæ ac uoluptatibus, & huius uitæ erroribus operam det, alterum, qui ab ijs abstineat, & uideamus, uter horum magis uiuat. sit horum duorum alter admodum diues & insignis, parasitos nutriat atq; assentatores, & totum in hoc insumat diem, comessationibus ac crapulæ operam dans. alter cum paupertate ac ieiunio degat, atque in duriori uita philosophetur, uespere duntaxat necessarium cibum capiat, aut, si mauis, duos, ac tres dies sine cibo maneat. uter ergo nobis erit ex ijs duobus, qui maximè uiuat? ingrediamur utriusque domos eo præsertim tempore, quo diues uidetur uiuere, cum scilicet in delicijs est, & ingresi inspiciamus, in quibus uterque horum uersetur, nam ex factis agnoscitur, qui uiuere, aut mortuus esse uideatur. itaque deprehendemus, alterum cum libris uersari, aut in precationibus, & ieiunio, aut alia quauis re necessaria vigilantem, sobrium & cum Deo loquentem, alterum uerò ebrietate obrutum, & nihilo meliorem mortuo intuebimur. quòd si usque ad uesperam expectemus, maiorem mortem hunc inuadere conspiciemus, cui rursus succedet somnus. at ille alter etiam nocte peruigil est. utrum ergo magis uiuere dicemus, illu'mne, qui sine sensu iacet, & omnium risui expositus est, an hunc, qui semper aliquid homine dignum agit, & cum Deo uersatur? nam, si illum adeas, & quippiam ei dixeris necessarium, non audiet loquentem perinde, ac si esset mortuus. cum hoc uerò si uersari, siue per diem, siue noctu cupias, angelum cernes potius quàm hominem, & de rebus cœlestibus audies philosophantem. Cernis, ut hic quidem super omnem omnium vitam viuat, ille uerò miserabilius iaceat, quàm ipsi mortui? qui licet uideatur aliquid agere, alia pro alijs cernit, &

furentibus

furentibus persimilis est, atque adeo ijs infelicior. in illos enim siquis contumeliam exerceat, etiam miseremur eius, qui patiatur contumeliam, & eum reprehendimus, qui illam faciat. at in hunc siquem cernamus insilientem, non solum non flectimur misericordia, sed etiam approbamus factum. hanc tu uitam appellabis, & non potius rem omnibus mortibus molestiorem? Cernis ut non solum mortuus sit, qui in delicijs degat, sed & mortuis deterior, atque à Dæmonijs acto infelicior? nam huius miseremur, illum odimus, & hic ueniam meretur, ille uerò pœnas dat sui morbi. quòd si extrinsecus ita ridiculus est, & undique corrupto uino fœtet, cogita infelicem animam in tali corpore tanquam in sepulcro defossam, quo pacto affecta esse censenda sit. idem enim est, ac si cerneres barbarum aliquem turpem & impurum in puellam decoram & temperantem & ingenuam insilire, & afficere contumelijs. tale enim quid ebrietas est. quis ergo mente constans non mallet millies mori, quàm unum diem ita uiuere? quamuis enim facto die experrectus ab illa ebrietate uideatur, ne tum quidem tamen pura sobrietate fruitur, adhuc nube illa præ oculis stante. quòd siquis etiam det illum integre sobrium, quid prodest? ad nihil enim aliud proficit sobrietas illa, quàm ut reprehensores cernat. nam, dum ebrius est, tantum lucratur, quantum irridentes non animaduertit. at facto die hoc etiam solatium amittit, dum & serui murmurant, & uxor erubescit, & amici calumniantur, & inimicos sentit irridentes. quid hac uita miserabilius esse posit? Vide uerò quàm probrosa res sit ebrietas. quo enim alio à ratione carentibus differs ò homo, nisi dono rationis, quam accepisti ab eo, qui te condidit? qua etiam princeps & dominus creaturæ omnis factus es. qui uerò per ebrietatem ratione, ac prudentia se priuat, [*comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*] ego uerò etiam pecudibus magis irrationales esse dixerim eos, qui ab ebrietate detinentur. quoniam quadrupedia quidem omnia, & feræ ordinatos habent impetus ad mutuam permixtionem, at ij, quorum anima ab ebrietate occupatur, & corpus calore præter naturam plenum est, quouis tempore & omnibus horis ad impuros & turpes complexus compelluntur, & neque hoc solum, sed etiam peruersio sensuum deteriorem quouis pecude ebrium ostendit. *Psal. 48.*

ostendit. quod enim pecus ita deprauatum habet & uisum & auditum, vt ebrius? ij maxime quidem domesticos ignorant, & sæpe ad externos tanquam notos accurrunt, umbras transiliunt, fluuios arbitrati, aures habent strepitu, & sono tanquam perstrepentis maris habent, terra in altum illis uidetur erigi, & montes circumcurrete. nunc effusè rident, nunc deflent & lamentantur. nunc confidentes & intrepidi sunt, nunc pauentes & territi. his somni quidem graues, ac suffocati, & uerè morti proximi, uigiliæ somno insensibiliores, nam somnium est illis uita, & cum neque uestes, neque in crastinum habeant alimenta, in ebrietate tamen reges sunt, atque exercituum duces, urbes ædificant, facultates distribuunt, dum eiusmodi imaginibus & erroribus feruescens vinum eorum corda replet. alij uerò contrarijs affectibus aguntur, suntque spe destituti, tristes, dolentes, lacrymosi, ad omnem strepitum pauidi. nam idem uinum in diuersa corporis constitutione diuersos affectus animis ingenerat. quibus enim sanguinem in superficiem diffundit, hoc alacres, iucundos, hilares facit, quorum uerò habitum ob grauitatem astringit, horum contrahens & comprimens sanguinem, in contrarium eos affectum agit. Quid opus est reliquarum perturbationum examen recensere? difficiles mores, atque ad irritandum faciles, querulos, clamosos, turbulentos, iracundos. intemperantia uerò ad voluptates manifestò ex vino tanquam ex fonte manat, & cum mero sociatur impudicitiæ morbus, omnem pecudum in fœminas insaniam minorem ebriosorum contumelia declarans. nam ratione carentia agnoscunt naturæ terminos, at ebrij in masculo fœminam, & in fœmina masculum quærunt. neque oratione percurrere facile est omnia mala, quæ ex ebrietate proficiscuntur. nam damna, quæ ex pestilentia proueniunt, temporis spatio inuadunt homines, dum paulatim aër suam corruptionem corporibus infundit, quæ uerò ex uino fiunt, confestim inuadunt. cum enim ita perditam animam habeant, ut omni sorde, ac macula sint notati, ipso præterea corporis habitu corrumpuntur, & non solum uoluptatum exuperantia dissoluti defluunt, sed ipsa etiam mole, ac pondere corruptum, & uitali conconstantia solutum corpus ferunt. horum liuidi sunt oculi, pallida superficies, spiritus intercisus, lingua fracta & languida, cla

mor

mor nihil significans, facile labentes pedes in puerorum morem, excretiones superuacuorum sponte veluti ab inanimis effluentes, miserabiles ob luxum, miserabiliores ijs, qui in pelagi tempestatibus uersantur, quos alij ex alijs fluctus excipiunt, atque obruunt, neque patiuntur, ut emergant. sic sanè & horum animæ obrutę feruntur, ac uino demersæ. quamobrem, quemadmodum fluctuantia nauigia, cum multum onusta sunt, necessario eiecto onere alleuantur, sic istis necessarię sunt onerum illorum depositiones, nam euomentes uix pondere illo liberantur, tantò miserabiliores ijs, qui difficilem patiuntur nauigationem, quantum illi quidem ventos & mare, externasque necessitates accusant, ij uerò sponte attrahunt illam ex ebrietate tempestatem. qui etiam ebrietati remedia adhibent, non vti nequid damni à uino patiantur, sed machinantur, ne unquam ebrij esse desinant. nam breuis est illis dies, breuis nox etiam hiberna ad potandi tempus, finis autem huius mali nullus est, nam ipsum vinum seipsum ad amplius profert. non enim solatur indigentiam, sed alterius potus irrequietam necessitatem ingenerat, dum incendit ebrios, semperque ad maius bibendi desiderium prouocat. dum verò insatiabilem bibendi appetitum habere student, contrarium illis accidit, quàm uolunt, nam assiduitate luxus sensus emarcescunt. etenim sicut res supra modum lucida hebetat oculos, & uehementiori sonitu fit, vt etiam amittatur auditus, sic & ij non aduertunt, se, dum nimis voluptatem sectantur, amittere voluptatem. nam eorum gustus qualitatem uini diiudicare non valet, & quod merum est, aquosum illis videtur. Sed hæc frustra dicuntur iis, qui semper uino sunt pleni, nam grauatum ex crapula habent caput, dormitant, oscitant, nebulosam habent mentem, nausea & vomitus identidem illis imminet, ac propterea non audiunt magistros clamantes ac dicentes. [*nolite inebriari uino, in quo est luxus.*] & rursus. [*intemperans res uinum, & contumeliosa ebrietas, quicunqe ijs delectatur, non erit sapiens.*] quę dum non audiunt, fructum suæ ebrietatis referunt. nam tumet corporis moles, humecti semper oculi, os aridum & ardens siti. sicut enim aluei torrentium, dum ex pluuia implentur, videntur aquis abundare, at ubi cessauit pluuia, sicci relinquuntur. sic ebriosorum os, dum uinum influit,

Eph.5.
Pro.20.

fluit,

fluit, plenum quodam modo, atque humectum est, at ubi deflu
xit, mox aridum ac sine humore deprehenditur. sed hoc parum
esset, si corpus tantum pateretur, verum magis deflendum est
animi malum. etenim non tam inordinatè currus à furentibus
equis excusso auriga feruntur, neque nauis à sęuis uentis amisso
gubernaculo tam miserè dissipatur, quàm ebriorum animi à cra
pulæ ac potus intemperantia diuexantur. Quando ergo exigua
spes est illorum correctionis, uos saltem intellectis huius uitij da-
mnis, ab eo abstinete, tanquam à pestilentissimo humani gene-
ris hoste. mementote, inter ea, quę à regno cœlorum prohibent
1.Co. 6. homines, numeratam esse ebrietatem. [*neque ebriosi* (ait Pau-
lus) *regnum Dei possidebunt.*] nam eiusmodi homines ex iis sunt,
Esa. 22. qui hanc duntaxat uitam curantes dicunt, [*comedamus & biba-*
1.Co.15. *mus, cras enim moriemur.*] quę res quem finem afferat, uidete
Exo. 32. quid alibi scriptum sit, [*sedit populus manducare & bibere, & sur*
1.Co.10. *rexerunt ludere.*] at ille lusus fuit aurei uituli adoratio, cum [*mu-*
Ps. 105. *tauerunt gloriam suam in similitudinem uituli comedentis fœnum.*]
Cogitate præterea illud, quàm sit turpe, rebus à Deo, nostro gene
ri ad animi ac corporis vtilitatem datis tam intemperanter abuti.
Eccl.31 nam [*uinum* (ait quidam sapiens) *creatum ab initio fuit ad iucun-*
Pro.31. *ditatem non ad ebrietatem.*] & Salomon. [*noli regibus dare uinum,*
neque principum est sicera.] quare? [*ne forte bibant, & obliuiscan-*
tur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.] cui ergo dan-
dum est? [*date* (inquit) *siceram pereunti, & uinum ijs qui amaro*
sunt animo. bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui
non recordentur amplius.] Cernis leuandi mœroris ac nimiæ affli-
ctionis gratia, vinum esse excogitatum, & ubi hęc necessitas de-
est, etiam regibus ac principibus prohiberi? nam ubi ob solam
uoluptatem eo utuntur, dissoluitur animus, & ratio locum suum
deserit. & sanè si sobrii essent reges ac principes, non tam multa
peccarent in subiectorum perniciem. quòd si diligentius perue-
stiges, inuenies bella & mutua inter principes dissidia ex eo sę-
pius proficisci, quòd incalescunt mero, & nimio cibi ac potus
luxu dissoluuntur. Illud quoque Pauli meminisse utile erit, cum
1.Co.11. reprehendens Corinthios ait. [*alius quidem esurit, alius autem*
ebrius est.] quàm enim est detestandum, cum omnes homines
pares natura fecerit, alios crapula & ebrietate obrui, alios uerò

ob

ob istorum intemperantiam fame ac siti confici? nam si superua-cua auferantur, non reperietur qui egeat, neque cuiquam de-runt vitę necessaria. egestas enim, atque inopia ex eo nascitur, quòd multi plus æquo sibi uendicant, neque necessariis conten-ti, infinita habendi cupiditate feruntur. quare profuerit inter e-pulas pauperum meminisse, & cum tantum cibi ac potionis acce-ptum est, quantum refocillandę naturę sit satis, reliquum fra-tribus Christi reseruare. atque hinc duplex lucrum capietur. nam & corporis sanitas ex illa cibi ac potus moderatione orietur, & animę salus ex studio in pauperes comparabitur. adde quòd & maior iucunditas in capiendis cibis ex frugalitate percipitur. cen-ses enim suam voluptatem illis hominibus defuisse, cum pane duntaxat vescerentur & aqua? nam [*initium uitæ hominis* (ait Eccl. 29. quidam sapiens) *panis & aqua, quæ duo satis esse debere homini*, e-" *tiam antiquissimus quidam poeta inter Græcos dixit. nam quid mor-*" *talibus* (inquit) *sit usui præter duo illa tantum cereris munus & aquæ;*" *poculum, quæ adsunt, ac nos queunt alere, quorum satietas nun-*" *quam est, luxus autem sunt cæterarum epularum indagines*.] Ma-" ximè uerò efficax remedium est ad cohibendam nimiam illam edendi ac bibendi appetitionem, si alendo interiori homini stu-deamus. id enim hic accidit, quod in stateris, ut, quod uni addi-tur, alterius fiat detrimentum. quò enim magis corpus alitur, ad animi infirmitatem redundat, qui tamen unus curandus es-set. nam is uerus est homo, exterior uerò corporis forma instar cuiusdam uestimenti est, quo anima quodam modo uidetur cir-cundari, atque adeo animi potius carcer ac sepulcrum est, & quoties operam das, ut obesum ac pingue sit corpus, toties auges tibi ipsi carcerem, & maius sepulcrum ędificas. cum enim cor-pus per se eius generis sit, ut de illo dicatur, [*corpus quod cor-* Sap. 9. *rumpitur, aggrauat animam*,] si præterea cibi & potus maiorem copiam adhibeas, geminatur illa depressio, atque ita obruitur, ut suspicere nunquam atque attolli possit. non aduertimus mi-seri, nos ad cœlum esse formandos, ad quod etiam facti sumus? quid pretiosum stercus (hac enim appellatione deliciæ sumpti-bus comparatæ dignæ sunt) tantę dignitati anteponimus? cuius dignitatis & ipsum corpus particeps futurum est, si nunc spiri-tui subiiciatur. [*fulgebunt enim iusti sicut sol in regno patris sui*. & Mat. 13.

Col. 3. Paulus [*Seruatorem* (inquit) *expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humile nostrum, ut conforme sit corpori eius glorioso*.] quem tam felicia promissa, & omnem hominum cogitationem superantia non moueant ad temperantiam sobrietatemque amplexandam? cum ægrotum corpus est, ab omnibus abstinemus, quæ nobis à medicis pręcipiuntur, ut corpus reddamus incolume, quamuis post curatio nem, adhuc tamen corruptioni obnoxium maneat: ubi uerò æterna eius incolumitas, & ea promittitur species, quę soli, atq; adeo ipsi glorię Christi corporis æquanda sit, tam inertes sumus, & in re tanti ponderis dormitamus. Quod siqui tam desides omnino sunt, qui tantę maiestatis ac dignitatis munera negligant, ij vel

Luc. 16. Geennę metu deterreantur, meminerintque illius perpetuę sitis quam diues ille in inferno patitur, qui hic epulabatur quotidie splendidè, ibi uerò, cum rogaret, ut Lazarus, quem esurientem & sitientem in uita contempserat, mitteretur, ut intingeret extremum digiti in aquam, ac refrigeraret linguam eius, ne exigui quidem illius refrigerij compos fuit. O terrificum spectaculum. in ęternum guttulam aquę in refrigerium habere non posse eum, qui uoluptuosè hanc uitam egit, & ob hanc ipsam causam. audi

ibidem. enim, quid Euangelica dicat historia. [*memento fili, quòd accepisti bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala. nunc uerò ille consolationem habet, tu uerò cruciaris*.] quis non tunc maluerit fuisse Lazarus ille mendicus & ulceribus plenus, quàm diues, qui

ibidem. [*induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè?*] Hæc, dum tempus est, in mentem ueniant, & temperantiæ ac sobrietati operam demus, ut & ęterna Geennæ incendia euadere, & sempiternam requiem assequi liceat. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & maiestas & imperium in secula seculorum. Amen.

ORATIO SEXAGESIMA.
De humilitate.

CREAVERAT Deus hominem, ut magnus esset, ingentique illum honestauerat dignitate. sed [*homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,*] & qui factus erat, Psal. 48. ut omnibus imperaret, suo uitio omnibus inferior est effectus. & sanè cum in illa præstantia esset, in qua fuerat conditus, ne tunc quidem insolescere illum oportuerat. quod si facere uoluisset, obiectum ei illud fuisset, [*quid habes, quod non acceperis? quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*] at uerò postea, quàm 1. Co.4. à sua cecidit dignitate, uelle insolescere, & sese aliquid arbitrari, hoc nullo modo ferendum est. quæ res mihi ex maxima ignoratione proficisci uidetur. contra uerò, humilitatem, atque animi submissionem sapientiam parere, ut rectè Salomon dixerit, [*ubi est humilitas, ibi & sapientia.*] si ergo in humilitate sapientia est, Pro. 11. consequens omnino est, ut cum superbia habitet ignorantia. quę cum omnibus in rebus damnum afferat, tum in eo, cum quis seipsum ignorat, est perniciosissima. si enim quęras, sui ignoratio omnia inuexit mala, rerumque omnium confusionem hanc, quæ in mundo cernitur. hinc enim bella, & mutuæ hominum cædes, urbium & prouinciarum ac regnorum euersiones. hinc rapinæ, hinc immensa & insatiabilis habendi cupiditas. hinc insana corporis cura, & interioris hominis neglectus, dum non nos ipsos, sed quæ circa nos sunt, admiramur. nam errore opinionis decepti arbitramur nos externis hisce honestari, & cum cæteris omnibus in rebus utamur iudicio, in hoc uno, quod unum esset æstimandum, iudicio caremus. cætera enim ex ipsorum natura æstimamus, non ex adiunctis, ut si generosum equum emere in animo est, nudum cernere illum uolumus. quòd siquis il-

lum auro ac gemmis opertum aduehat, ornamenta illa omnia auferri iubemus, dicimusque illa esse impedimento, quò minus integrè equi naturam ac præstantiam intueamur. ubi uerò de cuiuspiam hominis dignitate & honore cogitamus, externa in primis, & quæ circa illum sunt, tanquam equi phaleras obserua mus ac reueremur. magnus (inquit) ille est. quare? princeps est, maximas habet opes, stipatores quàm plurimos pascit, curribus & equis & pretiosis uestibus honestatur, & has ob res, atque his similes in admiratione cęteris est, si etiam non solum uirtute omni destituatur, sed etiam uitijs omnibus sordidus sit. externa hæc homines tumidos faciunt, neque cogitant miseri, idem illis usu uenire, quod ijs, qui morbo intercute, quam hydropisim uocant Græci, laborant. uidentur enim pingui corporis habitu esse, cum aqua subter cutem fusa turgeant. sic ij magnos se opinantur & nobiles externarum harum rerum accessione, quæ si forte aliqua auferantur, tunc demum se nullius esse pretij possunt intelligere. Hæc autem hominibus accidunt propterea, quòd res confundunt, & putant se ea esse, quæ potius uel res suas, uel quæ circa eos sunt, debuerant existimare. sed cogitandum est. aliud nos esse, aliud nostra, aliud quę circa nos. nos sumus ipsa

2.Co.4. anima, & ratio, & mens, quem interiorem hominem Paulus appellare consueuit. res nostra est corpus, circa nos uerò sunt opes & facultates, & externa hæc, quibus sibi placere homines solent, tanquam sibi quodam modo coniunctis, atque unum secum ef-

Ier. 15. fectis. sed separandum est pretiosum à uili, quemadmodum admonemur per prophetam, deinde uidendum, num habeat homo quicquam, unde ualeat superbire, ac gloriari, & demum reperiemus, uel nos gloriando decipi, uel, siquid habemus gloria dignum, illud ab omnibus præstandum esse, quod ait Paulus.

2.Co.10 [*qui gloriatur, in Domino glorietur.*] Primum ergo uehementer ij errant, qui externa bona materiam insolescendi faciunt, uoluntque ob ea duntaxat coli, & plus alijs ęstimari. perinde enim faciunt, ac si asellus aureis phaleris ornatus, generoso equo pręferri ob ea ornamenta uellet. quod siquis cerneret, rideret sanè, & nos non putamus, rem esse ridendam, si homo, hoc est, ratione præditum animal, hoc faciat, quod in ratione carentibus absurdum esse iudicaremus. deinde non aduertunt ij, se ijs intume

scere, quæ cum sceleratis ac perditis communia sunt, atque adeo quæ perditorum propria esse solent. si enim consideres, maxima eorum pars, qui diuitijs gloriantur, & hisce externis delectantur, perditi sunt, & improbam ac scelestam uitam agunt. eadem ratio est eorum, qui aliquapiam corporis præstantia sibi placent. non enim aduertunt, non solum hæc cum brutis ac ratione carentibus animalibus esse communia, sed homines sępius ab illis superari. magna corporis mole prędítus es? quę est hæc magnitudo, si cum elephantis mole comparetur? fortis & intrepidus? at leo te longo interuallo superat, de quo scriptum est, leo fortissimus bestiarum ad nullius pauet occursum. cantu ac uocis modulatione insignis es? at cycnus, luscinię, & plurimæ alię uocales aues maius miraculum in suo cantu excitant. pulcher es? & pauo insigni pulchritudine præstat, & aues aliæ multę, & scorta etiam pulchritudine gloriantur. non pudet ijs gloriari, quibus & bruta & sceleratissimi quique possunt gloriari? arte aliqua pręstas? quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra posit imitari? tenui ac subtili ueste uteris? hic te superant aranei. celeritate pedum uales? rursus primatum tenent carentia ratione animantia, lepus, & caprea, & cętera eius generis animalia multum celeritate antecellunt. acuto uisu præditus es? non ut caprea, ut aquila. acutè audis? at acutius asinus. acuto es odoratu? canis non se patietur à te superari. negociosus es? sed à formica superaris. sanus & bono corporis habitu? irrationalia antecellunt, sicut & in habendi copia. neque enim illa paupertatem metuunt. [*aspicite* (inquit) *uolatilia cœli, quòd neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit ea*.] *Matt. 6.* si ergo corpus spectes, & ea, quę ad illud pertinent, habes potius, quo erubescas, quàm unde glorieris, quod summa cum non solum sapientia, sed etiam bonitate ab optimo Deo factum est, ut glorię cogitationem ad ea transferamus, in quibus uera est sedes glorię. ob hanc causam è puluere terræ formatum est humanum corpus, & homini, ubi primum cœpit insolescere, dictum fuit, [*puluis es, & in puluerem reuerteris*.] *Gen. 3.* & quicunque spiritu Dei acti sunt, hac in primis parte humilitatem suam confessi sunt. [*Loquar* (ait Abraham) *ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*.] *Gen. 18.* & quidam sapiens, [*quid superbis terra &* *Eccl. 10.*

ra & cinis?] & cum ueniam, ac misericordiam uiri sancti implorare à Deo uolunt, ad hunc pulucrem, ac terræ limum se recipiunt, [*memento quæso* (ait Iob) *quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me,*] & psaltes, [*recordatus est, quòd puluis sumus.*] in hac ergo parte, in qua præcipuè error hominum decipi gloriando solet, & quę cum cæteris animantibus communis est, uoluit Deus, ut homo non solum non antecelleret, sed etiam esset inferior reliquis. & uide, quàm hoc fuerit necessarium. si enim nunc, cum in hisce corporeis rebus, tam sumus brutis, ac ratione carentibus inferiores, contineri intra modestiæ terminos nescimus, quid facturi fueramus, si etiam superauissemus? Verum, si in ijs, quę nostra & circa nos appellauimus, superbire non licet, num licebit in eo, quod nos sumus, ratione uidelicet, mente, atque intelligentia? minimè verò. primum enim meminisse debemus, hæc ab eo donata nobis fuisse, & omnia eius liberalitati accepta referre. deinde si, quicquid intelligentia consequi possumus, rectè peruestigemus, quantum illud est? uide enim, quid sapientissimus omnium Salomon dicat. [*cognoui quòd omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem.*] quorum operum? [*eorum, quæ fiunt sub sole.*] ne existimares, eum de superioribus illis, quæ supra sensus nostros sunt, fuisse locutum. & alio item loco. [*mundum tradidit disputationi eorum, ut non inueniat homo opus, quod fecit Deus ab initio, usque in finem.*] quę cum ita sint, nihil aliud uideri nobis debent maximi quique progressus intelligendi, quàm ut agnoscamus, quantum nobis ad intelligendum desit. Quòd si prę terea addamus quantis, quàm sæpe circumueniamur erroribus, quàm multa peccemus. & in Deum & in homines, quanta utamur quotidie ingratitudine in ipsum auctorem nostrum, nunquam profectò committemus, vt insolentia vlla, aut arrogantia fines nostros ingrediatur, tantumque aberit, ut superbiamus, vt etiam infra omnem omnium hominum sortem nos deijciamus. sicut enim ij maximè insolentiæ uitio obnoxij sunt, qui se ignorant, & nunquam in sese descendere curant, sic ij in primis se deijciunt, magisque se suaque facta extenuant, quò maiores in sui agnitione fecere progressus. intuere Paulum illum, qui, cùm esset uas electum ad portandum nomen Iesu Christi [*coram regibus & gentibus & filijs*

Marginal references: *Iob.* 10. — *Psal.* 102. — *Eccl.* 8. — *Eccl.* 3. — *Act.* 9.

filijs Israel,] cuius prædicatio orbem omnium terrarum impleuerat, qui raptus ad tertium cœlum fuerat, & in paradisum, 2.*Co*.12.
ubi audierat arcana uerba, quæ non licet homini loqui, appella- 1.*Co*.15
bat se tamen abortiuum, indignum, qui uocaretur apostolus, blasphemum, peccatorum primum. quam ob causam? quia olim ob ignorantiam persecutus erat ecclesiam Dei, arbitra- *ibidem.*
tus se hoc pacto æmulatorem paternarum suarum traditionum. & tamen illam offensionem semper ante oculos ferebat. hoc sani animi indicium est, superbia uerò, insani. ob hanc causam quam nos superbiam uel arrogantiam appellemus, Græci vocant ἄνοιαν, nomen à stultitia acceptum, modestiam uero, animique submissionem σωφροσύνην, uocem à sanitate mentis deductam appellauerunt. quam sanitatem ubi primum assecutus est homo, tunc maxima quæque ac præstantissima, summa cum omnium admiratione aggreditur. quod enim iucundius spectaculum est, quàm magna efficere, neque ea tamen quicquam æstimare? quod indicium est hominis præstantis, & qui multò maiora aggredi sit paratus. ecce enim cum legi-
mus, magnum illum Aristæum Samsonem, interfecto leone cum *Iud*. 14.
adhuc esset adolescens, & tanquam hœdo dilacerato, nihil dixisse parentibus, qui in eodem itinere erant, plus hoc miramur, quàm ipsius leonis cædem, hoc enim a magni animi virtute proficiscebatur, qui rem tantam paruifaceret. Danda igitur opera est, ut hanc mentis sanitatem adipiscamur, quod non erit difficile assequi, si, præter ea quæ dicta sunt, etiam rerum humanarum conditionem ante oculos habuerimus, præsertim in hisce externis rebus, in quibus præcipuè gloriari homines solent. quis enim mente præditus in re momentanea placere sibi audeat? hodie quis fortis est, ac maximis viribus, cras in aduersum quippiam incidit, quo uiribus omnibus destituitur. pulchra est specie, at leuis morbus, aut paucorum annorum accessio florem illum deperire facit. alius ingentibus pollet opibus, has bellum ingruens, aut tyranni cuiuspiam violentia, aut certe mors in ipso ætatis flore superueniens aufert. eadem in honoribus, & dignitatibus, & magistratibus, cæterisque, quibus fidunt homines, vsu euenire quotidie cernimus. & quia plerunque homines non minus sibi blandiuntur in filiorum successione, quam

quo

quò ipsi in facultatibus honoribusque fruuntur, uideant. quantum in hac etiam re polliceri sibi possint, cum in historia iudicum admiranda exempla legamus huius rerum inconstantiæ. fue-
Iud. 9. re Gedeoni septuaginta filii, qui omnes interfecti fuerunt, ut suc-
Iud. 12. cedere illi in dignitate nemo eorum potuerit. Abesan & ipse iudex Israëlis habuit triginta filios & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filijs suis accepit uxores, & nullum ex tot filijs post se reliquit gubernatorem: idem acci-
ibidem. dit alteri iudici, qui Abdon appellabatur, cui fuerunt quadraginta filij & triginta ex eis nepotes, nec inuenitur quenquam eorum successisse patri. exemplum humanæ imbecillitatis, cui minimè sit fidendum. Cum ergo nihil uel in nobis, uel humanis in rebus sit, quo superbire quisquam nostrum possit, quid reli-
1. Pet. 5. quum est aliud, nisi ut humiliemur (ut ait apostolus) [*sub potenti manu Dei*. hinc enim fiet, quod ibi sequitur, *ut nos exaltet in die uisitationis*.] neque enim præcipitur nobis in scripturis sacris hęc animi submissio, ut deijciamur, sed ut per hanc demum cel-
Luc. 14. siores efficiamur. ob hanc causam ait Dominus, [*qui se humiliat exaltabitur*.] hanc enim ob hanc causam Dei filius ita deiecit sese, ut nos magnos, nempe filios Dei faceret. quamobrem aie-
Ioa. 10. bat, [*ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant*.] cur ergo is, qui cœlum nobis proponit, prohibet, ne terrenis hisce, quantacunque sint magnitudine, afficiamur, nisi quòd omnia hæc, nostra magnitudine atque pręstantia sunt indigna? maximæ enim opes, ac facultates, & honores, & imperia, & regna, si cum ijs conferantur, ad quæ facti sumus, nihil à puerorum lusibus distant. & sanè turpissimum est, Christianum hominem, cui hæc rerum ueritas patefacta est, semper puerum esse, ac per totam uitam puerilibus hisce lusibus occupari. quòd si lusus tantum esset, risusque ex eo duntaxat sequeretur, tolerari aliquo modo posset, uerum, quando ęterni regni iactura, & in Geennam, illumque sempiternum ignem relegatio sequitur, quis tantam insaniam non defleat ac misereatur? audimus promitti per Euangelium humilibus regnum cœlorum, & superbis ac diuitibus
Mat. 5. uę interminatum. [*beati* (inquit) *pauperes spiritu, quoniam*
Luc. 6. *niam ipsorum est regnum cœlorum*.] &, [*uæ uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram*,] audimus, inquam, hæc

à filio

à filio Dei prædicari, & nunquam suspicimus, & attollimus capita, nunquam venit in mentem, ab hoc somno ac veterno expediri. ò uecordiam, ò stupiditatem. docet nos ipse Dei filius ac Deus, qua nobis via sit ingrediendum, nos verò tam stulti sumus, vt contrariam viam ingredi malimus. cùr non saltem morem hominum imitamur, eorum, qui huic vitæ student? cernas enim eos, qui sub rege aliquo ac principe degunt, sedulò dare operam, vt ea faciant, atque in ijs occupentur, quę illis placere norunt, vt hac via in eorum amicitiam insinuentur. nos legimus in scripturis sanctis, deum superbis resistere, & humilibus dare gratiam, & rursus. [*humiles spiritu saluabit.*] &, [*super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum, & trementem uerba mea?*] & sexcenta huius generis alia, neque permouemur, nec ad tantę ac tam gratæ Deo virtutis amorem inflammamur. cuius tamen vtilitatem ingentem, quam humano generi affert, si agnosceremus, essemus profectò ad illam amplexandam multò promptiores. hæc enim in primis nos non solum Deo conciliat, verum etiam in mutua inter homines consuetudine gratissimos facit, contra verò superbia odiosos, & quos omnes ob fastidium auersentur. & uide miram hominum desipientiam. quærunt haberi in honore, & cęteris esse superiores, atque ob hanc causam intumescunt, & arrogantia pleni sunt. at hæc ipsa uia est, ad odium & sui contemptum ab hominibus comparandum, neque id aduertunt propterea, quòd auersi à Deo, hoc est, à lumine, uersantur in tenebris. at [*quicunque ambulat in tenebris, nescit quo uadat.*] qui uerò submissè se gerunt, neque sibi quicquam arrogant, quò magis se deijciunt, & fugiunt honorari, eò maioribus ab optimo quoque honoribus afficiuntur. est enim contentiosum genus hominum, vt aliorum appetitionibus sese libenter opponant, & quem appetere honores cernunt, illum auersentur, & fugientem honores contendant honestare. neque uerò id tantum accidit, vbi cum hominibus agendum est, uerum etiam cum Deo. de quo canit beatissima uirgo Maria, [*dispersit superbos mente cordis sui. deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*] cuius humilitatis tanta apud Deum uis est, vt sceleratissimis etiam, ubi primum aliquam submissi animi significationem præbent, interminata mala condonentur. ecce enim Achab, de-

Iac. 4.
1. Pe. 5.
Psal. 33.
Esa. 66.
Ioa. 12.
Luc. 1.

quo scriptum est, venundatum illum fuisse, ut faceret malum.
3.Re.21 ubi reprehensus ab Elia fuit de cæde Naboth Iezraëlitę, & occu-
ibidem. pata eius uinea, [*scidit uestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.*] quid ergo? [*factus est* (inquit) *sermo Domini ad Eliam Thesbitem. non'ne uidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.*] huius humilitatis vim intelligens Dauid, cum à perdito quodam contumelijs
2.Re.16 afficeretur, uellentque sui illum vlcisci, prohibuit & dixit. [*sinite, ut maledicat Dauid, si forte Dominus reddat mihi benedictionem pro maledictione hac.*] Aliud pręterea ingens bonum secum affert humilitas, quòd scilicet in omni rerum statu constantiam seruat. si enim res prosperè cedunt, non recedit à sua animi submissione, sed gratias agit Deo, & bona omnia Deo accepta refert, atque dispensat, ut Christianum hominem decet. sin prematur aduersis, non conqueritur, non murmurat, sed rursus agit gratias, &
Iob. 1. cum fortissimo illo athleta Iob dicit. [*Dominus dedit, Dominus ab-*
ibidem. *stulit, sit nomen Domini benedictum,*] & rursus. [*si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*] si contumelia afficitur, æquo animo fert, & grauiori etiam iniuria dignum se arbitratur. si laudatur, non admittit laudes, seseque intra se continet, superbus verò his bonis destituitur, & omnia illi aduersa fiunt. secundis in rebus exultat, euanescit, neque Deum, neque homines curat, datis abutitur bonis. sin aliquæ ingruant molestiæ, despondet animum, cœlum ac terram confundit, Deum incessit blasphemijs, denique ex homine fit fera. sic siquis eum laudat, maior superbiæ accessio fit. si reprehenditur à quopiam, excandescit, seque iniuria affici arbitratur. Omnium bonorum mater est humilitas, hominem efficit tolerantem, mitem, carentem ira, humanum, vigilantem, attentum, circunspectum. arrogans contraria habet omnia. impatiens est, contumeliosus, percussor, iracundus, amarus, temerarius, nihil circunspiciens, fera, ut dicebamus, potius quàm homo. eiusmodi homines auer-
Pro.16. satus Salomon aiebat. [*melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.*] humilitas obedientiæ mater, magis Deo
Ps. 50. placet quàm sacrificium. [*si uoluisses* (inquit) *sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis.*] quid ergo? [*sacrificium Deo spiritus*

ritus confractus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.] Quousque intumescimus tumorem risu dignum? vt cum pueros cernimus, in ludo ob leue quippiam alterum in alterum superbientem. quid superbis ob genus & natales? non'ne omnes ab eodem & vno parente profecti sumus? quod si quid habes plus alijs, siue in animi siue in corporis bonis, gratias agere debes Deo, qui tibi sua benignitate plus cęteris tribuerit, non hinc insolescendi capere occasionem. hoc fecerunt, quicunque mente præditi fuerunt, qui quò maioribus donis afficiebantur, eò se gratiores Deo pręstare studebant. intuere apostolos Petrum & Ioannem, qui post edita Diuina signa, cum cernerent populum admiratione & stupore affectum, veriti, nequid ex ea re glorię sibi adhæresceret, dixerunt. [*uiri Isráelitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute ac pietate effecerimus, ut hic ambularet?*] sic Paulus & Barnabas cum sanassent hominem ab vtero matris claudum, & ob hanc causam turbę, Deos illos arbitratę, pararent illis sacrificare, ij conscissis vestibus, insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes, [*uiri cur ista facitis? nos quoque homines sumus, ijsdem, quibus uos, malis obnoxij.*] Si ergo ij, qui signa edebant Diuinis honoribus digna, & maiora quàm ipse Christus, virtute tamen Christi, tam uehementer ab omni fastu abhorrebant, tu, qui arcere culicem, nedum dæmones non vales, qui iuuare vnum, nedum orbem terræ idoneus non es, cur audes insolescere? nihil Christiano indignius arrogantia, cui in exemplum propositus est Christus ipse Dei filius, [*qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem, & eam crucis.*] deijcit se Deus, & insolescet homo? quę est hæc absurditas? quem mouere non debeat tam admirandum filij Dei exemplum ad humilitatem amplexandam, si etiam nihil inde aliud consequeretur? uerum quia plerique omnes vel mercenario vel seruili animo sunt, intuemini saltem finem vtriusque, & superbi, & eius, qui submisso est animo. [*superbum enim* (ait Salomon) *sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.*] at quæ gloria? [*quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ*] *præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* et, [*Seruatorem expectamus Dominum nostrum* Iesum *Christum, qui*

Act. 3.
Act. 3.
Phil. 2.
Pro. 29.
Esa. 64.
1. Co. 2.
Phili. 3.

transformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori claritatis suæ.] & rursus, [*cum apparuerit Christus uita uestra, tunc apparebitis & uos simul cum illo in gloria.*] Hęc cogitantes charissimi fugiamus superbiam [*omnis peccati initium,*] sectemur humilitatem, bonorum omnium fundamentum, & pręcipuam filij Dei virtutem, quem vt imitaremur, admonuit, cum dixit, [*discite à me, quod mitis sim, & humilis corde.*] si enim simul cum illo humiliemur, simul & cum illo glorificabimur. cui cum patre & spiritu sancto est honor & potestas & imperium in secula seculorum. Amen.

Col. 3.
Eccl. 10.
Mat. 11.

ORATIO LXI.

De liberalitate.

CVM recens de humilitate habita à nobis oratio sit, eius recordatio me inuitat, ut hodie de liberalitate uerba faciamus, non solum, quia hæ ambæ oppositæ sunt duobus antesignanis uitijs, superbiæ, atque auaritiæ, de quorum priore dictum est: [*initium omnis peccati superbia.*] de altero, [*radix omnium malorum auaritia.*] uerum etiam ob quandam cognationem, quam inter se habent. nam utranque à generoso in primis animo proficisci necesse est, ut contra, superbia atque auaritia ab ignobili mente oriri solent. si enim superbi cogitationes & facta contemplere, nihil in eo generosum reperies, sed tumorem duntaxat quendam, ut ijs corporibus similis sit, quę morbo aliquo turgent. at illam inflationem nemo unquam in corpore laudat, quamuis crassitiem quandam afferre uideatur. & hoc quidem in corporibus dignoscimus, ut tumorem à bono corporis habitu distinguamus, in animis uerò cæcutimus, neque arrogantiam scimus à magnanimitate distinguere. idem in auaritia accidit, quod scilicet ignobilem duntaxat mentem occupare consueuit, & quæ non nisi, humilia

Eccl. 10
1. Tim. 6

appetere

appetere, & in ijs semper inhærescere soleat. modestum uerò animum, & qui submisse se gerat, naturę esse generosæ, atque educationis philosophicæ, præstantissimi etiam inter externos philosophos prædicarunt. ab eiusmodi quoque ingenijs tantum proficisci liberalitas potest, quę ingenia cum hanc uim habeant, vt semper egregium quid, ac præstanti homine dignum facere ament, dandi etiam semper occasiones quęrunt. quod ita esse liquet apertissimè ex eo, quòd reperiuntur plurimi, qui, cum tenui opum facultate sint, nunquam tamen dando, & quæ habent, cum proximo quoque communicando fatigantur. cum interea plures sint, qui opibus longe ditiores, nunquam adduci possunt, vt tot diuitias cum alijs communicent. quare uerissimum est, dandi liberalitatem non ex facultatum copia, sed ab animi generositate proficisci. Neque uerò generosi tantum animi indicium est liberalitas. verum etiam iusti, & ob hanc causam scripturæ sacræ hanc uirtutem iustitiam appellant. [*dispersit* Psal. 111.
(inquit) *dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.*]
& Seruator ipse de eleemosyna uerba faciens, iustitiæ appellatione utitur. [*attendite* (inquiens) *ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus.*] & Salomon, [*qui negligit damnum propter amicum, iustus est,*] hoc enim est opus liberalitatis. & sanè cum homines hominum causa sint facti, vt ethnici etiam prędicant, vt mutuis obsequijs sese inuicem iuuent, turpissimum profectò est, eos, qui Christianam philosophiam profitentur, ab hac virtute tam esse alienos, cum uno illo Seruatoris Christi uerbo commoueri deberent, cum ait, [*beatius est dare quàm accipere.*] beatitudinem audis, quam omnes expetunt, & quę una uotorum omnium summa est, & non inuitatis ad liberalitatem toto animo amplexandam? hoc non philosophus aliquis, sed ipse Dei filius, ipsa ueritas & sapientia patris dicit, neque commoueris? peruestigarunt tanto studio philosophi omnes, quibus in rebus beatitudo sit, multaque super hac re confecere uolumina, &, quoniam homines erant, qui humanis tantum opinionibus coniecturisque agebantur, non satis inter eos conueniebat, sed digladiabantur, & uarijs sententijs hominum mentes confundebant potius, quàm eis opitularentur. nunc Deus ipse è cœlo ad nos profectus, ubi ea sit, apertissimè sine ullis ambagibus declarauit,

Matt. 6. *Pro. 12.* *Act. 20.*

uit, & nos ſtupidi contrarijs ingredimur uijs, & tanta ueritatis relicta luce adhuc tenebris delectamur. quis tantam ſtultitiam non admiretur? quę eſt hæc in hominibus peruerſitas, vt inuen-
ibidem. tis frugibus glande ueſcantur? [*Beatius eſt* (inquit) *dare quàm accipere*.] beata planè res liberalitas, quæ cum auaritiæ contraria
1. Tim. 6. ſit, quam apoſtolus omnium malorum radicem rectè appellat, iure omnium bonorum radix & fons appellari poteſt. quid enim non ſecum affert boni? quem non illius uultus exhilarat? eſt profectò ueluti ſol, qui, cum orbi apparet, mortales omnes implet iucunditate. ſic liberalis, dum benignè omnibus facere ſtudet, ubicunque conſpicitur, quibus ſe cunque obuium præbet, lucem quandam ſecum affert, quę lætitiam & iucunditatem omnibus parit. pater eſt pauperum, orphanos tuetur, uiduas protegit, proſpicit ęgrotis, clauſos carcere ſtudet liberare. hac
Iob. 31. uirtute prçditus erat Iob, qui de ſe dicebat. [*ſi negaui pauperibus quod uolebant, & oculos uiduæ expectare feci. ſi comedi bucellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. ſi deſpexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem, ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de uelleribus ouium mearum calefactus eſt. ſi leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cum uiderem me in porta ſuperiorem. ſi putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. ſi lætatus ſum ſuper diuitijs multis meis, & quòd plurima reperit manus mea.*] Cernis quanta ſecum habeat bona uir liberalis? non ſolum enim miſericordia in quemlibet indigentem permouetur, uerum etiam iniucundam eam uitam putat, quę ſibi tantum uiuat, neque cum proximo quoque ſua communicet bona. unus hic contemnere opes poteſt, (ſummi (vt quidem poëta ait) materiam mali, & quarum cupiditas hominem exuere humanitatem cogit. quod uitium ubi ſuperatum eſt, mox in ueram libertatem homo uindicatur, quę maxima felicitatis pars eſt. nam qui ſe felices arbitrantur propterea, quòd abundant opibus & facultatibus, & ſola earum adeptione, ac poſſeſſione oblectantur, longè ab eo ſunt, vt beati poſſint iudicari, quamuis maxima hominum pars hac erroris opinione decipiatur, quòd vt euidentius fiat, proponantur duo homines, quorum alter auaritiæ, ac congerendis opibus ſtudeat, alterius propoſitum ſit, liberaliter ſuas facultates cum proximo quoque com-

communicare. uideamus vter horum dici felix posit. auarus noctes & dies excruciatur, vt opes opibus addat, & pro ijs, quidem quas nondum habet, folicitus est, quo pacto eas assequatur, pro ijs uerò quas habet, non minori uexatur folicitudine, ne re tam chara forte aliqua priuetur. quod si accidat, dolores inferni (vt Ps. 114.
prophetæ uerbis utar) circundant illum, & hoc infelicius morte arbitratur. pecunias sępe malè tutas in arca putat, quare in secretiori terræ parte eas infodit, sed ne tum quidem molestia caret, metuit enim, ne, si repentino aliquo casu moriatur, res sibi omnium charissima in perpetuum pereat, ac propterea etiam cum sanus est, hoc metu premitur, multò uerò magis si ęgrotat. tunc enim & fateri cuiquam timet, ubi thesaurum reposuerit, metuens etiam filiorum infidelitatem, & non fateri dolor est, ob impendentis mortis metum. reliquis opibus ita vtitur, vt illarum se manifestè seruum demonstret. quòd si in suos usus insumere formidat, multò minus in alienos hoc pręstare audebit. quare omnes auersatur, quos opinatur petere à se quippiam uelle, præsertim pauperes, ac mendicos, quo fit, vt vicissim etiam alij illum auersentur, oderint, & tanquam communem hominum hostem detestentur, neque unquam rectè illum quicquam facere putent posse, nisi cum moritur, quo facto aboletur mox eius ab hominum mente recordatio. in tali huius hominis uita, quod felicitatis uestigium inuenire posis? quid non potius molestiarum supremæque miserię? nunc refer animum ad liberalem hominem, & totam illius uitam reperies beatissimam. cum enim propositum ei sit, benignè hominibus facere, nocturnæ diurnęque illius cogitationes plenæ sunt iucunditatis, neque unquam tristitia inuadere illius animum potest, nisi cum benignè faciendi facultas deest. at ea tristitia non angit hominem, cum ex bene affecta mente proficiscatur. cætera lętus, atque alacris semper est. quid enim? cum plurimum mœrores, atque tristitiæ ex eo proficiscantur, quòd opes uel desunt, uel paratę amittuntur, quis dolori locus in eo est, qui tantum abest, ut aliena appetat, ut etiam summa cum uoluptate, quæ habet, largiatur? somnos ducit iucundissimos, uigilias iucundiores, omnium congressus gratos habet, præsertim uero inopum & egenorum, hos ut filios & suę curæ creditos perquirit, fouet, amplexatur, cogitatque identidem.

dem, quibus artibus eorum inopiam leuet. Hæc est uera summi Dei ac cœlestis patris imitatio, cuius in pauperum, & egen-
Psal. 71. tium studio scripturę sacrę plenæ sunt. [*parcet* (inquit) *pauperi*
Ps. 145. *& inopi, & animas pauperum saluas faciet,*] &, [*pupillum & ui-*
Psal. 9. *duam suscipiet,*] &, [*pupillo tu eris adiutor,*] & sexcenta eius generis alia. quid uerò magnificentius accidere homini potest, quàm esse Dei imitatorem ea potissimum parte, qua in primis Deus ip-
Ps. 144. se commendatur & prædicatur? quòd scilicet [*suauis sit uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius,*] quæ etiam ad ra-
Ps. 14. tione carentia animalia usque porrigantur. [*qui dat iumentis* (inquit) *escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*] quem imitati uiri sancti ac Deo proximi idem præstant, & ob eam cau
Pro. 12. sam aiebat Salomon, [*nouit iustus iumentorum suorum animas,*] &
Gen. 33. Iacob. [*si laborare* (inquit) *fecero nimis greges meos ambulando, morientur cuncti uno die.*] huic uero non facilè inuenias, qui insidias struat, ac nocere cogitet, quin potius optant omnes, ut seruetur diutius in uita. cum uero tempus aduenit, quo uitę cedat, primum illius omnes mortem deflent, deinde eius recordatio beneficentię perpetua in hominum mentibus perseuerat,
Ps. 111. impletur enim in eo quod scriptum est, [*in memoria æterna erit iustus.*] atque ita fit, ut & beatus in hac uita fuerit, atque ad æternam demum beatitudinem transferatur.. Cernis quàm dispar sit auari ac liberalis ratio, & ille quidem nullam neque hic, neq; in futura uita felicitatis partem attigerit, hic uerò contra felix semper fuisse deprehendatur? Et sanè res admiratione digna est, inter Christianos (nam in ethnicis, quibus Euangelica defuit lux minus est, quod miremur) reperiri hominem, qui auaritiæ studeat. quam ob causam? ob hanc nimirum, quòd, cum Christum eiusque cœlestem philosophiam profiteantur, & pręterea opum appetitionem rebus omnibus anteponant, ipsa uero Christiana philosophia doceat, quo pacto diues quis & in hac uita esse possit, & eisdem diuitiis perpetuo frui, negligunt tamen stolidi salutaria sacrarum scripturarum documenta, & suis cogitationibus, errorum & stultitię plenis malunt adhærescere, quibus fit, ut nunquam eo fruantur, quo tamen uno frui semper
Mat. 19. concupiuerunt. promittit Christus suæ philosophię sectatoribus
Luc. 3. centies multiplicatas facultates in hac ipsa uita, quod humana

industria, maximisque sudoribus assequi uix quisquam potest. hanc tam ingentem pollicitationem auarus auidius quam reliqui omnes deberet amplecti, & tamen plus cęteris omnibus ab ea se reddit alienum. quis hanc stupiditatem non uehementer obstupescat? timet auarus fures, tineam, eruginem. docet Christus, ubi tutò thesauri reponantur. [*recondite (inquit) uobis thesauros in cœlo, ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.*] audit hoc auarus. quanquam uereor, oppletas auro illum habere aureis, ut exaudire nequeat, sed per Euangelium non stat, quin audire posit, & tamen salutiferum accipere consilium recusat, quo perpetuò & diues & securus degat. nihil infelicius iudicare solent homines, quàm diuitias tantis sudoribus paratas ignoto homini relinquere. hoc non solum discere ex scripturis sacris auari possunt, vbi legitur. [*thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea,*] sed quotidie idem in alijs experiuntur. tutum parare sibi hæredem licet, Christum videlicet, qui & in hac ipsa uita ditissimos eos se facturum, & illam præterea ęternam pollicetur, & tamen miseri, cæci, surdi, malunt suam erroris opinionem sequi, & vel ijs relinquere suas facultates quos ignorant, vel certe ijs, quorum gratia in æternos Geennę cruciatus sunt relegandi. Audistis quàm ingens sit bonum liberalitas, tum ex sua natura ac ui, tum ex contrarij vitij contemplatione. neque enim exiguum bonum esset, si ob eam tantum causam studeremus esse liberales, vt mala declinaremus, in quę auaros homines incidere intelligimus. reliquum illud est, vt in eam toto pectore incumbamus, hoc enim erit quodam modo debitam Deo reddere vicissitudinem, qui factis ipsis nos ad liberalitatem inuitat. cernis enim infinitam penè rerum copiam vsibus nostris ab eius munificentia subministratam. nam quid maioris apparati fecisset, sicui filio, quem ipse genuisset, fuisset prospiciendum? cœlum, terra, mare, totaque hæc mundi fabrica unius hominis obsequio exstructa est, tot animalium genera, quadrupedum, uolatilium, piscium, tam multa è terra germinantia, tam uarij ac suaues fructus, neque solum terræ superficies, sed eius uiscera etiam, pretiosa metalla, eaque uarij generis pariunt. atque hæc omnia facta sunt, ut ex ijs ostendatur, quàm accuratè Deus operam dederit, ut homo honestaretur.

Mat. 6. *Luc. 12.* *Psal. 38.*

GGGG

tur. alioqui non erat satis herbarum cibus & aquę potus, quo humanum corpus sustentaretur? hanc ergo rerum copiam, quam Deus ad totius generis hominum usum liberalissimè subministrauit, nos quoque eius imitatione liberaliter in proximi cuiusque obsequia impendamus, meminerimusque homines hominum causa creatos esse, ut, quod uni deest, alterius beneficentia suppeditetur. hoc si fecerimus, diuitię, quæ aliis singulari esse impedimento ad æternam salutem solent, nobis erunt aptissima ad eam comparandam instrumenta. iccirco admonemur in Euan-
Luc. 16. gelio, [*facite nobis amicos de Mammona iniquitatis, qui, cum defece-*
Luc. 12. *ritis, recipiant uos in æterna tabernacula.*] &, [*facite uobis sacculos non ueterascentes, thesauros non deficientes in cælo.*] eiusmodi enim homines, non diuites simpliciter, in quos scripturę sanctę inue-
Luc. 6. huntur, & quibus Dominus ait, [*uæ uobis diuitibus,*] sed Euangelici diuites sunt appellandi. eius generis erant magni illi patriarchę Abraham, Isaac, & Iacob, qui ditissimi erant, auro, argento, armentis, gregibus, & tam accepti tamen erant Deo, ut Deus ipse appellari eorum Deus non erubesceret. [*ego sum* (in-
Exo. 3. quit) *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.*] quo honore nullum maius excogitari potest. quantum enim est, tantam maiestatem priuatorum quorundam hominum tanti facere amicitiam, ut, qui omnium Deus est, eorum peculiariter Deus esse gloriari uideretur? ob hanc in proximos beneficentiam angeli & cœlestes illę mentes uersari cum hominibus non sunt dedignati.
Heb. 13. de qua re scribitur ad Hebręos. [*beneficentiæ nolite obliuisci, ob hanc enim quidam nescientes angelos hospitio receperunt.*] quàm uerò accuratè id præstarent uiri illi, obserua quid de Abraham scri-
Gen. 18. ptum sit. [*sedebat in ostio tabernaculi sui in feruore diei.*] nimirum attendens si quos uideret, quibus facere benignè posset. quod &
ibidem. pulchrè cecidit. nam apparuerunt tres angeli, quos ille homines arbitratus, impensè rogauit, ut ad se diuerterent. quo impetrato, non expectauit, dum uernaculi, quos supra trecentos habebat, instruerent conuiuium, sed primum præcepit uxori Saræ, ut festinaret, ac commisceret tria sata farinę, & faceret subcinericios panes, ipse uerò ad armentum cucurrit, & tulit inde uitulum tenerrimum & optimum, ut coqueretur, instrueretúrque conuiuium. Hæc nos imitari exempla studeamus. neque est quòd quis-

quam inopiam prętexat, fide tantum opus est, & tunc in summa etiam paupertate erimus liberales. meminerimus admirandi illius exempli mulieris Sareptanę, cui cum tantum farinæ superfuisset, quantum pugillus capere posset, ad Eliæ tamen uerbum subcinericium panem fecit prius ipsi Eliæ, quàm sibi ac filio. at (inquies) hoc fecit mulier, sperans futurum, quod propheta fuerat pollicitus, non defuturam scilicet hydriam farinæ, nec lecythum olei. non hoc nego, sed Christus maior Elia hoc idem pollicetur. nam pręter centuplum, cuius facta dudum mentio est, alibi ait. [*nolite soliciti esse dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.*] Cernis promitti, omnia necessaria esse suppeditanda, modo iustitia regni quęratur, ad quam iustitiam in primis pertinet in pauperes beneficentia & liberalitas? cum ergo ueritatem ipsam habeamus, quæ non solum promittat non defutura nobis necessaria, uerum etiam centies multiplicatam mercedem in hac ipsa uita, quis hanc conditionem non accipiat? quod si præterea cogites, addi etiam æternam uitam, & illa bona, quę [*nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt,*] quæ est insania, ad tantam felicitatem non tandem aliquando expergisci? quis non obolum lętus proijciat, si ex eo speret, ingentem pecuniæ summam se consecuturam? at omnes totius terræ opes instar oboli sunt, si cum æternis in cœlo bonis conferantur. semen sunt ea, quæ damus, & pro sementis quantitate futura messis speratur. [*qui parcè seminat,* ait Paulus, *parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*] illud etiam in hac largitione usu uenit, quod Dominus ait. [*nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*] nam dum pecuniam inopi das, dum à te recedit, uidetur quidem perire, sed maximum, quemadmodum audistis, fructum affert. at, dum illam retines, sola ipsa manet, neque fructum ullum parit. quare qui seruat, amittit, qui dat, non solum in ęternum possidet, sed aucto fœnore multiplicat. solis enim pauperum manibus seruantur opes, & custodiuntur. alioqui uarijs modis euolant. quarum inconstantiam contemplatus Salomon aiebat. [*ne erigas oculos*

3.Re.17
ibidem.
Mat.19.
Matt. 6.
Esa. 64
1.Co.2.
2.Co.18.
Ioa. 12.
Pro. 23.

tuos ad opes, quas tenere non potes, quia facient sibi pennas, ut aquilæ, & uolabunt in cœlum.] qui etiam docens, quo pacto quis egere nunquam possit, & quid sit, quod faciat pauperem, dixit.

Pro. 28. [*qui dat pauperi non indigebit. qui despicit deprecantem, penuriam sustinebit.*] Verum quod ad dandi liberalitatem pertinet, & iuuandos pauperes, in quos solos, aut certe in primis liberales esse debemus, hoc egregium opus non solum insatiabilis habendi cupiditas impedit, uerum etiam sine iudicio sumptus. reperiuntur enim multi, qui prędter id, quòd nullo affectu parandarum & augendarum opum tenentur, etiam profundunt eas, uel in accipiendis splendidè amicis, uel in immanibus ędificijs. at hoc, liberalitatis uirtus non est, sed uitium prodigalitatis. & ob hanc causam admonebat Dominus, vt, cum quis prandium faceret,

Luc. 14. aut cœnam, ne uocaret amicos suos, neque fratres suos, [*neque cognatos, neque uicinos diuites, ne forte* (inquit) *& ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. sed, cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non possunt retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.*] quid verò opus est insana illa ædificiorum structura? non uenit unquam in mentem, corpus hoc, cuius habitationi tam lata spatia pręparantur, exiguis sepulcri angustijs contentum fore, vbi longè maiore temporis spatio habitaturus es, quàm in amplis palatiis, quę tam ambitiosè construis? quid? quòd etiam, quo tempore in hac vita degis, mortuus es, non solum quia, vt externi quoque philosophi dixerunt, hęc vita mors est, sed multò magis ob id, quod ait Paulus, [*mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo,*] atque ob hoc volebat, vt superna quęreremus, & superna curaremus, non quę sunt super terram. quòd si hæc Christiani hominis ratio postulat, nullus profectò locus esse debet ijs erroribus, qui nunc orbem omnium terrarum occupauerunt, dum nil aliud, nisi huius uitæ scenam & somnium cogitant, neque, si non amore in Deum, quo uno ad omnia rectè facta inflammari deberemus, certè ultionis ęternæ metu permouentur, neque meminerunt, quod ait Salomon, [*non proderunt diuitiæ in die ultionis, iustitia autem liberabit à morte.*] Sed illud nos in primis ad omne pręstandum liberalitatis officium, exstimulare deberet, quòd ipse Dei filius, cum esset diues, nempe Domi-

Col. 3.
ibidem.
Pro. 11.
2.Co. 8.

pe Dominus omnium, ita propter nos pauper effici uoluit, vt, cum vulpes foueas habeant, & volucres cœli nidos, ipse non *Matt.8.* haberet, vbi caput reclinaret. & cur hoc? vt nos sua inopia dita- *2.Cor.8* ret. exemplum profectò, quod, siquid generosi pectoris in nobis reliquum esset, urgere nos deberet, & eam uim afferre, qua omnes in obsequium huius tanti Domini, ac Dei nostri opes profunderemus, ad prębendam aliquam grati animi significationem. Si ergo liberalitas res est, quę in primis generosum animum declaret, quę præcipuè Dei imitatorem faciat, quæ maximè eum delectet, quę beatum etiam in hac uita hominem faciat, quæ denique æterna nobis, quemadmodum Dominus pollici- *Mat.25.* tus est, se in iudicio declaraturum, bona conciliabit, hanc amplexemur, in hanc toto pectore incumbamus. hæc enim erit cœlestis illius uitę repręsentatio, quam utinam omnes assequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & potestas & imperium & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO LXII.

De virginitate.

CVM in superioris anni quadragesima eos dies, qui concionibus fuerant assignati, exigendis tyrannis, qui hanc urbem multos annos occupauerant, tribuerimus, iustum fuit, vt hoc anno eisdem ipsis diebus legitimos dominos, eis tyrannis aduersos introduceremus. quod quando iam in ijs, qui præcipui sunt, pro viribus præstitimus, hic, quem præ manibus habemus, dignus est, qui non minori cum pompa, quàm reliqui omnes, deducatur. quanquam agnosco impares vires meas. cum enim uirginitas, de qua hodie uerba facienda sunt, ea uirtus sit, quæ homines pares angelis faciat, & quędam sit angelicæ uitæ repręsentio, angelorum etiam lingua opus

opus esset ad eam commendandam. Qua in re uenit mihi primum in mentem admirari Christianæ philosophiæ maiestatem, quę ubi primum ex animo accepta est, in cœlestem Diuinamque repente naturam transfert. nam, cum apparere lux Euangelica cœpit, mox solitudines & deserta loca uirginitatis floribus exornari cœperunt. neque viri solum, sed fragilis etiam mulierum sexus connubia respuebant, & sacrarum scripturarum studijs dies impendebant & noctes, dicebantque, turpe esse, ea corpora, quę tam pulchris cogitationibus seruire deberent, ad illa opera demittere, quę cum brutis animantibus sunt communia. quantum uerò est, hominem, qui non minus corpore, quàm anima constet, in carne præter carnem uiuere, & cœlestium illarum mentium audere uitam imitari? hoc profectò humanam superat imbecillitatem, & ab Euangelicæ philosophiæ gratia accipit uires, quæ cum cœpit institui, videte vt in ipso principio angelorum uitę & cœlestis reipublicę imaginem præbuit. primum enim ipse Dei filius non contentus carnem suam illibatam uirginemque seruare, uoluit de virgine etiam nasci, vt ex his initijs agnosceretur, cuius esset generis respublica, quam institueret. quanquam alia etiam pręter hanc profundior ratio est, cur de virgine nasci eum oportuerit. cum enim Christus ultima sit, ac suprema humanæ naturæ perfectio, solúsque altissimus, cuius alterius patris esse filius debuit, quàm Dei? omnis enim pater generans, ob naturę imperfectionem distat à suprema illa eiusdem naturæ perfectione, ita vt non possit filio communicare perfectionem supremam, qua maior, altiorque esse nequeat, & quæ extra unum hominem possibilis non est, si ad unum summum est ueniendum. solus ergo ille pater hoc potest, qui est creator naturę. altissimus igitur non habet nisi hunc in pa-
Eph. 3. trem, [*à quo est omnis paternitas*.] uirtute igitur Diuina in utero uirginis altissimus concipitur, & in ipsa virgine concurrebat altissima fœcunditas cum uirginitate. unde Christus sic natus est nobis, ut sit omnibus hominibus coniunctissimus. nam eum habet patrem, à quo omnis hominis pater habet, quod pater est, & illam habet matrem, quæ nulli hominum per carnis copulam iuncta sit, ut hoc pacto quisque reperiat coniunctione propinquissima suam in Christo naturam in summa ultimaque perfe-

ctio

ctione. Ab ijs ergo initiis significatum fuit, Christianam rempublicam nihil esse aliud, quàm repræsentationem eorum, quę fiunt in cœlo. quare dictum Mosi fuit, cum harum rerum iacerentur fundamenta, & figuræ quædam præmitterentur eorum, quę postea subsecuta sunt. [*uide, ut facias omnia secundum exemplar, quod monstratum tibi fuit in monte.*] ob hanc etiam causam hæc philosophia regnum cœlorum frequentissimè à Seruatore Christo appellatur, quia eius uirtus & si in resurrectione multò perfectius elucescet, hic tamen etiam, quantum corruptibili in carne licet, repræsentatur, præsertim in hac, de qua loquimur, uirtute uirginitatis, quam esse angelorum uitæ imitationem, Dominus ipse ostendit, cum Sadducęis dixit. [*filij huius seculi ducunt uxores, & nuptum dant; illi uerò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dant; æquales enim angelis sunt, & filij Dei, cum sint filij resurrectionis.*] Et huius quidem virtutis vestigia quædam in veteri lege pręcesserunt, vt pro tempore à carnis lasciuia abstinerent, cum quid faciendum erat, quod ad Dei cultum pertineret. cum enim in solitudine Sinai in occursum Domini iturus erat populus, dixit Dominus Mosi, [*uade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque uestimenta sua, & sint parati in diem tertium. in die enim tertio descendet Dominus coram omni populo super montem Sinai.*] quo pręstito dictum præterea est illis. [*ne appropinquetis uxoribus uestris.*] nam ei, qui uersaturus cum Deo sit, omnibus, etiam quę alioqui licitæ sunt, carnis voluptatibus est abstinendum, tantaque exigitur puritas, ut & uestimentorum munditiꝭs requiratur. sic quo tempore in tabernaculo Domini ministrabant sacerdotes, & leuitę, ab uxoribus abstinebant. neque sacerdoti maximo licebat quamlibet in uxorem ducere, sed uirginem duntaxat. quin & sacerdotis filiæ, quę stuprum perpetrasset, grauior pœna intentabatur. sic enim in Leuitico scriptum est. [*sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & uiolauerit nomen patris sui, flammis exuretur.*] hæc inquam, quo tempore [*omnia contingebant illis in figura,*] prçludia quæ perfectius sub Euangelio facta sunt, sub quo infinita & uirorum, & mulierum millia, non certis diebus, ut in ueteri lege, sed toto uitæ tempore, ueluti exuti corpore, & solo spiritu constantes, in carnis cor-

Exo. 40. Luc. 20. Exo. 19. ibidem. Leu. 21. 1. Co. 10.

ruptione

ruptione angelorum uitam fuerunt imitati. Et sanè si contemple ris scopum, qui huic philosophiæ propositus est, hoc uitæ genus maximè est illi accommodum. dicit enim Dominus. [*si quis uult post me uenire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*] abnegatio autem sui ipsius est plena rerum præteritarum obliuio, & à propria uoluntate discessio, quod in communi consuetudine uiuentem assequi difficillimum est, ne dicam prorsus impossibile, quin & ad tollendam crucem suam, & sequendum Christum, impedimento est in eiusmodi vita, permixtio. nam pręparatio ad ferendam pro Christo mortem, & mortificatio membrorum, quæ sunt super terram, & instructos esse ad omne imminens pro nomine Christi periculum, & nihil affectos erga hanc uitam esse, hoc est tollere crucem suam, ad quæ magna nobis impedimenta ferre cernimus hanc communis uitę consuetudinem. ob hanc causam quicunque è nostris hanc ex animo philosophiam sunt amplexati, spreto coniugio, & vsu carnis, hoc uitæ institutum arripuerunt, ut se è communi uiuendi consuetudine remouerent. & sanè sine hac à carnis uoluptate abstinentia, quicquam egregii in Christiana philosophia fieri uix possibile est. [*si enim corpus corruptioni obnoxium* per se *aggrauat animam* (ut quodam loco scriptum est) *& deprimit terrena inhabitatio mentem,*] quid censemus addita lasciuię irritamenta esse factura? obruit enim hic affectus præ cęteris animum, mentemque obtundit, quod pulchrè Dominus in Euangelio ostendit in illa parabola, qua uarii generis homines ad cœnam fuerunt inuitati. qui enim uillam emerat, & qui iuga boum, & si recusauerunt, id tamen fecerunt ciuiliter, dixeruntque eorum uterque, [*rogo te habe me excusatum.*] at is, qui uxorem duxerat, quo nomine ij intelliguntur, qui lasciuiam carnis amant, nullum excusationis uerbum fecit. sed quid? [*uxorem duxi, & ideo non possum uenire.*] quæ res cum à prudentibus inter Christianos viris intelligeretur, factum est, vt qui paulò acutius intueri potuerunt, nuptias neglexerint, & se totos in huius admirandæ philosophiæ contemplationem dederint, & pretereà Christianam rempublicam scriptis, & sapientiæ & pietatis plenis honestauerint. in hoc genere fuerunt, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosij, alijque pene innu-

Luc.9. *Sap.9.* *Luc.14.* *ibidem.*

innumerabiles, qui si communem uiuendi consuetudinem fuissent secuti nunquam profectò tanta ac tam felici fœcunditate claruissent. nam corporis fœcunditas illi animi generationi impedimento est, qui animi partus multò est, quàm corporis iucundior. quid enim est felicius plurisue ęstimandum, quàm claudentem sensus, extra carnem & mundum positum, & in seipsum conuersum, nihilque humanarum rerum attingentem, præter id, quod omnino necessitas cogat, secum & cum Deo loquentem viuere supra ea, quæ aspectu sentiuntur, & Diuinas illustrationes semper puras in seipso ferre, quibus permixta non sint rerum inferiorum signa errantia, verè sine macula speculum Dei & Diuinarum rerum, quod & fit & semper fiat, dum lumine lumen accipit, & obscuriori id quod est perfectius, iam futuri seculi bonum spe percipiendo, cum angelis versari, adhuc in terra terram relinquentem, & à spiritu in supernis collocatum. hęc tantum abest, vt à multitudine intelligantur, & ijs, qui in quotidianis vitæ negocijs versantur, vt etiam eos magna pars rideat, & plerunque insanos arbitretur, qui cœleste hoc vitę genus sunt amplexati. Quòd verò eos oporteat, qui in Christianæ philosophiæ penetralia recipi velint, hanc, quam supra diximus, uitæ rationem sibi instituere, ab externis etiam philosophis exemplum capere licet. quorum quidam cum interrogaretur, cur uxorem non acciperet, respondit, se non posse simul & philosophiæ & vxori operam dare. quod tamen in externa philosophia fuit facilius, in qua cernimus non paucos, ne dicam ferè omnes acutissimè sua dogmata tractauisse, cum tamen multum in se terrenæ fecis haberent, vt potius philosophiæ prędones, quàm philosophi essent appellandi. cernere enim erat alios pecuniæ cupidos, alios glorię, ob quam uidebantur semper noua dogmata, & superiorum sententijs contraria suscitare. nonnullos libidinum seruos, ut cum eorum uita mirabiliter pugnaret oratio. at quicunque ex nostra philosophia veros percipere unquam fructus uoluerunt, quique digni apud omnes sunt habiti, qui inter Christianos philosophos numerarentur, eos oportuit summam animi puritatem assecutos ita uixisse, ut uitæ sanctitas eruditionis ac scientiæ opinioni ęquaretur, atque adeo superaret. nam puro impurum tangere, non solum nihil pro-

deesse deprehenditur, uerum etiam obesse plurimum, dum ij, qui se Diuinorum mysteriorum interpretes faciunt, minus purgatos affectus habent. atque inde fit, ut tenebras pro luce proferant, & pro sanis doctrinis pestilentissimas hęreses introducant. Videte verò ingentem huius nostræ philosophiæ efficaciam, quo pacto quicunque in eam semel pleno gradu sunt ingressi, de uirginali hac, & à carnis illecebris seiuncta uita incœperint cogitare. obseruate enim, quid acciderit Corinthijs. cum enim scripturus esset eis Paulus de virginibus, & ijs, qui castam uitam amplexari amabant, per ea, quę scribit, ostendit, se prius super hac re lite-
1. Co. 7. ras ab eis accepisse. sic enim ait. [*de quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere, sed propter fornicationes unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum uirum habeat.*] quibus uerbis satis apertè intelligi potest, Corinthios cernentes Christianam philosophiam nihil esse aliud, quàm cœlestem quandam rempublicam, & imitationem eorum, quę in cœlo fiunt, consuluisse apostolum, an omnino ab vxoribus esset abstinendum. hoc quantum est? homines, qui nuper à simulacrorum cultura recesserant, & hactenus fuerant sine ulla ueri Dei agnitione, repente tam spirituales euasisse, ut parati essent, in carne positi carnis usum ignorare, idque tota ciuitas, non priuati aliqui, & qui relictis artibus reliquis omnibus decreuissent se totos solis Diuinarum scripturarum studiis mancipare. ingentem profectò Euangelicæ prędicationis uirtutem, quid ergo apostolus?
ibidem. [*bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationes autem, unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum uirum habeat.*] ratio quidem (inquit) cœlestis huius ac Diuinæ philosophiæ postularet, ut sine uxoribus quique uitam agerent, ut maiori cum libertate eadem philosophia frui liceret, atque ego id optarem, sed metuenda est carnis imbecillitas. nam etsi spiritus promptus est, caro tamen est infirma, &, cum utroque constetis, utriusque ratio est habenda. cum autem consuluisset apostolus, ne ob incontinentię metum inuicem fraudarent, ne tentaret eos Satanas, ęgrè tamen ab eo diuellebatur, ad quod eos in-
ibidem. flammatos cernebat. quare coactus fuit addere. [*hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. uolo enim omnes homines esse sicut meipsum.*] quod dixi (inquit) non debere uos

mutuo

mutuo fraudare in re coniugali, hoc non dixi pręcipiens, ſed infirmitatis ueſtræ rationem habui, alioqui uelim ut omnes me imitemini, & incorrupti ab omni ſorde carnis uiuatis. Cum ergo cerneret, non expedire ob humanam infirmitatem, ut omnibus permitteretur, ſolutos à coniugio uiuere, aggreditur uerba de uirginibus facere. [*De uirginibus* (inquiens) *præceptum Domini non habeo*, (nam in ueteri lege hoc non pręcipitur) *conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.*] hoc eſt, conſilium do, ut qui gratus eſſe uolo miſericordiæ Domini erga me, qui me ad tantum bonum agnoſcendum illuſtrauerit, ut ſim prædicator fidelis, & dem recta conſilia. quid ergo? [*exiſtimo* (inquit) *hoc bonum eſſe, propter præſentem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.*] neceſsitatem appellat, non ſolum ingentes perſecutiones, quas facilius ferebant ij, qui uxores & liberos non habebant, quos circumferrent, quosque infinitis periculis exponerent, uerum etiam huius uitæ uarias, & neceſſariò comitaturas matrimonium curas. quas ex parte tangit paulò poſt, cum ait. [*ſi nupſerit uirgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt eiuſmodi. ego autem uobis parco,*] tanquam filijs uidelicet, quos uellem liberos eſſe, ac ſine triſtitia, ſolutosque his uinculis. at, [*qui uxorem habet, alligatus eſt ei,*] & rurſus. [*uolo uos ſine ſolicitudine eſſe. qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Domino. qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori. Diuiſa eſt mulier & uirgo. innupta cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uiro.*] Cernitis, quàm optaret Diuinus uir & uiros & mulieres caſtam & virgineam uitam degere? quod cum imperare non audeat, conſulit tamen, vt, qui hoc à Deo donum habuerunt, vt nondum coniugio ſint copulati, gratiam hanc agnoſcant, quò liberius uacare huic philoſophiæ poſsint. Qua in re illud cogitandum eſt, quàm illi indigni ſint Chriſtiani cognominis appellatione, atque adeo potius ipſo cognomine exſpoliandi, atque à Chriſtianis finibus relegandi, qui tantum abeſt, vt hanc caſtitatis, ac virginalis uitæ virtutem ament, vt, cum per Chriſti leges liceat Chriſtiano homini coniugio copulari, per quod illum naturæ impetum, ac furorem, atq;

ibidem. *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.*

HHHH 2 æſtum

æſtum ſedare poſsint, non contenti ſua vxore, ſcortationibus, adulterijs, incœſtibus, & fœdioribus interdum rebus ſe per totam uitam contaminant, & factis ipſis declarant, ſe ethnicis, & ijs, qui Deum non norant, longè eſſe deteriores. Accedit & alius error, nihilo ſuperiore laudabilior, in ijs, qui vitam à carnis illecebris ſeparatam profitentur, & in fœminis quidem contingit repleri cœnobia puellis, quarum bona interdum pars non eligunt ipſæ illud uitę inſtitutum, ſed, uel quia uitio aliquo corporis non facile inueniunt viros, uel quia parentes, vt doti grauiori parcant, perſuadent illis. perſuadent? immo uerò uim afferunt, & terrificis minis compellunt miſeras, vt non monaſterium, ſed perpetuum carcerem ingrediantur. O' crudeles parentes, aut potius minimè parentes, ſed peremptores & tyranni, qui ſuum ſanguinem, à ſe genitas, vt parcant ſumptibus, tractant tam crudeliter. de quibus illud Ieremiæ conqueri quiuis poteſt. *Thr. 4.* [*ſed & Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos. filia populi mei crudelis.*] ex hoc ſcelere ſequitur, vt eiuſmodi cœnobia ſępius malè audiant, cum fœminis plenę ſint, quæ omnia pręter virgineam & caſtam vitam malint. Et hęc quidem de mulieribus. in viris verò multò fit ſceleratius. cum enim vetus eccleſię mos ſit, vt quicunque ſacris altaribus & eccleſiaſticis officijs ſint in ſeruituri, niſi abſtineant à coniugio, in clerum non admittantur, res fit omnium fędiſsima, quæ fieri in eccleſia Chriſti unquam poſsint. cernunt eccleſiam ob maiorum in Chriſtum pietatem eſſe ditiſsimam, ac pręterea dignitatibus honeſtiſsimam. utrunque autem appetunt, & honores & opes, quę cum ſciant, habere ſe minimè poſſe, niſi caſtitatem profiteantur, profitentur illam quidem, non ſeruandæ illius animo, ſed vt voti ſui fiant compotes, quod ita eſſe, facta ipſa declarant. vbi enim, quod volunt, ſunt aſſecuti, ita in omnia facinora ſe ingurgitant, vt omnia referant potius, quàm non dico eccleſiaſticum, aut Chriſtianum hominem, ſed hominem tantum, ac ratione pręditum animal. O' perditum ſeculum, ac Ieremiæ threnis deflendum. *ibidem.* [*quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.*] quid enim hac ętate magis diſperſum eſt, ac diſsipatum, quàm clerus? quis color tam obſcurus, ac niger, quàm eius facies? qui tamen iccirco inſtitutus fuerat,

tutus fuerat, vt splendorem toti ecclesiæ afferret. quis sine maximo audientium stomacho, ac nausea, cleri huius ætatis vitam, ac mores commemoret? qui status hominum, quæ conditio deterius affecta est, quàm hic ordo? atque hæc omnia mala à corrupta radice profecta sunt, quia, cum de clero cogitauerunt, non Deum, sed ecclesiasticas facultates & honores proposuerunt ante conspectum suum. Oporteret ergo alia uia ingredi, & longè ab hac diuersa, si clerus recipere suam speciem uelit. & primò cauendum, ne, qui in clerum ascribi volunt, alliciantur spe ecclesiasticorum fructuum, ac dignitatum. neque adhuc pueri, vt nunc fit, prius quàm sciant, quodnam sit cleri officium, clero inserantur ob collata aliqua beneficia, sed probandi sunt spiritus, quemadmodum admonemur, num ex Deo sint, & sinendum, vt ab eorum proposito, ac voluntate proficiscatur hic appetitus. deinde cum hoc intellexerimus, iam tum ab ipsa pueritia instillemus eorum animis reuerentiam, quæ ecclesiasticis gradibus habenda est, quanta sit sacerdotij maiestas, quàm perfectum esse oporteat eum, qui cœlestia illa mysteria sit tractaturus, qui curam suscepturus earum animarum, pro quibus Christus mortuus est. ad hunc scopum tota illorum vita formanda, vt scilicet Deo se quàm coniunctissimos faciant, nihil interea cogitantes de ecclesiasticis facultatibus, aut honoribus, Deo enim ista fore curæ pollicita est, quæ mentiri nullo modo potest. [*quærite* (inquit) *primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.*] additamenta ista sunt, quæ nobis aliud cogitantibus sponte occurrent, ob hanc causam Deus istam sibi solicitudinem reseruauit, parandorum nobis ad uitam necessariorum, ut grauioribus rebus, nobisque dignis sine ullo impedimento operam demus. imbibant in tenera adhuc ætate probos mores, optimis studiis assuescant præsertim scripturæ sacræ lectioni, ut de illis dici illud possit quod Paulus ad Timotheum scribens ait. [*ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.*] quę sacrarum scripturarum lectio quàm sit uiris pręsertim ecclesiasticis necessaria, vide quid alibi eidem Timotheo dicatur. [*attende* (inquit) *lectioni.*] tantus uir, qui tam ingenteis iam in Christiana philosophia progressus fecerat, qui tantis spiritus sancti charismatibus ditatus

1. Ioa. 4.

Mat. 6.

2. Tim. 3

1. Tim. 4

cus fuerat, iubetur tamen, ut assiduè lectioni incumbat. quid nobis est faciendum, qui tanto interuallo ab ea illius uiri perfectione distamus? quanto studio die noctuque sacrarum literarum lectioni esset incumbendum, ne indigna unquam ecclesiastico gradu agere contingat? utendum prȩterea est selectione in mutua hominum consuetudine, neque passim sine iudicio, ut nunc fieri cernimus, cum quibus uis uersandum est. hinc enim uitia plurima contrahuntur, quȩ plerunque per totam uitam per

1.Co.15. durant. [*mores bonos colloquia corrumpunt mala.*] regendi prȩ-

Esa. 33. terea sensus, [*qui obturat aures suas* (ait Esaias) *ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne uideat malum, iste in excelsis habitabit.*] in cibo autem & potu summa utendum est parsimonia, cum ob carnis impetus frenandos, tum ut animus peruigil sua semper officia queat exercere, neque enim temere Dominus di-

Luc. 21. xit. [*cauete nequando grauentur corda uestra crapula & ebrieta-*

Leu. 10. *te.*] nimio uino parcendum est, si enim in ueteri lege, ubi omnia erant umbrȩ ac figurȩ, prȩcipiebatur tamen ministraturis in templo, ne uinum, & quicquid ebrietatem parere posset, biberent, quid ijs faciendum est, qui cœlestibus hisce mysteriis sunt inseruituri? at hæc nusquam fiunt. cernas enim nullam rectæ institutionis curam haberi, nullum in quotidiana cum hominibus consuetudine delectum. uagantur per urbem clerici non solum interdiu sed noctu etiam. comessationibus & ebrietatibus quotidie operam dant. à studio autem sacrarum scripturarum tam sunt alieni, ut eas per totam uitam non solum non legerint, sed ne viderint quidem. iactis hisce tam perditis fundamentis, quid exstrui sani potest? quid miramur, si maxima pars intemperantiæ ac lasciuiȩ mancipia sunt, & non solum uirginitatem & castam uitam non amant, uerum etiam derident & cauillantur? Hæc uellem, ut tandem aliquando à parentibus, & ijs, qui uel filios uel nepotes in clerum ascribi curant, cogitarentur, & ij animaduerterent, quantam ecclesiæ Christi irrogent iniuriam, quantum damni ferant illȩ animæ, pro quibus Christus mortuus est, dum traduntur ijs curandis, qui ipsi maiore egerent curatione. & horum malorum crimen non in solos clericos refertur, sed in eos etiam, qui horum malorum mini-

Matt. 9. stri ac duces fuerunt. Reliquum illud est, ut, cum [*messis multa*

sit,

sit, *operarij autem pauci, rogemus Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*] & eos operarios, qui pristinum splendorem ecclesię Christi restituant, ut eos uirginitatis flores, qui nascente eadem ecclesia oriri cœperunt, rursus in sua & specie & cōpia intueri ualeamus. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cū cum patre & spiritu sancto est gloria & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO LXIII.
De resurrectione Domini Iesu.

ANNVNTIO uobis gaudium maximum, Iesus Nazarenus crucifixus surrexit à mortuis. si enim cum natus est, atque in tanta humilitate apparuit, ut in stabulo nasci, atque in præsepi reponi uoluerit, angelus tamen dixit pastoribus, [*annuntio uobis gau-* Luc. 2.
dium magnum,] nonne meritò hoc gaudium maximum appellabimus, cum in immortalem uitam resurrexit, vt dicere de eo liceat, Christus postea
quàm resurrexit à mortuis, [*iam non moritur, mors illi ultra non do* Ro.6.
minabitur?] maximi profectò gaudij nuntium, quod si etiam ad solum caput nostrum honestandum pertineret, consentaneum esset, vt membra suo capiti gratularentur. uerum, quando horum bonorum totum prǽterea corpus fit particeps, plena prorsus gaudendi præbetur occasio. nam eiusdem gloriæ promittitur nobis participatio. [*Seruatorem* (inquit) *expectamus Dominum* Phili. 3.
nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori claritatis suæ.] sed oportuit Christum
ueluti primitias antecedere. iccirco dicebat Paulus. [*primitiæ* 1.Co.15.
Christus, deinde qui sunt Christi in aduentu ipsius.] qui ordo quàm fuerit rationi consentaneus, breuiter sic colligite. Christus qui fieri uoluit homo per omnia similis nostri præter peccatum, hoc est, passioni ac morti obnoxius, non aliter ad gloriam patris potuit

tuit peruenire, quæ est ipsa immortalitas, nisi mortale immortalitatem indueret, quod fieri nequaquam potuit citra mortem. quo enim alio pacto mortale induere posset immortalitatem, nisi spoliaretur mortalitate? quomodo ab illa absolueretur, nisi solu
Luc. 24. to debito mortis? ob hanc causam ipsa veritas stultos & tardos corde appellauit eos discipulos, qui non intelligerent, oportuisse
ibidem. Christum mori, [*atque ita intrare in gloriam suam.*] hac autem via humanam naturam ad immortalitatis templum perduxit, quod
Ioa. 12. ipse in ea grani similitudine declarauit, cum dixit. [*nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*] nam Christus si semper mortalis permansisset, etiam si nunquam mortuus fuisset, quomodo naturæ humanæ immortalitatem præstitisset mortalis homo? quòd si ipse mortuus non fuisset, solus permansisset mortalis sine morte. oportebat ergo ipsum ab illa moriendi possibilitate per mortem liberari, vt multum fructum afferre posset, vt sic exaltatus omnia ad se traheret, quando eius potestas non tantum esset in terra hac corruptibili, sed & in cœlo incorruptibili. reuertamur ergo ad granum frumenti, ubi numerus grani corrumpitur, incolumi perdurante specifica essentia, qua media, natura multa grana resuscitat. quòd si ipsum granum esset maximum, ac perfectissimum, id in terra optima, ac fœcundissima moriens, non tantum centesimum, aut millesimum fructum afferre posset, sed quantum natura speciei sua potentia amplecteretur. sic nimirum humana Iesu natura eo ipso, quòd ad hominem Christum contractè consideratur, eodem ipso etiam Diuinitati unita intelligitur, ut sit una persona Deus & homo perfectissimus ac potentissimus, qui uim suam in omnem humanam naturam propagare possit, & eam beata immortalitate do-
1. Co. 15. nare rectè itaque Paulus Christum primitias mortuorum, & primogenitum ex mortuis appellauit. nemo enim ante ipsum resurgere potuit, quando humana natura nondum in tempore ad maximum perueniens, incorruptibilitati & immortalitati, uti in Christo, unita fuit. omnes enim inualidi erant, donec ueniret il-
Ioa. 16. le, qui ait. [*potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*] induit igitur in Christo humana natura immortalitatem, qui est primitiæ dormientium. quare sic

colligi

colligi potest, Christus homo resurrexit, ergo omnes homines aliquando resurgent per ipsum. quę ueritas tam euidens est, ut Paulus ad Ephesios scribens dicere ausus fuerit, nos iam resuscitatos cum Christo, & cum illo sedere in cœlestibus. sed reuertamur ad nostra gaudia. Christus resurrexit à mortuis. ingens ac felix nuntium, atque antea mundo ac mundi sapientibus ita ignotum, vt ridiculam rem opinarentur opinionem de resurrectione mortuorum. quod manifestè fuit declaratum, cum Athenis Paulus in medio Areopagi verba faceret, cui permissum fuit perpetua vti oratione, quamuis multa dixisset, quæ apud illos prima erant, & de quibus magna erat apud eos addubitatio. nam vbi dixit, Deum fecisse mundum, de cuius vel æternitate vel creatione tanta est apud philosophos disceptatio, ne verbum illi quidem. de hominum origine tantundem. de prouidentia & cura, qua de nobis cogitat Deus, aut cur tot seculis errare passus sit genus hominum, in his perpetuum ab audientibus pręstitum est silentium. at verò vbi adiectum est, cùm excitauerit illum ex mortuis, quid? [*cum audissent* (inquit) *resurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij uerò dixerunt, audiemus te de hoc iterum.*] perinde quasi maius hoc opus esset, quàm totius mundi fabricatio, perinde sunt admirati; ita abstrusa erat tunc veritas, & tenebris circumuoluta densissimis, quæ nunc obuia omnibus est, & toti omnium terrarum orbi apertissima. Christus resurrexit à mortuis. cernis fructum crucis, quàm sit ingens? is, qui nudius tertius teterrimo & crudelissimo mortis genere affectus fuerat, probris & contumelijs omnibus expetitus, in medio latronum, veluti latronum princeps positus; nunc in tam ingentem celsitudinem euectus est, vt data sit ei omnis potestas in cœlo & in terra, & [*in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus in gloriam Dei patris.*] siquem crucis recordatio terret, intueatur finem crucis, & omnem abiecerit metum. [*momentanea leuitas huius afflictionis* (ait Paulus) *supra modum in immensum, æternum gloriæ pondus operatur nobis, considerantibus nobis non ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur. quæ enim uidentur temporaria sunt, quæ autem non uidentur, æterna.*] [*scimus enim, quòd, si terrestris domus huius tabernaculi dissoluatur, ædificationem habemus ex Deo,*

Eph.2. — *Act.17.* — *ibidem.* — *Phili.2.* — 2. Co.4. — 2.Cor.5.

domum non manu factam æternam in cœlis.] & vide, quanto ſit melior conditio eorum, qui crucem amplexantur, quàm qui ab ea abhorrent, & ſola huius vitę quęrunt commoda. ſectantium crucem momentaneus eſt labor, cui æterna ſuccedit merces, qui verò terrena duntaxat appetunt, per totam vitam defatigantur, & ſola ſpe fruendi aliquando paratis bonis paſcuntur, neque fruuntur vnquam, demumque non ſolum æternis, ſed hiſce etiam pręſentibus bonis reperiuntur deſtituti. ſed eſto, alicui contingat frui paratis, quod tamen eſt rarum, nam veriſsimum eſt vulgi prouerbium, eos ſcilicet minimè frui opibus, qui parauerunt. ſed concedatur tamen hoc, quid tandem ac quantum eſt, quo ſibi

Eſa. 40. homines placent? [*omnis caro fœnum* (inquit Eſaias) *& omnis gloria eius tanquam flos agri, fœnum aruit, & cecidit flos.*] & in hac decidui floris gloria per totam vitam inſaniunt homines, neque vnquam intelligunt miſeri, quàm ridendum, atque adeo quàm deflendum potius ludum ludant. Nos ergo deſinamus eſſe pueri ſenſibus, & pretioſum à vili ſeparemus, amemusque crucem, à qua tam admiranda bona proficiſcuntur. Sed operæpretium fuerit, Euangelicam de hac Domini reſurrectione percurrere hiſtoriam. erunt enim non pauca, quæ & delectent, & ędificent eccleſiam. Narrant Euangeliſtæ in primis ſanctarum mulierum ſtudium, ob quod etiam dignę fuerunt, quibus primum hoc Dominicæ reſurrectionis nuntium ſignificaretur. nam, cum ſepeliretur Dominus, ſubſecutę mulieres (ait Lucas) quæ cum eo venerant de Galilæa, uiderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius, & reuerſæ parauerunt aromata, & unguenta, & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundum man

Luc. 24. datum. [una autem ſabbatorum,] hoc eſt, primo hebdomadæ die. nam duo hic ſunt Hebraiſmi, vt vnus pro primo accipiatur, & ſabbatum pro hebdomada. [una ergo ſabbatorum, ualde diluculo uenerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aromata.] intuemini, vos præſertim mulieres egregium pietatis exemplum in ſanctis hiſce fœminis, & agnoſcite, quanto vos interuallo ab earum affectu diſtetis. illæ eum, & cum in hac mortali uita degeret, ſequebantur, & ſuis alebant facultatibus, & mortuum quoque, cum nihil iam ſuperabat, quod ab eo expectarent, tantę pietatis obſequiis proſequuntur, neque exhorreſcunt triduanum mor-

tuum

tuum studiosè adire, ut illum ungant, neque differunt aromatum emptionem in illum diem, quo erant uncturæ, sed multò ante præueniunt, quò sint paratiores. uos uerò nunc, cum in cœlo regnat, & sedet ad dexteram patris, & cœli ac terræ imperium possidet, atque ab eo expectatis æterni regni hæreditatem, nullum erga eum charitatis indicium præbetis, quin odio illum prosequi potius uidemini, dum in uestro indecoro ornatu, ac infinito illo mundo muliebri occupatæ, non solum efficitis, ut fratres Christi, in quibus ipse se ali profitetur, fame & frigore conficiantur, uerum etiam fucis illis & genarum picturis, rete expanditis ad capiendas illas animas, pro quibus ipse suam posuit, & audetis tam perditè uiuentes, cognomen à Christo acceptum circumferre, & Christianæ appellari, & arbitrari, uos ex eorum numero esse, qui in magno illo iudicii die à dextris collocabuntur, cum tamen facta uestra cum illis coniuncta sint, qui in ignem æternum sunt relegandi. nam rectè vobis obijcietur, [*esuriui, et non dedistis mihi cibum, sitiui, et non dedistis mihi potum,*] cæteraque beneficentię opera. nam quascunque habere pecunias potestis, eas omnes ornando corpori, ac pulueri impenditis, vt nunquam locus sit, Christi fratribus subueniendi. at sanctę illę & Euangelicæ mulieres contraria omnia faciebant, atque vos facitis. nam facultates suas in Domini obsequium impendebant, neque contentæ uiuum coluisse, etiam in mortuum amorem seruabant. quibus quid acciderit, audiamus. cum enim solicitæ irent, vt vngerent Dominum, [ecce terræmotus factus est magnus,] cuius terręmotus mox causam addit, [angelus enim Domin (inquit) descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem ab ostio, & sedebat super eum.] & sanè opportunè. nam mulieres, quæ hoc nesciebant, inter eundum dicebant inter sese. [quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat enim magnus ualde.] eius autem lapidis reuolutio, non ei rei inseruiuit, quam ipsæ parauerant, sed vt prospicerent, & fides illis fieret, eum iam resurrexisse. descensus uerò angeli ita factus fuit, vt prodesse etiam hostibus posset, si uoluissent. iccirco erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius candidum sicut nix. sonitus ergo terręmotus fuit, vt excitaret milites, & aspectus perterrefaceret. nam ex solo aspectu non ita intellexissent. quare & sic euenit. nam sequitur, [præ timore au-

Mat. 25. *Mat.* 28. *Mar.* 16. *Mat.* 28. *Mat.* 28.

tem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui.] vide verò, vt malè affecta mens impedimento sit, ad amplexandam veritatem. nam cum abijssent mulieres, [quidam ex ijs custodibus uenerunt in ciuitatem, & annunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.] at illi, qui ad tanti miraculi narrationem terreri debuissent, & errorem suum agnoscere, ac resipiscere, nihil minus cogitant, sed quid? [congregati (inquit) cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes. dicite, discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. &, si hoc auditum fuerit à præside, nos persuadebimus ei, & securos uos faciemus. at illi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti.] fugite inuidiam charissimi, quam hic cernitis tam ingenteis tenebras offundere animis hominum. principes sacerdotum ob recens odium in Christum, quem dudum in crucem egerant, non solum non permouentur miraculo, verum etiam scelus sceleri addunt, neque saltem suæ famę parcunt, sed corrumpere custodes pecunia, eaque copiosa non uerentur. tam cęci pręterea sunt, vt sperent dormientium testimonium uim habiturum ad faciendam fidem. [dicite (inquiunt) discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.] si dormiebant, quomodo scire poterant, vel eum furto ablatum, vel discipulos eius fuisse furatos? neque verò minus cauendum est pecuniæ studium, quod & ipsum à veritate animos auocat. nam milites accepta illa pecuniæ summa, perniciosis pontificum consilijs acquieuerunt. sed reuertamur ad historiam. [Respondens autem angelus.] quod ait respondisse angelum, cum non dicat Euangelista quenquam illi locutum, cui oporteret respondere, Hebrea locutio est, vt respondere pro alloqui dicatur. quod tamen sine ratione non est. nam, etsi non respondet earum verbis, quę nulla angelo dixerant, respondet tamen earum timori, qui angelo pro illarum sermone fuit. vide enim quid dicat.] respondens angelus, dixit mulieribus. nolite timere uos.] timeant (inquit) hi milites, & hostes nominis Christi. vos uerò, quæ amico erga illum estis animo, ne timeatis. quare? [scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis. non est hic. surrexit enim, sicut dixit. uenite, uidete locum, ubi positus erat Dominus.] Primum vide, vt angeli primi sint, qui incipiant non erubescere nomen crucis. [Iesum, (inquit) qui crucifixus est, quæritis.] sic Marcus, [Iesum quæritis Nazarenum

Marginalia: *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *ibidem.* *Mar. 16*

num crucifixum. [deinde quod ait, [surrexit, sicut dixit,] admonet Mat. 28.
verborum ipsius Domini, quæ terror & rerum nouitas eas fecerat obliuisci. ostendit autem eis & sepulcrum, vnde surrexerat, vt, cum eis apparuerit, sint veritatis factę capaciores. nam res erat omnino mundo ignota eiusmodi resurrectio, & nisi huius generis vestigia pręcessissent, non esset illis facile persuasum. His dictis admonuit eas, vt citò euntes dicerent discipulis eius, quòd surrexit à mortuis. alius Euangelista addit, angelum iussisse, vt hoc dicerent discipulis eius & Petro, qui cum plus cæteris Mar. 16.
affligeretur ob negatum Dominum, uoluit Dominus illi fiduciam addere, quem sciebat, tametsi voce Dominum suum negarat, ardentissimo tamen amore illum semper fuisse prosecutum. Mat. 26.
quę res exemplo esse nobis debet. primum vt, quem ex animo suorum scelerum pœniteat, is de certa Domini misericordia nunquam desperet, deinde plurimum referre, quo quis animo peccet. Petrus enim nunquam offendendi Christi animum habuit, quamuis territus dixerit, se non nosse eum. ob hanc causam tam benignè rursus in gratiam receptus est. qui verò scientes, ac volentes Deum offendunt, & [*prodit quasi ex adipe iniquitas eorum*,] deinde nulla vera cordis pœnitentia tanguntur, Psal. 72.
sed faciunt sacerdoti exhomologesim, non intimis affectibus, sed ex consuetudine, quod facta consequentia declarant, dum nullo negocio ad eadem peccata, & deteriora etiam relabantur, ij nescio quo pacto fiduciam salutis sibi audeant polliceri, cum nunquam uerè ad Deum conuertantur. hęc iccirco admonui, quòd maximam partem uestrum cerno ab hoc errore detineri, neque tam ingens periculum aduertere. Verum, vt, quod reliquum est historiæ prosequamur, cum sanctæ mulieres irent, vt nuntiarent discipulis, [ecce Iesus occurrit illis dicens, auete. illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.] Cernis quanti Mat. 28.
sit, toto affectu quęrere Dominum? tantam Dominicę resurrectionis gloriam mulieres primę intuentur propterea, quòd studiosius Dominum quærebant. [tenuerunt (inquit) pedes eius.] *ibidem.*
sed cur hic passus est se tangi ab his mulieribus, alibi uerò legimus, Dominum dixisse Marię Magdalenę, [*noli me tangere?*] *Ioa. 20.*
quod hic factum est, ex humanitate permisit, atque etiam, vt tactu intelligerent veram eius resurrectionem. quemadmodum & discipulis

Luc. 24. & discipulis dixit. [*palpate, & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere.*] quòd autem alibi prohibuit se tangi, alia causa fuit, vt scilicet altius eueheret animum Marię, quæ, cum antea soleret ad pedes Domini iacere, admonenda fuit, alio posthac modo vtendum esse, si frui eo vellet. quare, Ioa. 20. cum dixisset, [*noli me tangere*, adiecit, *nondum enim ascendi ad patrem meum*,] non quòd post ascensum ad patrem, eo modo, quo prius, esset tactura, sed eo, qui cœlestem deceret rempublicam, atque id non ante futurum erat, quàm ipse ad patrem ascendisset, vnde spiritum sanctum esset in credentium corda emissurus, qui eos integram Christi agnitionem doceret. hoc enim est verè tangere. Postquam ergo hic tenuerunt pedes eius, Mat. 28. & adorauerunt eum, tunc ait illis Iesus, [nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me uidebunt.] obserua Domini humanitatem. primum cernens eas non nihil ob rei nouitatem perterritas, curat hunc metum tollere, deinde missurus eas ad apostolos, non eos appellat discipulos, sed fratres. benignissimi animi indicium ingens, is, qui eos antea apostolos Mat. 28. & discipulos appellauerat, nunc, cum ei data fuit [*omnis potestas in cœlo & in terra,*] demittit sese, & fratres eos appellat. O' nostram non ferendam arrogantiam, ò nos tantæ philosophiæ ingratos. cernimus filium Dei, eum, [*per quem omnia facta sunt,*] ubi donatum illi fuit [*nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum,*] tunc discipulos suos fratres appellare. nos uerò si paulò altius cæteris euehamur, eos, quibuscum familiariter antea uersabamur, dedignamur agnoscere. incipiamus tandem aliquando intelligere nostrę philosophię maiestatem, & in tam admiranda exempla defigere oculos, eaque imitari. alioqui melius esset, nunquam agnouisse tantam ueritatem, quàm agnitam ita perditè contemnere, & illi tam vehementer ingratos esse. Verum, quando breuiter Dominicę resurrectionis historiam percurrimus, illud postremo admonendi estis, ut memineritis, quid in hisce paschalibus gaudijs factum à uobis sit. conati enim estis cum Christo resurgere, cuius resurrectionis indicium erit, si præstetis, quod admonet Col. 3. Paulus. [*si consurrexistis (inquit) cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, superna curate, non quæ su-*

per

per terram.] si enim post purificatos animos rursus ad terrena studia reuertamini, mox eos terrę sordibus inficietis. quod quàm sit absurdum, uel ex uestrarum uestium usu hoc perdiscite. si cuius enim pretiosæ uesti macula aliqua illita fuerit, mox eam auferre studet, neque hoc contentus, accuratius posthac cauet, ne iterum sordidetur. si hoc in ueste passim à uobis fit, quanto studiosius hoc & in purganda, &, ubi purgata est, conseruanda anima esset faciendum, dicendumque cum sponsa. [*laui pedes meos, quomodo iterum inquinabo eos?*] hoc si nemo à uobis requireret, nónne sola dignitatis uestrę contemplatio id pręstare deberet, ut id conseruaretur, quod unum hominem à reliquis animantibus distare facit, hoc est, mens & ratio, quæ toties amittitur, quoties quis labitur in peccatum? cum uerò præterea id ipsum, atque adeo id unum Christus à nobis nostræ duntaxat vtilitatis gratia postulet, quę est hæc stoliditas, atque vecordia, nolle ei, cui omnia debemus, in ea re gratificari, quę tota ad nostram tantum ipsorum vtilitatem pertinet? quod qui non faciunt, uidete quàm sint ingrati. solent homines accuratè perquirere, quæ sint ea, quibus sui principes delectentur, & eis operam dant, atque in eis exercentur, suo plerunque magno cum dispendio, hanc vnam ob causam, ut suis principibus gratificentur. nos uerò, qui eum habemus principem, qui [*rex regum est, & dominus dominantium.*] scimusque, quibus delectetur, & quę à nobis habere amet, eaque nobis duntaxat profutura, non sibi, bonorum enim nostrorum non eget. addit præterea ingentia præmia, uitam uidelicet beatissimam, eamque sempiternam, & tam stupidi, tam ingrati, tam saluti nostræ erimus inimici, ut & illius beneficentię, & nostræ tantę utilitatis contemplatione non permoueamur ad ea pręstanda, quæ à nobis postulat? ne quæso, ne posthac tantis in tenebris versemur, ne ue perpetua nocte obruamur. quin ad tantam oblatam lucem potius attollamus oculos, & illum morem relinquite, qui uidetur iandudum in animis hominum inueterasse, ut scilicet paucos dies post purificatam conscientiam eisdem sceleribus inuoluantur, quos uel illud unum terrere deberet, quod Dominus admonet in Euangelio, de eo uidelicet, à quo immundus spiritus exierat, ad quem si reuertatur, [*assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi ha-*

Marginal references: *Can. 5.* — *Apo. 19.* — *Ps. 15.* — *Luc. 11.*

habitant ibi , & fiunt nouissima illius hominis peiora prioribus.] quod sanè usu euenire quotidie cernimus. nam qui sola consuetudine ad Christi mysteria participanda accedunt, quotannis fiunt deteriores, tantum abest, ut ex ea re innouentur, & euadant purgatiores. quare si fructum ex his mysteriis capere uultis, ita uos superioris malè actæ uitæ pœniteat, ut factis ipsis declaretis, eam uobis displicuisse. hoc autem fiet, si ueteri prorsus relicta, nouam uobis uitam instituatis. hoc enim unum est ac solum indicium ueræ pœnitentię, & quæ ex animo uerè in Christum affecto proficiscatur. quod si præstare uultis, nunc his ipsis diebus incipiendum est, quibus animæ incolumitas, quam estis modo adepti, adhuc integra est, quam si de more amitti siueritis, nihil melioris spei reliquum erit. nunc ergo adhibenda custodia, & cauendæ eę occasiones, quibus olim experti estis, uos in peccata fuisse delapsos. regendi sunt sensus, ne suo arbitrio uagentur. nam ij sunt eæ fenestræ, per quas mors ingreditur, quemadmodum à propheta didicimus. prohibendi sunt à spectaculis oculi, aures ab audiendis uanis, ociosis, turpibus. lingua à quouis sermone, qui non sit ad proximi cuiusque ędificationem. meminerimus terrificæ Seruatoris Christi sententiæ, qua dicit, [*de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.*] quę uerba si attentius cogitarentur, quis non cum propheta poneret custodiam ori suo, & ostium circunstantiæ labiis suis? quod periculum intelligens idem propheta dicebat, se interdum abstinuisse etiam à bonis sermonis, siquando incidebant tempora, quibus cerneret eos esse minimè profuturos. nos uerò nullo habito delectu, quicquid in buccam uenit, effutimus. neque unquam cogitamus, quid ijs futurum sit, qui obscœnis, lasciuis, detractoriis sermonibus os suum identidem fœdant, si in illo terrifico iudicii die uerba, quę duntaxat ociosa sunt, ac sine fructu, quamuis aliud uitiosum secum non habeant, erunt iudicanda. Inter cætera uerò remedia, quæ ad conseruandam animi innocentiam iuuare plurimum possunt, præcipuum est auditus uerbi Dei, & sacrarum scripturarum pertractatio. nam rectè dixit propheta. [*declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*] & rursus. [*lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis.*]

Ier. 9. *Mat. 12.* *Psal. 38.* *ibidem.* *Ps. 118.*

meis.] ob hanc causam uolebat Paulus, ut uerbum Dei frequens esset in ore fidelium, & omnes in hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus occuparentur. hæc enim una uia est, qua terrenos affectus superemus, & aliquantò à terra sublimius attollamur. neque mihi nunc quisquam obijciat quotidianas solicitudines, quibus necesse sit, illum ab hoc studio auocari. prætextus isti sunt [*ad excusandas*, ut ait propheta, *excusationes in peccatis.* non meministis, quid Dominus sit pollicitus ijs, qui in primis quærerent regnum Dei, & iustitiam eius, fore scilicet, ut omnia uitæ necessaria illis adiiciantur? ipsa ueritas hoc pollicita est, & dubitatis adhuc, nequid uobis desit, & uestris cogitationibus ac studijs magis fiditis, quàm tam certis, tam benigni Domini, tamque liberalis pollicitationibus? hęc omnia non ex temporum angustijs, sed ex nulla fide uestra proficiscuntur. reuocate enim ad memoriam ea tempora, quibus Christianis hominibus uiuere non licebat, & tamen ad eos dicebat Paulus. [*nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.*] hæc ab ijs præstabantur, qui in quotidianis erant mortibus, & nos eadem in tanto ocio ac tranquillitate pręstare non posse excusabimus? Quare abiiciamus hos prætextus, Christiano homine indignos, & toto pectore in cœlestem hanc philosophiam incumbamus, quæ una est, per quam & hic tranquilliores simus, & paratam in cœlo immortalem ac beatam uitam consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & potestas & imperium in secula seculorum. Amen.

Col. 3.
Ps. 140.
Matt. 6.
Phili. 4.

ORATIO LXIIII.

Habita post reditum è villa.

CVM hoc interuallo, quo in uilla sum commoratus, unde montanam regionem, quantum per tertianam febrem licuit, quæ me in medio cursu retardauit, inuisimus, de uobis, quos semper mecum circunfero, interdum cogitarem, uenit mihi in mentem hæc etiam cogitatio, num anniuersaria hęc duorum aut trium mensium extra urbem commoratio, ac verbi Dei intermißio fortè vobis prodesset. & rationes quidem in promptu erant, quę arguerent, uicißitudinem hanc non esse inutilem, neque iniucundam. tanta est enim varietatis vis, vt quidam inter externos dixerit, nihil iucundum esse, nisi quod reficit varietas. & ob hanc causam Deum ipsum optimum maximum hanc mundi fabricam admiranda uarietate distinxisse. & primum, quamuis lucida omnia in cœlo sint, voluit tamen in ipsa luce esse diuersitatem, vt alia esset claritas solis,
1.Co.15. alia lunæ, alia stellarum, & ipsarum etiam stellarum splendor
ibidem. non esset idem, sed [*Stella*, quemadmodum ait Paulus, *differet à stella in claritate*.] quod & in resurrectione mortuorum futurum addit. uoluit idem Deus & anni tempora eadem varietate constare. hinc enim hiems, ver, ęstas, autumnus, quæ per vices nunc frigus, nunc ęstum, nunc mediam inter utrunq; temperiem afferunt, & corpora atque animos recreant multò magis quàm si vnus semper esset vel caloris vel frigoris tenor. ex quo nascitur etiam alia varietatis occasio, ut nunc terra proferat germina, & vestiat agros, & prata, & arbores, & modo flores, mox & fructus proferat, nunc omni ornatu destituta omnia, exspoliata videantur. multò enim iucundius est post hiemis horridam faciem, rursus quandam quasi nouæ resurrectionis speciem apparere, cum ea, quæ omnino mortua uidebantur iterum reuiuiscunt,

quàm si perpetua viriditas existeret. quæ si, ut æquum esset, cogitarentur, non exiguam, non solum utilitatem, verum etiam iucunditatem afferrent. in ipsis præterea germinibus, herbis, uirgultis, arboribus, floribus, fructibus, item in animalibus, tantam naturæ auctor inseruit varietatem, quantam homines satis intelligere nunquam possunt. multa enim pręclara ingenia sese in illis scribendo exercuerunt, neque tamen assequi omnia vnquam licuit. in eundem modum & eandem ob causam nox & dies sibi inuicem succedunt. quod & propheta obseruauit, cum dixit. [*dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam.*] *Psal.* 18. hoc enim multò iucundius est, quàm si perpetuus sine ulla intermissione dies perseueraret. hæc autem noctis ac diei inter se successio illam somni ac uigiliæ opportunam uarietatem introduxit, quæ quàm sit hominum generi grata, uos ipsi id quotidie experimini. Idem ipsum in humanis actionibus cernere licet, in uictu, in cultu, in mutua consuetudine ut semper uarietatem homines quęrant, ac diuersę sibi mutuò res succedant, &, cum risu ac ioco nihil uideatur iucundius, ea tamen recusent continuare. &, qui in delicijs degere alioqui semper solent, mutare eas interdum rusticis cibis ament, quòd rectè quidam poëta attigit, cum dixit.

Plerunque gratæ diuitibus uices,
Mundæque paruo sub lare pauperum
Cœnæ, sine auleis & ostro
Solicitam explicuere frontem.

sic post diuturnas pluuias, solis aspectus iucundior est, & post morbum sanitas. Hæc cum ita sint, uidendum est, num & hac in re iudicium idem faciendum sit, expedire scilicet, ut interdum pastoris uestri officium uacet. hoc enim pacto fieri, ut episcopi reditum populus alactiori animo excipiat, & tanquam diuturnam famem passi, auidius ad spiritualia alimenta accurrent. & hęc quidem prima specie arridere uidentur, quibus & ego interdum priusquàm rei ueritatem acutius intuerer, penè assensi. uerum, si propius accedamus, & rem examinemus attentius, profectò reperiemus, nullam sine populi detrimento fieri posse huius operis intermissionem. si enim uerbum Dei cibus est interioris hominis, quemadmodum sine cibo corporeo corpus uix

uno aut altero die consistit, sic sine spirituali alimento animus. atque in hac re cessat uicissitudinis delectatio. nam, etsi aliquot horarum in corporeo alimento spatium intercedat necesse est, non tamen ob uicissitudinis oblectamentum hæc fit intermissio. nam in ludo, exempli gratia, fit cessatio, non quòd quis adhuc ludere non possit, sed quòd illa continuatio fastidium parit. at in cibo non est ita, sed quòd natura non fert, vt continuis obruatur epulis, alioqui suffocaretur. quod ita esse, maxima hominum pars argumento est, qui non expectata ciborum in naturę officina concoctione, ad epulas reuertuntur, ex quo arguunt, se frequentius etiam, atque adeo continuè id facturos, si per stomachi capacitatem liceret. si ergo in corporibus uicissitudo hęc non facile passim grata est, multò certè minus in animis, quibus hæc ingenita à Deo optimo maximo virtus est (quo nomine plurimum sanè eidem Deo debemus, vt ea pars, in qua verus est homo, semper capiendis cibis apta sit, atque ijs queat delectari) vt nunquam vescendo, hoc est, meditando & contemplando defatigentur. quòd siquando lassari vires animi nobis videntur sua exercitatione, non est hæc animi imbecillitas, sed corporis instrumentorum, quę animo inseruiunt. hoc enim videtur esse, quod
Sap. 9. ait quidam sapiens, [*corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio mentem.*] hic itaque cibus quotidie necessarius est. sicut enim hesternum alimentum corpori non est satis, nisi & hodiernum adhibeatur, sic instillandum quotidie aliquid animo est, quò perpetuo alimento foueatur. & sanè posset quidem bona hominum pars id per se facere, si tantum obseruarentur ea, quæ sancta Christi ecclesia quotidie in templo legenda à sacerdotibus proponit. sed, cum nemo ferè mentem adhibeat Euangelicis & apostolicis dictis, quæ, cum res Diuina sit, legi solent, iccirco necesse est, vt pastor ipse, die saltem Dominico ea proponat, quibus per totam hebdomadam grex Christi, eadem ruminando, ali possit. Nam, quod dicunt, ex longiori concionandi interuallo fieri, vt auidius ad uerbum Dei audiendum accurratur, res potius contraria accidit, ut scilicet quò diutius quis ab audiendo Dei verbo abstinet, eò se ineptiorem ad illud reddat. quod intelligere exemplo facile quiuis vestrum potest. cernitis enim ubi quis diutius tenebris assueuerit, hunc

luci minus esse idoneum, quàm eum, qui semper in luce versetur. at verbum Dei lumen est, [*mandatum* (inquit) *lucerna est, & lex lux.*] & psaltes, [*lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis.*] ab hoc ergo lumine quò se quis longiori spatio alienum facit, eò minus aptus est illi percipiendo. quid enim aliud in causa est, cur tam multi è tam populosa urbe ita raro, atque adeo magna pars nunquam ad hanc veritatis lucem accedant, nisi quòd assueti tenebris, lumen auersantur? ad quod si quis trahere eos conetur, pertinacius penè resistunt, quàm si ad tormenta, grauesque cruciatus raperentur. & quoniam maior ij ciuitatis pars sunt, inde fit, vt multi labores mei sine fructu intereant. nam pręter hos, qui asidui accedunt, & quos trecentos meos soleo appellare, ad Gedeonis historiam alludens, reliqua multitudo, quę nunquam ferè uerba veritatis audit, aut, si audit, tam rarò id facit, vt exiguus ille auditus pro nihilo habeatur, & cum in tenebris semper uersetur, operibus etiam tenebrarum occupetur necesse est. ex horum numero sunt, qui lusibus tempus & pecuniam consumunt, qui blasphemijs incessunt Deum, & cęlestes omnes, qui scortationibus & adulterijs sordidantur, qui insidiantur sanguini, & circumuenire semper proximum quenque student, qui lites, & odia, & inimicitias in ciuitate nutriunt, qui in senatu nihil consulunt, nisi quod ad priuatum eorum commodum spectet. qui in eodem senatu salutaribus pastoris sui consilijs semper aduersari conspirarunt. hi inquam omnes, si obseruetis, ex eorum numero sunt, qui verbum Dei & pastoris sui vocem audire contemnunt, qui tantum à vobis reliquis differunt, quanta est inter Christianum virum, atque ethnicum differentia, ne dicam, quantum homines à pecudibus distant. sermo, cogitationes, consuetudo, victus, cultus, motus, incessus, nihil aliud redolent, quàm terram & carnem. at, quicunque ex vobis gustarunt semel huius verbi Dei suauitatem, in ipsa quotidiana consuetudine, etiam dum aliud agunt, agnoscuntur, ita omnia in eis sunt composita, quod experiri in ijs, qui me ob aliquas causas adeunt, mihi plerunque est iucundissimum. & sanè fieri non potest, vt, qui seriò Diuina verba audiant, nouam sibi non instituant vitam. quis enim audiens à Paulo dici, [*cum timore & tremore uestram ipsorum*

Pro. 6.
Ps. 118.
Iud. 7.
Phil. 2.

Eph.5. *rum operantes salutem*,] & [*redimentes tempus, quia dies mali sunt*,] lusibus & iocis tempus conterat? quis sæpius commemo-
Gal.4. rari audiens, Deum misisse vnigenitum suum in terram ob salutem generis nostri, audeat tantum benefactorem blasphemijs,
1.Co.6. ac maledictis impetere? quis audiens dicentem Paulum, corpora nostra esse membra Christi, & sancti spiritus templum, ferat
Matt.5. suum corpus impudicis factis sordidare? quis audiens ipsum Dei filium polliceri ijs, qui paci studerent, fore, vt vocentur filij Dei, non omne studium adhibeat, vt non solum non hortetur & animet ad lites, verum etiam vt discordes inter se reconciliet? quis sciens summam Christianæ philosophiæ esse charitatem, odia & simultates in quempiam exerceat? quis intimis sensibus perci-
Mat.19. piens, promitti ab ipso Deo, ac Dei filio centies multiplicatam mercedem in hac ipsa uita dandam ijs, qui chari aliquid ob Christum impenderent, non euadat in dandis eleemosynis profusissimus? quis denique edoctus ab Euangelio, aliam superesse vitam immortalem, atque æternam, cui hæc si comparetur, scenæ duarum horarum sit quàm simillima, non continuò omnem erga hoc vitę somnium affectum exuat, & ad illam, quę sola vera est, toto animo, atque omni mente aspiret? Hæc itaque tanta prędicandæ veritatis necessitas facit, vt eius intermissio nunquam vtilis ciuitati esse posit, atque ob hanc causam curaui ante discessum meum ad villam, & inuisendam regionem montanam, vt is, qui vices meas alijs in rebus gerit, in hac etiam re idem præstaret. quod & pulchrè Dei benignitate cessit. nam significatum mihi fuit, vos frequentius ad sacram illam psalmorum lectionem accessisse, quę res dolorem illum non parum leuat, quo interdum afficior, cum video clerum, cuius gratia primum ea lectio instituta fuerat, à tam salutifera re tam uehementer esse alienum. volo autem eandem psalmorum lectionem, etiam cum in vrbe sum, publicè fieri, ad quam non minore cum studio velim accedatis, quàm quo tempore episcopi concio uobis deest, neque hanc Diuini verbi copiam negligatis. Hic verò mos, vt absente episcopo, is, qui proximè ad eum accedebat, in concionibus ad populum episcopi officio fungeretur, olim in ecclesia erat, quo tempore episcopi pastorum officium exercebant, & non solum nomen circunferebant, ac titulum,

tulum, ſed reuera inſpectores & ſpeculatores erant, & præſtare ſatagebant, quod Ezechiel fuit admonitus, cum de ſpeculatoribus ſermo ad eum factus fuit. ex hoc autem bono, quod ſcilicet presbyter qui, quoties aliquo caſu epiſcopus intereſſe non poterat, ipſe verba faciebat ad populum, aliud nihilo minus ſalutiferum ſequebatur. cum enim epiſcopus per mortem naturæ concedebat, is presbyter, cuius iam & vita probata erat, & tractandi verbi Dei exercitatio cognita, ſufficiebatur in demortui epiſcopi locum, atque ita fiebat, vt continuis legitimisque ſucceſsionibus nunquam paſtores populis deeſſent, dum ante epiſcopi mortem, iam aderat paratus & inſtructus, qui tantę dignitati ſuccedere honeſtè poſſet. tunc ille Chriſtianorum cœtus eccleſia Chriſti meritò poterat appellari. tunc ij, qui Chriſto nomen dederant, ſancti appellabantur, quemadmodum in apoſtolis Pauli cernere licet. nunc verò domus Dei ſpelunca latronum facta eſt, & nullum hominum genus tam malè audit, quàm ij, qui ſe Chriſtianos profitentur. atque hæc mala ob eam pręcipuè cauſam introducta ſunt, quòd deſtituti ſuis epiſcopis populi, ſunt [*tanquam oues non habentes paſtorem*,] ac luporum dilacerationi paſsim expoſitæ ſunt. quòd ſi in hoc Tridentino concilio Deus ſui ſpiritus copiam non immmittit, vt res tam perditæ inſtaurentur, exhorreſco dicere, quid nobis ſit expectandum. quare moneo uos, vt aſsiduis precationibus Diuinam miſericordiam imploretis, ut rebus ita prolapſis, qua eſt benignitate, ſuccurrere non dedignetur. Audiſtis, quàm ſit neceſſe epiſcopum ſuo gregi ſemper eſſe pręſentem. ſed eſt, quod interea, ſumma quidem mea cum moleſtia, ſed ueſtrę utilitatis gratia de vobis ciues mei conquerar. cum enim tanta uobis ſuppeditetur ſpiritualis alimenti copia, quantam nulla, opinor, ex Italię ciuitatibus habet, tam parum tamen uideo profici, ut me pœniteat, ac pudeat etiam, quantum hic operis fiat. quid.n. egregii, ac tantis meis laboribus dignum unquam his annis factum eſt, ut ex factis ueſtris colligere homines posſint, uos à paſtore ſtro continuo uerbi Dei alimento fuiſſe nutritos? &, ne omnia nunc commemorem, aut ſuperiorum annorum negligentiam vobis obijciam, vnum duntaxat ac recens enarrabo, ex quo reliqua egregia facta veſtra colligere uos ipſi poteritis, iam ſupra

Eze. 33.
Mat. 21.
Mar. 21.
Luc. 19.
Mat. 9.

quinque

quinque menses sunt, cum in die Dominicæ resurrectionis petij à senatu vestro, vt exiguam quandam pecuniæ summam in arcam pauperum poni iuberet, quam præsepe appellare consueuistis. & senatus quidem probè assensit, cui etiam hoc nomine gratias ago. at ii, quibus hæc cura fuerat demandata, nondum pręstitere, quod senatusconsulto tot iam menses decretum fuerat. non pudet tam supinos habere animos? non saltem humanus vos pudor permouet? dicetis exhaustum esse ærarium. at hęc non est ea summa, ut ęrarii tenuitatem in excusationem afferre liceat. nam, si hoc temporis interuallo, quadragies tot extraordinaria aliqua, vt assolet, incidissent, toties eadem summa reperta fuisset. sed illud in causa est, quòd ego sæpe vobis dixi, semper uidelicet, & à senatu, & à priuatis ciuibus reperiri pecunias, nisi cum Christo dandę sunt. mox enim, ubi Christi fit mentio, exhaustum ærarium est, ciues omnes pauperes sunt, egestas omnes, etiam eos, qui sunt ditissimi, opprimit. atque hæc non ego somnio, sed experior quotidie. O' stupiditatem, omnia à Christo habemus, &, cum ei quicquam dandum est, nunquam uenit nobis in mentem siquid illi damus, non nostra illi nos dare, sed sua reddere, quæ tamen, qua est benignitate, accepta nobis referre uult, & tamen neque nostro debito, neque illius beneficentia permouemur. Hic torpor, atque hæc tanta uestra in rectè facta inertia ex eo proficiscitur, quòd uera in Christum fide estis destituti. quod adeo sic cognoscite, cur enim indefessis laboribus per totam uitam exerceri non recusatis, nisi quòd per eos in eadem uita uos perduraturos aliquot annos arbitramini? & hęc uos fides nunquam sinit frangi animo, neque perpetuorum laborum contemplatione defatigari. ecce enim uix collecta messis est, cum de semente est cogitandum, & iidem anniuersarii labores repetendi, qui toto anno perdurant. atq; interdum frustratur homines sua spes ob annorum sterilitatem, sed sperant semper secutura meliora tempora, neque, tametsi aliquot anni tenues exigantur, unquam tamen iacere semen recusant. atque hęc omnia perferunt propterea, quòd huic uitæ vehementer sunt affecti, quæ tamen tot mala secum habet, ut mirum sit, posse quenquam illi affici. at uerò, cum Christiana philosophia, quam profitentur, polliceatur, fore, ut, qui hoc exiguo uitę momento

mento labo rauerint, & tanquam femina iecerint, metant copio sè, ac fumma cum iucunditate. [*qui feminant (inquit) in lacrymis, in exultatione metent.*] & Paulus, [*metemus non deficientes.*] cum certiffimum habeamus, terram illam uiuentium red dituram non centies multiplicatum fructum, fed fine carentem bonorum copiam, & [*quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis afcenderunt.*] cum denique repetitis laboribus poft hac opus non fit, ut hic quotannis eft neceffarium, & non exiguo annorum fpatio, quemadmodum in hac uita vfu venit, fed in ęternum fimus illis bonis fruituri, cum inquam tot partibus ea, quæ in futura vita expectamus, iis caducis ac fragilibus antecellant, quotus tamen quifque eft, qui ea alacritate in cœlo femi net, qua in terra femen iacit? qui eo ftudio in illa incumbat, quo in his quotidie anxiè occupatur? ah quid dixi, eo ftudio, quis duo decimam diei partem impertitur rebus tanti ponderis cogitandis, contemplandæ illi æternitati, quę huic umbræ fomnio eft fucceffu ra? & tamen contrarium effet faciendum, &, fi non tota, certè ma xima temporis pars rebus hifce feriis effet impendenda. quòd fi forte quis exiftimat, me magna nimis à uobis poftulare, audiat quid fidelibus dicat apoftolus. [*nihil foliciti fitis, fed in omni oratio ne, et obfecratione, petitiones ueftræ innotefcant apud* Deum.] hoc multò plus eft, quàm quod ego à vobis poftulo: uult. n. ut omnem prorfus omnium rerum humanarum curam abiiciant ii, qui nomen Chrifto dederunt. at, quo pacto (inquies) hoc fieri poteft in hac uita degentibus? ne hoc forte aliquibus mirum videatur, alibi docet, Chriftianum hominem ad hanc uitam minimè pertinere, cum enim hortaretur, uti fuperna tantum quærerent, [*ubi Chriftus eft, ad dexteram Dei fedens, fuperna* curarent, *non quæ fuper terram*] funt, caufam mox reddit, cur ifta ab eis exigeret, additque. [*mortui enim eftis, & uita ueftra abfcondita eft cum Chrifto in Deo.*] Cernis qualem rempublicam à fidelibus requirat apoftolus? à qua uide, ut ex diametro illi aduerfemur. nam iubemur, ut depofita omni rerum humanarum folicitudine, fola cœleftia curemus, nos uerò fine ullo rerum cœleftium fenfu, à terrenis cogitationibus diuelli non poffumus. omnia fci mus, periti in alijs omnibus fumus, præterquam in ea philofophia, quam unam profefsi fumus, & quæ fola hoc titulo dignan

[Margin: *Pf. 125.* — *Gal. 6.* — *Efa. 64.* — *1. Cor. 2.* — *Phil. 4.* — *Col. 3.* — *ibidem.*]

da est. interroga enim non solum idiotas & illiteratos homines, sed eos etiam, qui & ingenio præstant, & in profanis literis sunt eruditissimi, uix unum è mille inuenias, qui huius philosophiæ, cuius cognomen circunferre non uerentur, rationem sciat reddere, quid eius Diuina mysteria calleat, qui in eius cœlestes thesauros ingressus unquam sit, & omnes tamen nos Christianos audemus appellare, qui à Christi doctrina plus distamus, quàm cœlum à terra distat. O' ingratum genus. ipse Dei filius Deus hanc ueritatis lucem è cœlo attulit, nostri duntaxat gratia.
Luc. 1. [*uisitauit nos oriens ex alto,*] ut illucesceret ijs, qui in tenebris & vmbra mortis consedebant, vt dirigerentur pedes nostri in viam pacis, & homines, quibus tam inexpectata bona allata sunt, ea auersantur, & nihil minus quàm illa curant. digni profectò, qui in ea tempora relegentur, in quibus sublata veri Dei agnitione, Veneres & Cupidines, & Phalli, & Ithyphalli pro Dijs colebantur. Hæc autem omnia ex eo proficisci, quòd nulla nunc fides est, facile intelligetis, si cogitationem referatis ad ea tempora, quibus uiua erat hęc fides, atque in Christianorum pectoribus vigescebat. tunc enim non solum facultatum direptionem æquo animo ferebant, sed ipsa etiam corpora exquisitissimis tormentis obijciebant, tuendæ huius veritatis gratia, quam toto pectore hauserant, atque intimis in sensibus collocauerant, atque ob eam causam neque facultates neque uitam præ ea curabant.
Act. 2. certè inter tot millia, qui prædicante Petro in Christum crediderant, maximam partem fuisse putandum est, qui vxores & libe-
Act. 4. ros habebant, & tamen vendebant & agros & domos, & pretia earum rerum ad pedes apostolorum proijciebant, vt quæ indignæ essent, quę manibus eorum exciperentur. Hanc veram uiuamque fidem, demus operam, ut assequamur, & tunc demum, aut potiųs tunc solum facta Christiano homine digna præstabimus, & ab hac inertia & socordia recedemus. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & imperium in secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO LXV.

Habita in feria quarta cinerum.

CVM subit animum recordatio, quàm sint ingentes Christiani regni diuitię, quas ecclesia Dei, quam rectè Paulus appellat columnam & firmamentum ueritatis, tanquam studiosa mater filijs suis per totum annum proponit, quibus ad omnia rectè facta inuitari, atque adeo inflammari possimus, iudico nos omnium hominum fortunatissimos, qui vnquam à condito orbe extiterunt. rursus verò, cum nostri æui inertiam atque socordiam intueor, & ingratitudinem contemplor, ob quam tanta bona Christiani homines auersantur, optare libet, ac dicere cum propheta. [*quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam, longius abibo fugiens, & manebo in solitudine.*] præstaret enim in solitudine aliqua degentem, mea & populi mihi crediti mœrentem peccata deflere, quàm continuis clamoribus frustra disrumpi, atque ad carentes auribus animos verba facere. Videte enim, quàm uerum sit, quod de ipsa ecclesia propheta tot ante seculis fuit uaticinatus. [*astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circundata uarietate.*] quàm pulchra enim uarietate decorem suum toto anno profert, dum varijs temporibus proponit fidelibus ea, in quibus queant deliciari? ecce enim in primis à Deo edocta iubet, ut septimo quoque die, relictis huius vitæ occupationibus ac studijs, homo uacet Deo, ac Diuinis cogitationibus operam det. qui dies iccirco Dominicus appellatur, quòd Domini Dei nostri dedicatus sit cultui. in eo ex ueterum conciliorum instituto, conueniebant in templum fideles, & quicunque ciuium defuisset, castigabatur. quin in Carthaginensi concilio quarto decretum fuit, ut, sacerdote uerba faciente in ecclesia, qui egressus de auditorio fuisset, excommunicaretur. verbum enim Dei alimentum interioris ho-

1.Tim.3.

Psal.54.

Psal.44.

minis eſt, quod cum Dominico ſaltem die de ore paſtoris ſui populus accepiſſet, habebat quo per totum diem & ipſe nutriretur, & familiam ſuam, vxorem ac liberos eodem verbo paſceret. neque hoc contenta eccleſia, aliquot præterea certis anni temporibus ſolennes dies inſtituit, quibus collata in noſtrum genus beneficia recordarentur. vt paſcha reſurrectionis Domini, aſcenſionem eiuſdem, penteccoſten, diem natiuitatis Domini, Epiphaniam, qui dies tanquam maiore nota inſigniti animos permouerent ad cœleſtem hanc philoſophiam amplexandam. adiecit memoriam apoſtolorum, martyrum, aliorumque & virorum & mulierum, quorum magnifica & admiranda facta quotannis ante oculos poſita, nobis ad maxima quęque pro Chriſto & aggredienda & perferenda acriores ſtimulos adhiberent. hunc tantum, tam egregium rerum apparatum, tam inſtructum ordinem Chriſtiani nunc homines non obſeruant, neque intelligunt, ſed illis ipſis diebus, qui quęrendæ æternæ ſaluti inſtituti tam accuratè fuerunt, diſſolutius viuunt, quàm toto reliquo anni tempore. tunc enim lautiori victu indulgent genio, pretioſiori veſtium
Ro. 14. cultu ornantur, perinde quaſi regnum Dei ſit eſca & potus, & ciborum veſtimentorumque deliciæ. tunc iocis ac ludis liberius incumbunt, tripudia & ſpectacula exercent, nundinas ac mercatus ſolenniores in vrbibus & oppidis inſtituunt. breuiter omnia faciunt pręter ea, ad quæ dies illi fuerunt facti. Hęc autem à me nunc ſunt commemorata ob hodiernum diem, qui quadrageſimali ieiunio initium prębet. quod tam ſalutariter in ipſis penè naſcentis eccleſię temporibus fuit inſtitutum, vt quicunque reliquo anno terminos rectè ac Chriſtianæ vitæ tranſiliſſet, per hoſce dies ieiunijs, & corporis caſtigatione, & continuis precationibus, reliquiſque pœnitentiæ fructibus iratum ſuis ſceleribus & iniquè factis Deum ſibi reconciliaret. fuit olim, cum ſeueriore cenſura hominum vitia atque peccata caſtigabantur, erantque peccatores ad agendam ex animo pœnitentiam paratiores. fuit inquam mos ſaluberrimus, vt ij, qui publico aliquo ſcelere ſe contaminauiſſent, ac fidelium eccleſiam prauo exemplo offendiſſent, hoc ipſo die in templum venirent, & epiſcopi ac paſtoris ſui cenſuræ & caſtigationi ſponte ſubijcerentur. ferebant æquo animo ſe
Gen. 3. è templo eijci in morem Adæ primi parentis noſtri, qui & ipſe ob

se ob peccatum pulsus è paradiso fuit, eiecti è templo, toto quadragesimæ tempore varijs afflictionibus sese macerabant, donec feria quinta maioris hebdomadæ idem episcopus, visa eorum pœnitentia & contrito animo, in aliorum fidelium cœtum illos restitueret. nunc multò grauiora peccantur, quàm tunc fieret. notissimi sunt, qui publicè Deum & Christum eius horrendis blasphemijs incessunt, qui vsuras exercent, qui se adulterijs sordidarunt, qui pellices habent, & tantum abest, vt publicam agere pœnitentiam quisquam velit, vt ne priuata quidem sui pastoris monita audire patiantur. sublatus ergo passim ob animos pœnitere nescios publicæ pœnitentiæ mos est, quę verò nunc reliquæ supersunt ceremoniæ, nullum illis contemplandis studium adhibetur. ecce enim quàm pulchra veterum patrum fuit institutio, vt hac die à sacerdote, Christianorum capita cinere aspergerentur, admonerenturque, vt meminissent, se puluerem esse, atque in puluerem reuersuros. hanc ceremoniam qui attentius obseruarent, mox vitiosos omnes affectus abijcerent, atque in omnia rectè facta se darent. quo id pacto? superbia est, quę omnem inuertit rerum ordinem, dum quisque vult alteri antecellere, & ob hanc causam pecuniam, facultates, vestium splendorem quærit. qui si cogitaret, se puluerem esse, atque in puluerem reuersurum, continuò puderet eum suę stultitiæ, atque vecordiæ, intelligeretque, quàm esset turpe, puluerem insolescere, & velle alijs esse superiorem, & quàm ridenda res esset, velle puluerem splendidis uestibus honestari. mulieres, quę nunc nihil aliud somniant, quàm vt hunc puluerem tum fuco, tum pretiosis vestibus ornent, erubescerent, quicquam eorum facere, quæ nunc faciunt. sic enim mecum cogitate. si qua mulier acceptum è terra puluerem formaret in mulierem, & eo ornando laborem illum insumeret, & eos sumptus faceret, quos in se ornanda facere solet, omnes eam insanam factam arbitrarentur, & parentes, ac consanguinei, & vir eius, si virum haberet, prohiberent tam damnosam stultitiam, neque paterentur in re tam ridenda tantum pecuniæ summam impendi. idem ipsum fieret, si ecclesiæ verba obseruarentur, quibus ait. [memento homo, quòd puluis es, & in puluerem reuerteris.] intelligerent enim suam insaniam, neque pati possent, vt vel fuco vterentur, vel in pretiosas

ibidem.

ibidem.

tiosas vestes pecunias insumerent, vt hunc puluerem honestarent. quo errore correcto, mox multa superessent, quæ in pauperes possent erogari, quę nunc summo cum Christiani nominis dedecore, in huius pulueris obsequium perdunt. huius item pulueris cogitatio efficeret, vt nunquam in proximum quenque insolescere homines auderent. quòd siquis contumelia afficeretur, aut etiam pugnis & alapis impeteretur, diceret intra se, puluis sum. & cernimus puluerem pedibus calcari. nondum ego ita deiectus à quoquam fui, vt eius pedibus subijcerer & calcarer. si canis, aut aliud aliquod animal ob ignominiam appellaretur, ad memoriam pulueris conquiesceret, cum canis sensu præditum animal sit, atque ad multos vsus accommodum, puluere autem vilius nihil, neque inutilius reperiatur. huius eiusdem pulueris contemplatione non paterentur homines tot se laboribus defatigari ob parandas opes, ad magna ædificia construenda, ad agrum agro copulandum. quid enim magis ridiculum cogitari potest, quàm totam uitam in laboribus ærumnisque continuis insumere solius pulueris gratia? nunc verò, quia sese aliquid esse putant homines, neque unquam ad huius pulueris considerationem descendunt, contraria omnia fiunt. totam uitam in huius pulueris obsequium impendunt, omnes labores, omnes sumptus, omnes cogitationes huic honestando pulueri insumuntur, aut potius disperduntur. & tamen velis nolis, puluis es ò homo, & in puluerem iam iam reuerteris. huius pulueris obliuio omnia mala in hanc urbem inuexit, præsertim dissidia, ęmulationes, contentiones, uulnera, cædes ob exiguum interdum uerbulum. dixit (inquit) me mentitum, & ob hanc causam uenitur ad arma, atque ad immortales inimicitias. quid magni est, si dicatur, hominem quempiam mentiri,
Ps. 115. cum scriptura dicat, [*omnis homo mendax*?] obijcitur tibi, quod toti generi hominum commune est, & indignaris? cernitis quantum mali afferat ignorantia, & erroris opinio, & nunquam uelle ad scripturę sacrę & Euangelicę ueritatis lucem accedere? Hoc ipsum, id est, ignoratio huius pulueris efficit, ut nunquam ueros, ac dignos pœnitentię fructus homines faciant. at ubi uera pœnitentia non est, quo pacto sperare audent homines remissionem peccatorum? quæ autem vera pœnitentia sit, non intelligitur

gitur ob eandem causam, quòd scilicet non ea curant obseruare, quę sancta ecclesia per scripturas sacras admonet esse facienda. videte enim, quid hodie dicat, verba Ioëlis prophetæ citans. Flagellandus erat ob peccata populus, Deus verò ob uiscera suę misericordiæ ęgrè flagella immittit, ac propterea docet, quibus artibus ea fugiantur. nempe per veram pœnitentiam,& ait. [Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.] inuitans ad pœnitentiam Deus, vult, vt in toto corde nostro ad eum conuertamur. quid verò est conuerti in toto corde ad Deum? omnes exuere terrenos affectus, qui auocare à Deo homines solent. quicunque habendi cupiditate, quę omnium malorum radix à Paulo appellatur, hactenus detentus est, oportet illam plenè abijciat. sic qui ad honores & dignitates aspirabat, hunc posthac appetitum deponat. mulieres, quæ, vt hominibus placerent, hactenus & fuco, & vestium, aliorumque ornamentarum pompis vsę sunt, iam illa eo animo deponant, vt nunquam ad easdem vanitates reuertantur. eadem est aliorum uitiosorum affectuum ratio. videamus ergo, quis uestrum hæc pręstet, ac toto corde suo reuertatur ad Deum. cum enim omnes singulis annis post peccatorum exhomologesim sacerdoti factam, quam solam pœnitentiam agnoscunt, ad eosdem terrenos affectus reuertantur, liquet manifestissimè, neminem toto corde ad Deum reuersum fuisse. quod cum non fit, non est ea pœnitentia, quam requirit Deus. quæ si non est, vos colligite, quid de uestra salute sit à vobis expectandum. Cum uerò externa facta veram cordis conuersionem ad Deum declarent, adiecit. [in ieiunio, & fletu, & planctu.] ieiunium adhibendum est. nam sicut ex nimio ciborum luxu lasciuit, atque hebetatur animus, vt ineptus sit ad opera spiritus perangenda, sic per eorundem ciborum abstinentiam frenatur illa corporis lasciuia, vt tanquam domitus equus sessori obediat, & acuitur animus ad priores errores agnoscendos. ad maiorem quoque contriti cordis significationem, iubet adiungi fletum & planctum, qui quantus esse debeat, admonemur per Ieremiam prophetam, qui inuitans Ierusalem ad pœnitentiam ait. [*filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere. luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*] hoc autem fieri iubebat ob calamitatem perdendæ Ierusalem, quam

Ioe. 2.

1.Tim.6.

Ier. 6.

quam illis Deus fuerat per eundem prophetam interminatus. quòd si ob temporarium damnum euitandum iubentur ciues uestiri cilicio, & aspergi cinere, & luctum facere, quantus excogitari maximus possit, uidelicet cum luget mater filium, quem unicum habebat, quantò maior harum rerum præparatio facienda esset, ubi sempiterni interitus est metus? at hæc cum non solum non fiant, sed ne in cogitationem quidem cuiquam ueniant, intelligere facile licet, quàm periculoso in statu res nostræ uersentur. [Et scindite corda uestra, & non uestimenta uestra.] mos erat Iudæorum, ut, cum aliquid grauioris molestiæ audirent, scinderent uestimenta. hic ergo dicit, se non curare de uestimentorum scissione, sed potius ut scindatur cor, quod tum scinditur, cum duritiem illam, quam ex peccatorum consuetudine contraxerat, & callum obduxerat, deponit, & mollescit ad recipienda salutaria consilia, atque ad obtemperandum Diuinis legibus. cor eiusmodi appellat Dauid contritum, atque hoc gratum esse Deo, cum ait. [*cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*] hanc duriciem pollicetur Deus auferendam iis, qui ad Euangelicam ueritatem essent conuertendi. sic enim per quendam prophetam ait. [*auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio uestri.*] ex quo uide quid sequatur. [*& faciam ut in præceptis meis ambuletis. & iudicia mea custodiatis, & operemini.*] signum ergo ablati lapidei cordis est, cum quis maiore affectu & studio in uirtutes incumbit, quàm antea in uitia incubuerat. quod ante quàm peccator, quem scelerum suorum pœnitet, in se sentiat, metuere debet, ne lapideum cor nondum ab eo sit ablatum. [Et conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens, & multę misericordiæ, & placabitur super malitia.] Quę res inuitare hominem deberet, ut, ubi in peccatum lapsus est, mox ita eum pœniteret, ut nunquam ad idem peccatum prolaberetur, ea abutuntur homines ad magis peccandum, Dei uidelicet misericordia & longanimitas, quod olim conquestus fuit Paulus, cum dixit. [*num diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ, lenitatisque contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? sed tu iuxta duritiam tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ,*] appellat non solum bonitatem, sed [*diuitias bonitatis & tole-*

Ps. 50.

Eze. 11.

Rom. 2.

tolerantiæ.] quantum enim eſt, & quantas oportet eſſe diuitias Diuinæ bonitatis, qui rem nihili ac præterea abominandam expectet, ut reuertatur? quis non miraretur, ſiquis homo tam humanus eſſet erga quęlibet animalia, ut, ſi à formica aut pulice læderetur, tandiu expectaret, dum diſcederent, ne ea interficeret? at nos, ſi cum Deo conferamur, non ſolum ut formicę & pulices, ſed omnino nihil ſumus, & hoc nihil Deus expectat, ut conuertatur. O' uerè diuitias bonitatis, & tolerantiæ, & lenitatis, quas qui contemnunt, meritò ſempiternis Geennę incendiis ſunt tradendi. Ait ergo propheta. [conuertimini ad Dominum Deum ueſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & placabitur ſuper malitia.] Cernis quàm multis epithetis utatur propheta, neq; ſatis idonea uocabula ſibi uideatur inuenire ad deſcribendam incomprehenſam Dei erga homines bonitatem. quæ quanti à nobis eſſet facienda, ſic mecum cogitate. ſi hęc ciuitas principem ſuum offendiſſet, ac criminis lęſę maieſtatis rea eſſet, atq; ipſe princeps euerſionem ei eſſet interminatus, deinde miſericordia motus placari vobis decreuiſſet, intelligens uos ex animo peccati veſtri pœnituiſſe, tantum caueret ciuitas pignoribus datis, ac fideiuberet, ſe poſthac principem minimè offenſuram, quas cautiones, quæ pignora, quas fideiuſsiones non daret, vt hanc veniam aſſequeretur? nos verò principum omnium principem ita offendimus, vt ęterni ignis pœnas ſimus meriti, ipſe uerò ita eſt ad ignoſcendum paratus, ut etiam ad pœnitentiam inuitet, ac veniam ſe daturum polliceatur, modo nos ſerio atque ex animo pœniteat, & non tantæ benignitatis contemplatione ita permouebimur, & eo animo ad eum conuertemur, vt nunquam poſtea eum offendere patiamur? quòd ſi præterea addes, eum poſt veram hominis pœnitentiam polliceri, ſe eum in filium adoptaturum, & vnigeniti ſui cohæredem facturum, quis tam ferreo corde eſt, qui, ſi in harum rerum cogitationem bene penitus ſe daret, non totus colliqueſceret, decerneretque, ſe millies potius mortem oppetere velle, quàm ſemel poſthac tam profuſam bonitatem offendere? verum, quia iſta non cogitantur, fit, vt nunquam homines verè conuertantur ad Deum. [Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem?] hoc dixit propheta, quia antea prędixerat futuram vltionem, quæ à Deo ob peccata popu-

li esset immittenda. etsi (inquit) interminatus est certam castigationem, non tamen est de illius misericordia desperandum. idem
Ion. 2. fecerunt Niniuitæ, quibus cum Ionas absoluta sententia prædixisset, post quadraginta dies esse Niniuen subuertendam, non tamen icirco desponderunt animum, sed decreuerunt agere pœnitentiam, & eadem ferè dixerunt verba, quę hic posita, sunt, vi-
ibidem. delicet. [*quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore suo, & non peribimus?*] in hac verò nostra pœnitentia, ad quam ab ecclesia Dei inuitamur, cum certissimè promittatur dandam esse veniam, tantum dignos fructus pœnitentiæ faciamus, quid non est tentandum, nequid pretermittatur, quò minus tanti boni esse compotes liceat? quod verò dixit, [relinquat post se benedictionem,] quid per benedictionem sit intelligendum, declarant verba sequentia. [sacrificium & libamen Domino Deo vestro.] hęc est benedictio, quam sperat Dominum post se relicturum, id est, reliquiæ tritici & vini, vnde fiebat oblatio similaginea, & libamen Domino. nam promissiones, quę sub veteri lege fiebant, temporariæ erant. sed in his verbis laudatur eorum pietas, qui optabant, triticum & vinum sibi dari, vt ex eis oblationes facere Domino Deo possent. quod multò magis cogitandum nobis est, quibus non consulitur, vt temporaria bona quæramus, sed potius vt ea in pauperes distribuamus. cogitandum inquam est, vt corporeis bonis in primis vtamur ea ratione, vt in eis glorificetur Deus. Et hæc quidem, quę hactenus dicta sunt, quiuis vestrum iudicaret, idoneas esse præparationes ad inuitandam ciuitatem ad pœnitentiam. sed videte tamen quid addat. [Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, uocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes ubera.] iubet, ut tubæ sonitu conuocetur ciuitas, vt maior efficacis pœnitentiæ prębeatur significatio. quemadmodum enim, cum in commune peccatur, indicium est animi magis ad peccandum præparati, sic cum sociatur populus ad agendam pœnitentiam, ostenditur, ciuitatem esse bene affectam, vt ad Dominum Deum suum conuertatur. neque contentus generatim inuitasse ciuitatem, mentionem facit etiam miserabilis ætatis, & quæ alioqui à laboribus immunis esse consueuerit, vt sunt senes, infantes, ac sugentes ubera, ut ad misericordiam Deum prouocarent. nam

quòd

quòd illius innocentis ętatis magnam Deus rationem habeat, ostendit, cum ad Ionam prophetam dixit. [*ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum uiginti millia hominum, qui nesciunt inter dextram & sinistram, & iumenta multa?*] Ion. 4.
O profusam misericordiam. etiam iumentorum miseretur. idcirco aiebat psaltes. [*homines & iumenta seruabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*] quantum scelus est, in tantam bonitatem esse iniurium? iubentur ergo etiam infantes & sugentes ubera congregari. at in Niniue iussum fuit, ut etiam iumenta ieiunarent, & cilicio operirentur. [*clamauit* (inquit) *& dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius dicens. homines & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine.*] ingens horum ciuium fides, qui sperauerunt, etiam mugitum bouum, & balatum ouium ob famem, quam ieiunando patiebantur, prouocaturá Deum ad misericordiam. & sanè compotes uoti fuerunt facti, quemadmodum dudum audiuistis. & illi quidem hoc faciebant, uitandæ temporarię afflictionis gratia. nunc uerò utriusque metus est, & nullum uideo hactenus in hac ciuitate uerum pœnitentię signum. imminet ęternæ mortis periculum, quia minimè ea pręstantur, quibus conciliari Dei misericordia consueuit. imminent temporaria flagella ob scelera, quibus nullus à uobis imponitur finis, & omnes stertunt, atque in utranque aurem dormiunt. si obsideretur à corporeis hostibus ciuitas, decerneret senatus diurnas nocturnasque excubias, iuberet omnem ætatem armari, & unumquenque suo officio fungi, inertes castigaret, nihil prætermitteret, quod ad integram ciuitatis custodiam pertineret. obsidetur nunc uestra ciuitas à Dæmonum exercitu, qui [inuadunt urbem somno uinoque sepultam.] & nulla neque publicè neque priuatim adhibetur cura. nihil minus quàm hoc cogitatur. iuuentus in omnia se flagitia ingurgitat, & nulla censura cohibetur. omnes partes, omnis ętas, omnis sexus it perditum, & nemo tantam socordiam vel admiratur, vel castigat. hoc ipso die, quo quadragesimali ieiunio initium datur, debuerat tota ciuitas conuenisse, vt tam sancto tempori optima fundamenta iacerentur, & ne vigesimam quidem partem cernitis conuenisse. sed ui-

Psal. 35.

Ion. 3.

deamus quid addat propheta. [Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.] res, quę alioqui Diuinis legibus licita est, vsus videlicet coniungij, tempore agendæ pœnitentiæ prohibetur, idque in iuuenibus. iccirco sponsum & sponsam appellauit, non maritum & vxorem. quantò magis scortationum & adulteriorum eradenda esset omnis ex hac urbe memoria, & qui ętate prouecti sunt, iam de castitate uitę deberent cogitare. at quàm hactenus ad hęc præstanda idonea ciuitas sit, ex eo colligite, quòd inueniuntur senes cani, qui adhuc adeant meretrices. [inter uestibulum & altare plorent sacerdotes ministri Domini dicentes, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.] Postremum refugium est intercessio ministrorum Dei. nam sacerdotes ob hanc causam in ecclesia instituuntur, tanquam medij, atque intercessores inter homines, ac Deum, ut qui probatioris uitæ esse debeant, & ab omnibus vitijs alienę, quorum merita contemplatus Deus, eorum gratia in peccantes misericordiam exerceat. si enim quis apud principem aliquem inuenire gratiam quęrit, studet in primis uti ijs intercessoribus, quos ei principi charos esse intelligat. quantò maiore studio faciendum hoc est, cum reconciliandus est Deus, & quærendi uiri, sanctitate & uitæ integritate præstantissimi. & cum huius generis homines non inueniuntur, dolet ac conqueritur Deus. Eze. 22. sic enim per Ezechielem ait. [*quæsiui ex eis uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.*] quę uerba uereor, ne hac ætate dici rectius possint. multos enim habemus sacerdotes, & qui ministri Domini uocentur, sed paucos admodum inuenias, qui idonei sint sese opponere, ne Deus dissipet terram. & hęc uestra in primis ciuium culpa est, qui filios, ac nepotes uestros curatis ad ecclesiasticos gradus prouehi, non ut sint sacerdotes Dei, ac ministri Christi, sed ut ecclesiasticis fructibus in profanos usus abutamini. quare, dum hi abusus perdurant, ne expectetis habere ministros Dei, qui pro populo plorent, & digni sint pro peccatis uestris apud Dominum Deum nostrum intercessores. sed uideamus, quid præterea iubeantur, & quam ob causam. [dicant (inquit) parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.] cur hoc? [quare dicunt (inquit)

in popu

in populis, ubi est Deus eorum?] dabantur ob peccata in captiuitatem gentibus, quę simulacrorum cultui operam dabant. quę gentes cum cernerent, eum populum, qui solus veri Dei agnitionem habere gloriabatur, in prædam & opprobrium exteris dari, irridebant Iudæos, & dicebant. [ubi est Deus eorum?] dicunt se solos veri Dei cultum exercere. quod si ita est, ubi est hic eorum Deus, qui eos de hostium potestate liberet? atque ita fiebat, ut nomen Dei (quemadmodum alibi legimus) malè audiret propter eos. uult ergo propheta, ut petant sacerdotes liberationem populi, quod in Dei sui honorem cedat, cuius honoris ratio factorum nostrorum omnium scopus esse debet. quod si nunc fieret, non esset tam fęda Christiani orbis facies, neque nomen Christi, apud Christiani nominis hostes tam malè audiret. nunc uerò nulla reperitur gens tam perditis moribus, quàm ij, qui cognomen à Christo acceptum in ipsius Christi iniuriam circunferunt. & hoc propterea usu euenit, quòd nullam in factis nostris Diuini honoris rationem habemus, quem dum contemnimus, meritò repetitis castigationibus continuò pręmimur. Audistis, quàm ingentes apparatus vera, & quę spem consequendę remissionis certam expectare possit, habere debeat pœnitentia. quæ quantum apud Deum possit, reliquum est, ut in eodem propheta videamus. cum enim id pręstitisset populus, quod fuerat admonitus, sequitur. [Aemulatus est Dominus pro terra sua, & pepercit populo suo. & respondit Dominus & dixit populo suo. ecce ego mittam uobis triticum, & uinum & oleum, & replebimini eo, & non dabo uos ultra opprobrium in gentibus.] Nihil gratius est Deo, quàm benignè hominibus facere. ipsius enim natura est bonitas. neque ei placet flagella immittere, sed cogitur id sępe facere nostrę utilitatis gratia, ne in sceleratiora facta delabamur. quemadmodum & pater filiorum amantissimus, castigat eos inuitus, ne fiant deteriores. ubi ergo pęnitet homines suorum malefactorum, nihil Deo longius videtur, quàm ut benignè eis faciat. [*non est* (inquit) *uoluntatis meæ mors peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat.*] quare, cum tam benignum Dominum habeamus, ne tantę benignitati simus ingrati, sed pęnitentiam agamus, eamque ueram, & eius generis, quam hodie ex propheta audiuimus, vt & peccatorum ueniam certam expectare liceat, & tranquilliorem hanc uitam

Rom. 2.

Eze. 33.

uitam agere, & demum æterna in cęlo bona adipisci ualeamus, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto, est honor, gloria, magnificentia, potestas & imperium & nunc & in omnia secula. Amen.

ORATIO LXVI.

Habita feria sexta post diem cinerum.

SVPERIORI oratione ostendimus ex Ioële propheta, quas habere debeat præparationes ea pœnitentia, quæ iustam erga pęnitentes iram Dei placare possit, hodie ex
Esa. 58. Esaia docebimur, cuius esse generis ieiunia debeant, quæ digna futura sint, vt ea aspiciat Deus. audiamus ergo, quid Deus prophetæ iubeat, vt dicat populo suo, & quas partes habere uelit ieiunium, quod illi futurum sit gratum.
ibidem. Clama (inquit) ne cesses, quasi tuba attolle uocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.] Clamatur, cum surdis auribus uerba facienda sunt. sicut autem surditas plerunque ex collectis sordibus, uitiosisque humoribus generari consueuit, sic hominum animi, prauis affectibus pleni obsurdescunt ad Diuina monita, & uix multis magnisque clamoribus excitantur, vt audiant, id quod quotidiano cernimus experimento. Clamor autem iste, etsi corpoream etiam interdum uocis sublationem postulet, ut efficacius per corporis instrumenta uox in animum penetret, potius tamen refertur ad uim rationum atque sententiarum, quibus demum superata mens cedat. Sed hoc miserabilissimum in hominibus malum est, quòd corporea surditas, quantum fieri potest, euitatur. quòd siquis in eam incidit, mox operam dat, ut omnibus artibus auferatur. in animo verò, cuius incolumitatis longè maior habenda esset cura, contrarium fit. nam data opera accersunt surditatem, & imitan-
Psal. 57. tur homines surdam aspidem, quæ obturat [*aureis suas, ut non*

exaudiat

exaudiat uocem incantantium, & ueneficiincantantis ſcpienter,] tantum abeſt, vt quęrant auferri ſibi ſurditatem. Iubetur ergo clamare, idque ſine ceſſatione. [Clama (inquit) ne ceſſes.] oportet enim in re tanti momenti eandem identidem incudem tundere. hoc faciebat Paulus, qui non ceſſabat die, ac nocte cum lacrymis unumquenque ſuorum admonere. hoc idem pręcipiebat diſcipulo Timotheo, cum dicębat, [*attende tibi & doctrinæ, inſta in illis.*] & ruiſus. [*prædica uerbum, iuſta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare in omni patientia & doctrina.*] & ſanè ingenti opus eſt longanimitate, & quæ ſumma erga Deum & proximum quenque charitate nitatur, vt quis ferat tam aſperas mentes, ac tam male affectas. quò maioribus paſtor laboribus utitur, ut peccator ab errore reuocetur, eo grauiora ab eo referat odia. hęc longanimitas profectò in uno ex centum millibus parentibus carnis non facilè reperitur, quę ſi à ſubditis agnoſceretur, longè maiore paſtores ſuos & charitate & reuerentia proſequerentur, quàm proprios ipſorum parentes. quod quia non intelligitur, res in contrarium cadit, ut paſtores pro benefactis ſæpius iniuriam referant. [Quaſi tuba attolle uocem tuam.] parum ei uiſum fuerat dixiſſe, [clama.] niſi adiecisset, quanto uti deberet clamore, & ſanè ingenti clamore opus eſt, ut uox in tam ſurdas aureis aliquando penetret. ut enim exemplo aliquo id oſtendam, intuere, quàm ſit difficile, eos, qui, multo auro oppletas habent aures, exaudire monita ſalutaria. audiunt ueritatem ipſam dicentem, facilius eſſe [*camelum intrare per foramen acus, quàm amantem diuitas ingredi in regnum cœlorum,*] tanquam res ſit prorſus deſperata. audiunt Paulum dicentem. [*qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum, & deſideria multa ſtulta & nocua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum eſt auaritia, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*] audiunt (inquam) iſta corporis auribus, & ea in animi aures penetrare non patiuntur. audierunt ſæpe ex me hæ mulieres, ſe ſuis fucis ac pompis efficere, ut multorum animæ perdantur. ſuis ſumptibus, quos in parando infinito illo muliebri mundo faciunt, in cauſa eſſe, cur pauperes, quos Chriſtus fratres ſuos appellat, fame & frigore conficiantur, atque hanc eſſe

Marginal notes: 1. Ti. 4. — 2. Ti. 4. — Mat. 19. — 1. Ti. 6.

ſe certam in Geennam uiam, neque adhuc uideo eas exaudiuiſſe. uult ergo, ut in morem tubę clamet. atque annuntiet [populo ſuo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.] hoc proprium paſtorum eſt, arguere uitia, atque peccata. qui hoc non præſtant, non paſtores ſed ſeductores ſunt, de quibus Eſaias ait.
Eſa. 3. [*populc meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & uiam greſſuum tuorum diſſipant*,] dum ſcilicet non admoniti, neque errores, in quibus uerſantur, agnoſcentes, nunquam recta ingrediuntur uia. annuntianda ergo ſunt ſubiectis ſua ſcelera, qui ſi benignè audiunt, maximum eſt paſtoris ſolatium. nam rectè Salo-
Pro. 25. mon dixit. [*inauris aurea, & margaritum fulgens, qui corripit ſapientem, et aurem obedientem.*] neque uerò minor eſt audientis u-
Pro. 15. tilitas, cum idem Salomon dicat. [*auris quæ audit increpationes uitæ, in medio ſapientum commorabitur.*] ſin, ut plerunque fit, auditores iniquè ferunt monita, illi quidem rarò proficiunt,
2. Ti. 2. ſed tamen ceſſandum non eſt, ſi forte [*det illis Deus* (ut ait apoſtolus) *pœnitentiam, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis.*] [Me etenim de die in diem qu runt, & ſcire uias meas uolunt, quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & legem Dei ſui non dereliquerit.] rogant me iudicia iuſtitię, ideſt, iudicia iuſta, & appropinquare Deo uolunt. quid hęc uerba uelint, ex ſequentibus fiet apertius. ſenſus autem eſt, me quotidie adeunt, ac de iudiciis meis (quas uias appellat) quæ in eos exerceo, mecum ſæpe expoſtulant, perinde quaſi iuſti ſint, & nunquam à meis legibus præceptiſque defecerint. id autem genus homines non pauci reperiuntur, qui, quoties illis res ex uoto non cedunt, conqueruntur, cur Deus illis hanc calamitatem accidere ſit paſſus, neque aduertunt miſeri, hanc murmu-
Luc. 17. rationem non multum abeſſe à blaſphemia. ſi enim, cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, iubemur dicere, nos
Luc. 12. ſeruos eſſe inutiles, at ſeruo inutili nihil expectandum eſt, niſi pœna, cum præterea multa peccamus, quæ nobis cauſa murmurandi eſt, cum digna factis recipimus? uidete uerò, quantum inter compoſitas ac bene affectas mentes, & improbas interſit. uidentur quidem etiam pii homines ſuſpenſi ſtare in Diuinis iudiciis contemplandis, ac de eis interdum cum Deo loquuntur, ſed præfati prius reuerentiam. ecce enim Dauid, qui de Diuinis iudiciis uerba facturus, tuetur prius cauſam Dei, & ait. [*quàm bo-*

nus

nus Deus Israel ijs, qui recto sunt corde.] ante quàm loquatur de iis rebus, quę commouere homines solent, cum de Diuinis iudiciis cogitant, pręfatur, bonum quidem ac uehementer bonum esse Deum, sed hoc non intelligi nisi ab iis, qui recto sint corde. hoc fatus ob Dei reuerentiam, mox in eorum persona, qui nutant interdum in contemplatione Diuinorum iudiciorum, addit. [*mei autem pene moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. quia æmulatus sum super iniquis pacem peccatorum uidens.*] *ibidem.* & in hac re multum exspatiatur, quasi miretur, cur hæc faciat, aut permittat Deus, sed demum ipsius Dei causam magnificè tuetur. sic Ieremias eiusmodi querelas in medium positurus, cur scilicet via impiorum prospere agat, bene sit omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt, prius dixit. [*iustus quidem es Domine, si disputem tecum, ueruntamen iudicia loquar ad te.*] *Ier.* 12. sic & nobis faciendum est, vt, siquando sentimus nostras cogitationes in Dei nostri aut factis aut permissionibus commoueri, respondeamus, Deum esse & iustissimum, & optimum, & omnia illius opera esse omni ex parte perfecta, & irreprehensa. sed videamus, quid ij lamentarentur. [Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?] hęc verba non solum mercenariorum sunt, & eorum, qui ob expectata à Deo bona illi seruiunt, sed etiam impudentium, & ratione carentium. cum enim fateantur omnes, Deum esse & sapientissimum, & iustissimum, & præterea optimum, certum est, illum neque errare posse, neque iniustè agere, & demum summa cum bonitate omnia administrare. vbi ergo esse hic locus posset reprehensioni? si puer quatuor aut sex annorum haberet sapientissimum patrem, qui omnia ageret non solum sapienter, verum etiam paterna cum charitate, is verò infans vellet in singulis factis patris cum eo expostulare, certè qui hoc cernerent, vel riderent infantis stultitiam, vel, si ea in re impudentius perseueraret, verberibus eam temeritatem coërcerent. at nos, qui, si cum Deo conferamur, non infantes, sed pulices, & formicæ, atque adeo nihil potius sumus, quo pacto ferendi sumus, si quicquam aduersus Deum murmuremus, si etiam omnibus premamur afflictionibus? componendus est animus, & rectum habendum est *Psal.* 72. cor, quemadmodum Dauid dudum nos admonuit, & tunc in

omnibus Dei erga nos iudicijs gratias agemus . quod vir ille, qui Dei testimonio iustus erat, & simplex, & timens Deum, Iob inquam, generosè præstitit, cum in suprema, quanta maxima accidere homini potest, calamitate, fortissima illa ac pietatis plena
Iob. 1. verba protulit. [*Dominus Dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*] & rursus. [*si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*] [Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti?] externam iustitiam proferunt, non intelligentes, vbi veræ iustitiæ sit sedes. quod de eis-
Ro. 10. dem Iudæis & Paulus conquerebatur, cum dicebat. [*ignorantes Dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*] hoc ipsum multi & nunc faciunt, qui putant ob corporeos aliquos labores Deum habere debitorem, cum interiores hominis purgandi nullam interea curam habeant. eiusmodi homines
Mat. 23. reprehendebat Dominus, [*Væ, inquiens, uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod foris est calicis & paropsidis, intus autem plena sunt rapina & immunditia? pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id, quod foris est, mundum. uæ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. sic & uos, foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*] reprehendit etiam eos, quòd decimarent mentam & anetum, & cyminum, & reliquissent, quę grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. [*hæc oportuit*
ibidem. (inquit) *facere, & illa non omittere.*] non prohibet, quin externa illa fiant, sed vult in primis, vt in ea incumbatur, quæ grauiora sunt, & magis ad salutem necessaria. quare hic respondet Deus, cur eorum ieiunia non aspexerit. [Ecce in die ieiunii uestri inuenitur studium propriæ uoluntatis, & omnes debitores uestros repetitis. ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio.] appellat [studium propriæ uoluntatis.] quoties quid facimus, quod ad terrena pertinet. & tunc non aspicit ieiunia nostra. quod si ita est, uideo in meis ciuibus rara ieiunia, ad quæ aspicere Deus posit. nihil enim differentiæ cerno in eis inter dies, quibus ieiunant, & alios dies, nisi quòd, cum in diebus suorum ieiuniorum semel tantum comedant, maius habent spatium tractandi negocia, quæ ad hanc duntaxat

duntaxat vitam pertinent. non autem ob hanc causam instituta ab ecclesia ieiunia sunt, sed vt mens, quæ alioqui quotidianis epulis ac crapula obruitur, per abstinentiam perpurgata, aptius officio fungatur suo, & Diuinis contemplationibus vacet, cui negocio ciborum copia maximo esse solet impedimento. quod ipse Dominus discipulos admonuit, cum dixit. [*cauete, ne grauentur corda uestra in crapula & ebrietate.*] quod etiam ethnici intellexerunt. nam quidam eorum poëta dixit. corpus onustum Luc. 21.

Hesternis uitijs, animum quoque prægrauat una,
Atque affligit humo Diuinæ particulam auræ,

qui verò, cum ieiunant, totum diem in studijs huius vitæ occupant, non multum ab ijs differunt, qui ebrietati dant operam. nam huius vitæ studia æquè animum grauant, atque vinum. icirco Dominus cum dixisset, [*cauete, ne grauentur corda uestra in crapula & ebrietate*, adiecit, *& curis huius seculi.*] quid enim ab ebrijs distant ij, qui toti parandis pecunijs incumbunt? sicut enim ebrij impediuntur à vini vaporibus, quò minus rectè vtantur mente, sic ij ab illa insana habendi cupiditate occupati, multa peccant, quę ne peccata quidem esse agnoscunt. hoc unum tamen inter vtrosque interest, quòd illorum mentis error solis ferè illis nocet, dum ridiculi alijs sunt, at horum error ingenti hominum multitudini est detrimento, dum in proximi cuiusque damnum illum mentis errorem exercent. ieiunium ergo esse debet atollendę in cœlum mentis occasio, & de patria, ad quam facti sumus, cogitandi, & ab illa reliquorum dierum animi ebrietate resipiscendi, & vacandi, quemadmodum admonet propheta, ut uidere, & experiri liceat, quàm suauis sit Dominus. in illa mentis sobrietate multa intelligunt homines, quæ in quotidianis curis intelligere non possunt. cogitant, hanc vitam nihil esse aliud, quàm duarum horarum scenam, quę vna cogitatio liberare hominem à rabida illa habendi insatiabilitate idonea est. quo appetitu sublato, mox inciperent omnes esse in pauperes ac proximum quenque misericordes, atque humani, vt nemo iam vel fame, vel frigore, vel alijs uitæ necessitatibus confici posset. eadem est aliorum affectuum ratio, qui facilè tollerentur, si sobria mens sese colligeret, atque ab illa terrenarum cogitationum ebrietate auocaretur. tunc enim nihil propriæ uolunta-

Margin: Luc. 21. (beside "icirco Dominus") ; Psal. 33. (beside "resipiscendi")

tis in homine inuenitur, sed optat animus cœlestium se uitæ accommodare, quod intellexit Dominus, cum docens nos orare
Mat. 6. admonuit, vt diceremus. [*fiat uoluntas tua, sicut in cælo, & in*
Luc. 11. *terra*.] in cœlo enim nullæ lites, nulla dissidia, sed summa pax est. ista quoniam Iudæi non præstabant, sed eisdem iniquè factis ieiunantes operam dabant, quam alijs diebus, iccirco non aspiciebat Deus ad eorum ieiunia, & quædam particulatim commemorat, quæ illi displicebant. [Et omnes (inquit) debitores uestros repetitis.] quis unquam uestrum existimauit, peccatum esse à suis debitoribus repetere, quę debent? at hic pro re admodum reprehensa ista vituperat. quod si tantum repetere damnabile est, quid de illis dicas, qui in carcerem detrudi, ibique pędore confici pauperes iubent, qui vel soluendo omnino non sunt, vel nisi summo cum incommodo, ac rerum iactura soluere non possunt?
Mat. 18. nunquam eo tempore venit illis in mentem parabolæ illius, qui deberet Domino suo decem millia talentorum, seque illum esse, qui tantam summam Deo debeat, debitorem verò suum esse conseruum illum, qui tantum centum denarios deberet, quantumque Deo displiceat crudelitas serui erga conseruum, qui eum
ibidem. suffocet, ac dicat, [*redde quod debes.*] mirum quo pacto terrifica hæc exempla Christiani homines post tergum abijciant, cum in eos, qui sibi quippiam debent, tam crudeles sunt exactores, vt non Christiani hominis, cui tanta veritatis lux fuerit demonstrata, sed ne hominis quidem, à quo humanitas nomen accepit, figuram habere videantur. sola enim naturæ contemplatio flectere ad misericordiam deberet, cum verò præterea accedunt illa à filio Dei è cœlo allata documenta, & ne illa quidem attenduntur, quid reliquum est expectandum, nisi vt in Geennam relegati, dignas tantorum scelerum pœnas demus? [Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio.] pulchrè. non dixit, cum ieiunatis, litigatis, & contenditis, sed maiore usus est emphasi, vt diceret, ad lites & contentiones ieiunatis,] tantum non dicens. videmini elegisse peculiariter dies ieiuniorum, vt commodius litibus & contentionibus vacare liceat. & hoc quis uestrum, cum sua peccata confitetur, inter peccata unquam numerauit, pœnituitque, quòd cum proximo quoque litigauerit, atque contenderit? & hoc est, quod sæpe uos admonui, multa sæpe à uobis

peccari, quę ne peccata quidem esse agnoscitis, idque uestro vitio, ne existimetis, uos ab ignorantia excusari. nam crassa est hęc ignorantia, & ex eo proficiscitur, quòd nolunt homines intelligere, vt bene agant. si delectaremini scrutari scripturas, & earum fieri familiares, inueniretis hos litigandi & contendendi mores à Paulo reprehendi, cum ad Corinthios scribens ait. [*iam quidem omnino delictum est in uobis, quòd iudicia habetis inter uos. quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed uos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*] & sola quidem cogitatio, quòd Christiani omnes fratres inter se sunt, commouere uos deberet, ne unquam litigaretis. nunc uerò tam refrixit charitas, vt ne germani quidem fratres mutuis inter se litibus parcant, idque exiguam interdum ob rem, ac uilissimi pretij. [Nolite ieiunare usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester.] id est, nolite committere in ieiunijs uestris, quemadmodum hactenus factum à vobis est, vt oppressorum clamor in excelso audiatur. neque enim uox est, quæ facilius, ac uehementius ad aureis Dei perueniat, quàm eorum, qui improborum cauillationibus, ac dolis suis bonis priuantur. & ij ferè sunt, qui, cum non habeant, qui eos tueantur, ut sunt peregrini, uiduę, pupilli, facilè sceleratorum præda fiunt, quòd quantum Deus auersetur, uide quid in Exodo dicat. [*aduenam non contristabis, neque affliges eos. uiduæ ac pupillo non nocebitis. si læseritis eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque uos gladio, & erunt uxores ueſtræ uiduæ, & filij uestri pupilli.*] & Iacobus Apostolus. [*ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non est reddita à uobis, clamat, & clamores eorum, qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*] [Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi scirpum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud uocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?] rem miram, cum iubeantur in agenda pœnitentia hæc præstari, ieiunium videlicet, atque ut cilicio, ac cinere vtantur homines, nunc Deus ista deridet. sed damnat eos, qui sub illa hypocrisi, qua capite inclinato incedebant, saccum corpori inijciebant, cinere caput aspersi, interea impiè agebant. solum hoc hypocritarum genus Christus est in

1.Co. 6.

Exo. 22.

Iac. 5.

eſt in primis acrius inſectatus, & ſæpius ſcribis, ac phariſæis hanc hypocriſim obijciebat, admonebatque diſcipulos, vt ab ea cauerent.

Luc. 12. [*Cauete* (inquiens) *à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis.*] ſicut enim fermentum omnem farinæ maſſam, cui injicitur, mox commaculat, ſic eiuſmodi hominum genus ſua ſimulatione à vera auocat pietate, atque infinitis ſuperſtitionibus, & erroribus uitiat. reſtat ergo uidere, quale ieiunium probetur à Deo. [Non'ne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe,] quod ait, [ſolue faſciculos deprimentes,] idem eſt, quod ſoluere colligationes, ſeu conſpirationes impias. nil enim grauius eſt in ciuitate, quàm impię ſectę, & faſciculi impiorum, omnibus iuſtis oneroſi. quare primum hoc poſuit, tanquam ciuitati pernicioſius. ubi enim plures ciues conſpirant, vt iuſtitiam, ac veritatem impediant, & optimis quibuſque conſilijs ſeſe opponant, nihil fieri in ciuitate rectè poteſt. quod cum quotidie uoſmetipſi in ciuitate ueſtra experiamini, nihil opus eſt, vt longiori oratione hanc partem perſequar. ſed meminerint ij, ſe demum maiore cum ſuo, quàm aliorum damno eſſe diſperdendos. exemplum habemus Seruatorem Chriſtum, quem poſtea quàm impia ſacerdotum & ſcribarum conſpiratio in crucem egit, ipſi paulò poſt ſupremas dederun pœnas. at Chriſtus in ſummam

Pro. 11. euectus eſt ſublimitatem. [*iuſtus* (ait Salomon) *liberabitur*

Apo. 2. *de anguſtia & tradetur impius pro eo.*] rectè huiuſmodi conciliabula ſynagoga Satanæ appellantur. ſicut enim, ubi in nomine

Mat. 18. Chriſti duo uel tres congregantur, in eorum medio Chriſtus eſt, ſic ubi hęc horum perditorum fex congregatur, in medio eorum Diabolus eſſe meritò dici poteſt. [Dimitte eos, qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe.] iuſtum eſt, vt qui à Deo petit peccatorum, quę tanquam fortiſsima uincula hominem conſtrictum tenent, abſolutionem, ipſe in proximum ſuum, debitorum uinculis alligatum, miſericors ſit. alioqui minimè conuenit, cum ipſi inter nos abiecti neglectique ſimus, poſtulare, ut Deo chari ſimus, & ab eo diligamur. hæc ſi deſint, non placent Deo noſtra ieiunia, quamuis alioqui maximam apud Deum habere uim ſoleant. neque id mirum, quando etiam ſacrificia, quę in illius honorem adhibentur, auerſetur, ſi cum impuro animo

mo fiant. [*quo mihi* (inquit) *multitudinem uictimarum uestrarum? plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. cum uenitis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus uestris, conculcare atria mea?*] appellat accessum prophanorum ad templum conculcationem suorum atriorum. [*ne offeratis* (inquit) *ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, neomeniam & sabbatum & solennes conuocationes alias non feram, iniquitatem coniunctam cum festorum celebratione, calendas uestras & solennitates uestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta.*] & alius propheta. [*proijciam in faciem uestram stercus solennitatum uestrarum.*] [Frange esurienti panem tuum, & egenos, uagosque induc in domum tuam, cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.] per panem intelliguntur omnia, quæ ad uictum sunt necessaria, Hebręę locutionis more, sic illud. [*in sudore uultus tui uesceris pane.*] iubet ergo, ut esurientibus ea impertiantur, quibus nutriri possint. iubet, ut hospitio excipiantur, ac uestiantur. quod quàm egregiè præstetis, nihil necesse est, ut uobis commemorem, cum impetrare nunquàm à uobis potuerim, ut uel puellis, quæ hostiatim mendicando scorta plurimum fiunt, caueretis, ne illis tanto cum periculo mendicare esset necessarium. miram profectò in rebus tanti momenti meorum ciuium inertiam, nolle in ea re, ad quam sola naturæ sponte inuitari deberent, pastoris unquam sui audire consilia. audi enim, quid hic dicatur. [carnem tuam ne despexeris] non dixit, carnem proximi tui, sed [tuam] ut qui unum genus sortiti simus. [*nemo* (ait Paulus) *carnem suam odit sed nutrit, & fouet.*] & tamen carnem hanc uestram tam crudeliter contemnitis. hoc est maximum uestri senatus crimen, qui ubi primum ex me hæc audiuit, nedum postea quàm sæpius ista fuerunt à me repetita, excogitare uiam, & inire rationem debuerat, qua tam piæ, tamque necessariæ rei prospiceretur. quid enim solus ego possum, nisi uos, qui mihi manus & pedes esse deberetis, sitis adiumento? cogitate præterea, si hæc iam olim, cum nulla uel æterni regni, uel sempiterni ignis fiebat mentio, præstare tamen iubebantur, quantò ista nunc studiosius essent præstanda, cum ipse Dei filius apertissimè declarauerit, in eorum pręstatione ęternam salutem, & in neglectu æterni ignis pœnam esse collocatam,

Esa. 1.

ibidem.

Mal. 2.

Gen. 3.

Eph. 5.

tam, quemadmodum ipse se in iudicio dicturum pollicetur? O' stoliditatem, ò stupiditatem, unde nam in hominibus tam crassæ errorum tenebrę? [Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua, citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.] his uerbis promittitur eis, auferendas esse afflictiones, cum præstiterint, quæ dicta sunt, & bona reddenda, quę per lumen & mane intelliguntur. sicut enim nocturnę tenebræ molestę sunt, iucundissimum uerò est, cernere mane lumen solis, sic in scripturis sacris per tenebras accipiuntur ingruentes molestiæ. ut illud. [*sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.*] & alibi. [*sol & luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.*] & rursus. [*prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.*] cum uerò promittuntur bona, lucis ac diei similitudines accipiuntur, & fore, ut clarissimi dies illucescant. [*erit* (inquit) *lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septemplicicitcr, sicut lux septem dierum in die, qua alligauerit Dominus uulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.*] hanc percussuram sanandam hic pollicetur, cum dicit. [sanitas tua citius orietur.] quod uerò addit. [anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.] indicat Dominum effecturum suum populum plenum gloriæ, ubi eius iustitiam perspexerit. nam iustitia nostra dicitur pręcedere faciem nostram, cum intueri uult Deus prius rectè facta nostra, tanquam munus, quod antecedere solet, cum princeps est adeundus & rogandus, quàm suam in nos exerceat beneficentiam copiosiorem. quamuis etiam indignis & ingratis quotidie benignè faciat. [Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te, clamabis, & dicet, ecce adsum.] Nihil magis Deo displicet, quàm cum nos scelerum nostrorum obiectu impedimento sumus, quo minus diuitias suæ bonitatis erga nos proferat. iccirco nunc minis, nunc castigationibus nos terret, ut sublatis peccatorum impedimentis, benignitatem nobis suam impertiatur. cernis solem ideo oriri, ut sua luce terram illustret, cui si densę nubes sese obijciant, sua quidem uirtute eas ita superat, ut bonam lucis partem accipiamus, sed non eo contentus, suo calore nubes disijcere conatur, ut plenos lucis suę radios nobis ostendat. simillimè Deus, cum peccata nostra, quasi densissimas nubes illi opponimus, benignè quidem etiam tum facit. [*suauis* (inquit) *Dominus uniuersis,*

Marginal notes: *Mat. 24.* *Ioel. 2.* *ibidem.* *Esa. 30.* *Ps. 154.*

uersis et miserationes eius super omnia opera eius.] sed non illius incomprehensæ bonitati hoc satis est. nam uellet nos omnibus diuitiarum suarum thesauris impleri. ob hanc causam omnibus utitur modis, ut hęc uitiorum peccatorumq; nostrorum nubes auferatur, ut plena bonitatis illius luce fruamur. hanc nostram uecordiam damnat in prophetis, cum non intelligimus, non per illum sed per nos stare, quò minus ea, quę uolumus, assequamur. [*Ecce* *Esa.* 59.
(inquit) *non est abbreuiata manus Domini, ut saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius, ut non exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos et Deum uestrum, et peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret. manus.n. uestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti uestri iniquitate. labia uestra locuta sunt mendacium, et lingua uestra iniquitatem fatur. non est qui inuocet iustitiam, neq; est, qui iudicet uerè.*] Audiuimus, (ut unde cœperat, eò reuertatur oratio) quę præstanda à nobis sint, si uolumus hoc quadragesimale ieiunium à Deo probari. reliquum est, ut ea pro uiribus, præstemus, quę ab ipso audiuimus esse pręstanda. parcite litibus, & contentionibus. parcite detractionibus & oblocutionibus. quid.n. proderit à carnibus abstinere, si linguæ uirulentia proximum quenq; laceretis? hoc.n. est, proximi cuiusque carnes comedere, estote in egenos & pauperes benefici. quod cum semper faciendum est, tum hoc tempore, quo obnixius Diuinam imploramus misericordiam. nam [*beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*] Matt. 5.
meminerimus terrificam illam Salomonis sententiam. [*qui obtu-* Pro. 21.
rat aures ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.] remittite ex animo, siquid iniurię à quoquam accepisse existimatis, & cogitate primum, fieri posse, ut uos non minus illum, quàm ipse uos, læseritis. deinde si etiam uos nullius iniurię in proximum quenque conscij sitis, esse tamen uos illius magnæ decem millium talentorum summę debitores Deo, & ingentem esse Dei erga nos bonitatem, si tantum debitum nobis remittat, pro centum denarijs, quæ debitoribus nostris remittamus. hęc & reliqua Christiano homine digna facta præstemus, ut misericordiam consequamur in tempore opportuno. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor, & magnificentia, & gloria, & potestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

ORATIO LXVII.

Habita, cum ad villam fuit proficiſcendum.

HODIE eccleſia Chriſti diem celebrat, ſanctiſsimę atque indiuiduę trinitati dicatum, idque octauo à pentecoſte die. quod hanc ob cauſam factum fuiſſe opinor, atque inſtitutum à patribus, quia, cum peracti iam ſint ſolennes ac feſti dies, qui ad œconomiam ſpectant aſſumptę à Chriſto humanitatis, atque in primis reſurrectionis, & & aſcenſionis eius, deinde dies etiam aduentus ſpiritus ſancti in apoſtolorum ac reliquorum fidelium corda, ęquum fuit, ut, ad plenam eccleſiæ inſtructionem, trium ſimul perſonarum, non ſeorſum alicuius, ut in reſurrectione ac pentecoſte factum fuit, memoria celebraretur. neque uerò neceſſe fuit patri ſeorſum, quemadmodum filio ac ſpiritui ſancto, dicare ſuum diem. primum quia eiuſmodi dierum memoria fit ob ea, quę cœleſtis patris uoluntate in nobis peracta à filio ac ſpiritu ſancto fuerunt, ut earum rerum recordatione grati eſſe diſcamus. deinde, quòd in filio ac ſpiritu ſancto erat & pater, qui eos ad parandam ſalutem noſtram miſerat. quamuis interea illius non uideamur facere mentionem, quod cur fiat, rem exemplo faciemus apertiorem. fingamus enim (ſi forte, aliqua uel minima ex parte percipere liceat ea, quę omnem ſuperant mentem) fontem maximum quendam, à quo duo flumina in hanc urbem deriuentur. ſciremus quidem, duo illa flumina, quicquid ſunt, ab eo fonte habere, & tamen celebriora eſſent nobis ipſa flumina, ob eorum apud nos pręſentiam, atque utilitatem, quam quotidie ex eis caperemus. ſimillimè tametſi filius ac ſpiritus ſanctus, & à patre ſint, & ab eo miſsi, celebriores tamen habemus eorum dies ob illorum ad nos

aduentum, & beneficia, quæ secum ad genus nostrum attulerunt. Hæc autem horum beneficiorum celebrata memoria sancta ecclesia hunc tribus simul personis, id est, sanctissimę trinitati, diem dicauit, vt significaretur, totam simul trinitatem omnia illa esse operatam, quæ singulæ personæ videntur effecisse, & huius sanctissimæ trinitatis opera minimè esse diuisa. Hodie itaque, quemadmodum alijs à nobis annis fuit factum, de hac huius diei celebritate dicendum aliquid fuerat, nisi alia quædam, vt mox audietis, dicere oporteret. quanquam non ea nunc necessitas vrget de personis in Diuinis loquendi, quæ olim fuerat, cum filij ac spiritus sancti Diuinitas in controuersiam ab hæreticis vocabatur, & de filij incarnatione peruersa multa garriebant. hinc Ariani, Aëtiani. Eunomiani, Sabelliani, Marciones, Nestoriani, Euthycetes, & cętera hæresum monstra Christianum orbem diuexabant. nunc verò Dei benignitate pax ab eiusmodi hęreticis est; ut laborum, quos orthodoxi tunc patres aduersus catholicę fidei hostes pertulerunt, fructu in summo ocio frui liceat, neque necesse sit, illis disputationum digladiationibus fatigari, aut cogitationum ambiguitatibus torqueri. atque vtinam hoc beneficium intelligere aliquando inciperemus, & factis Christiano homine dignis aliquam grati animi pręberemus significationem. nam quò Diuiniora nobis data è cœlo dogmata sunt, ad quæ veluti ad scopum quendam (hanc enim duntaxat ob causam sunt data) vitę nostræ cursum omnem dirigeremus, eò perfectior exhibenda esset vita, & cœlestibus dogmatibus cœlestia facta respondere deberent, vt dicere cum Paulo liceret. [*nostra consuetudo in cœlis est.*] quod non tam facile fuit ethnicis, quorum dogmata fauere vitijs videbantur, quorum vitiorum patronos suos Deos habebant, vt Venerem & Cupidinem lasciuię, & Martem belli. habebant suorum Deorum exempla inuitantia ad stupra atque adulteria, pręsertim maximi inter eos Iouis, qui orbem omnium terrarum nothis & spurijs impleuit. at nostra dogmata habent natum ex virgine Dei filium, docent, illum esse pacem nostram, qui fecit ex vtrisq; vnum, vt castitati & integritati vitę, ac paci & tranquillitati operam demus. hæc uitæ synceritas efficiet, ut quisque uestrum Diuinis capessendis mysterijs euadat aptior. nam experimur interdum, quosdam idiotas, atque illiteratos mirum in mo-

Phil. 3.

Eph. 2.

dum in arcana theologiæ penetrauisse, neque id iniuria. cùm
1.Co.14. enim spiritus sit, qui reuelat mysteria, ac de eo scriptum sit,
Esa.66. quòd requiescat super humilem, & quietum, & trementem uer
ba Dei, rectè eiusmodi hominibus ueritas peruia fit. Præcipua
igitur & excellens ad theologiam uia est, vt legem Dei summo
Mat.22. studio seruemus, cuius summa est dilectio Dei, ac proximi cu-
Rom.13. iusque. nam per amorem ad intelligentiam peruenitur. id enim
hic accidit, quod in rerum natura cernitur. cum enim caligo ter
ras occupat, sol radios in terram mittit, quorum calor caliginem
fugat, & lux confestim introducitur. sic amor uim caloris habet,
qui errotis & ignorantiæ tenebras fugare idoneus est, & lucem
ueritatis introducere, quæ demum est uita æterna, quemadmo-
Ioa.17. dum dixit Dominus. [*hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum
uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*] ad hanc per amo-
rem peruenitur, quem interea exercere multò melius est quàm
intelligentiam. in hac enim uita humanus amor in Deùm huma-
næ pręstat agnitioni. nam Deum nemo uerè agnoscit, uerè au-
tem amant illi Deum quoquo modo agnitum, qui omnia pro-
Phili.3. pter ipsum contemnunt, & cum Paulo arbitrantur, ut stercora.
rursus sicut deterius est, odisse Deum, quàm ignorare, sic me-
lius amare, quàm nosse. adde, quòd perscrutando Deum, lon-
gissimo tempore minimum quid proficimus, amando, breuissi-
mo plurimum. ob id enim citius, propinquiusque, & firmius
amor, quàm agnitio, mentem cum Diuinitate coniungit. quia
uis agnitionis in discretione consistit magis, amoris autem magis
in unione. quinetiam ipsi Deo gratius est amari, quàm prospici.
nihil enim Deo tribuimus intuendo, amando uerò tribuimus
quicquid & sumus & possidemus. amantibus ergo Deus seip-
sum tribuit potius, quàm scrutantibus. atqui periculosa inter-
Pro.25. dum est perscrutatio. vide enim, quid dicat Salomon. [*sicut qui
mel multum comedit, non est ei bonum, sic scrutator maiestatis op-
primetur à gloria.*] quare non præcipitur nobis, ut eum scrute-
mur, sed vt amemus. Deinde agnitione Dei malè vti possu-
mus, non amore Dei. & amando Deum, longè maiorem, quàm
perscrutando percipimus voluptatem, & meliores amando effi-
cimur, quàm inquirendo. non enim ex eo, quod agno scit, sed
ex eo, quòd amat, fit homo Diuinus, sicut non qui uidet bo-
num,

num, sed qui vult, fit bonus. & materia non quia lucem ab igne capit, sed quia calorem, ignis euadit. sic animus non ob lucem intelligentię, sed ob calorem amoris Diuinus fit. hinc externi quidam dixerunt, animum Deum inquirendo, purum effici, « Deum imitando fieri Deum, & Diuinum lumen non inquisitione « paulatim à nobis acquiri, sed perfecta uitæ coniunctione su- « bitò tandem Diuinitus in nobis accendi. prędterea cognoscendo « Deum, eius amplitudinem contrahimus ad mentis nostrę conceptum, amando uerò, mentem amplificamus ad latitudinem Diuinę bonitatis immensam. illic in nos Deum deijcimus, hic attollimus nos in Deum. noscimus enim quantum ipsi capimus, amamus autem & quantum intuemur, & quantum ultra nostrum intuitum vaticinamur bonitatis Diuinæ reliquum superesse. adde postremo, quòd in hac uita amando progredi semper licet, non autem perscrutando. quod in eo signatum mihi uidetur, quòd, cum ex quinque panibus & duobus piscibus *Mat. 14.* quinque millia hominum Dominus saturauisset, fragmenta panum, non piscium reliquiæ superauerunt. *Ioa. 6.* per panes enim intelliguntur dogmata, & mysteria fidei, solidus uidelicet cibus. per pisces verò, quę quasi condimenta sunt panis, præcepta charitatis. dogmatibus ergo saturamur quidem, sed supersunt adhuc, quę hic plenè percipere nequimus. at ijs, quæ de charitate prę- cipiuntur, nunquam saturari possumus, nedum vt queant superesse. nunquam enim tantum quis amat, quantum illi est amandum. non decuit ergo, vt pisces superessent, quos omnes comedere iubemur, cum pręcipitur, ut ex toto corde, tota anima, tota mente, omnibus viribus diligamus Deum, & proximum nostrum tanquam nosmet ipsos. quod etsi non pręstamus, id tamen vt præstemus imperatur. at panum esus integer, id est, dogmatum curiosior peruestigatio etiam prohibetur. nam [*altiora* (inquit) *te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus, ea cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, uidere oculis tuis.*] *Eccl. 3.* Cum ergo amare Deum, & ipsi Deo gratius, & nobis vtilius sit, quàm peruestigare, toti in hoc incumbamus, vt eum toto corde, tota anima, omni mente, omnibus viribus amemus, eius erga nos bonitatem cogitatione, verbis,

verbis, factis celebremus, dicamusque identidem cum prophe-
Ps. 102. ta. [*benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*] & hęc quidem de festo hodierno satis sint, nunc ad ea ueniamus, quę dictu hodie sunt necessaria. Cum mihi de more, aut cras, aut perendie sit migrandum, & inuisenda montana regio, in primis dedi operam, ut toto hoc tempore, quo à uobis sunt absuturus, uerbum Dei deesse uobis non possit, cuius assidua prędicatio Christiani orbis est salus, intermissio uerò summa
Pro. 29. pernicies, vt rectè dixerit Salomon. [*cum defecerit prophetia, populus corruet, qui autem audit legem, beatus est.*] hoc itaque interuallo, is, qui uices meas gerit, prędicandi uobis verbi Dei prouinciam accipiet, uos verò non minori studio conuenietis, neque minori cum frequentia, quàm me concionante soletis
Iud. 7. conuenire. Trecenti uerò mei interea uigilabunt, ut & ea, quę rectè hactenus fuerunt instituta, seruentur, & errorum, quos curaui tollendos, siquæ supersunt reliquię, uestro studio radicitus euellantur. in pręsenti autem nihil me magis solicitum habet, quàm calicistarum contumacia, quos cur ita appellem, iam nostis, quòd scilicet calicem quendam maximum in summa ædicula, quam inuito episcopo dicare corpori Christi omnino uolunt, ut in ea eucharistię sacramentum reponatur, posuerunt, idque cum nondum Christi corpus ibi fuerit collocatum. &, cum calix signum sit ibi positi corporis Christi, neque tamen ibi sit, non intelligunt, per se non stare, quin idololatriam introducant. neq; uerò, si ij, qui inter uos ad tuendum Dei honorem esse debent feruidiores, agere viriliter velint, difficile erit, hunc errorem tollere. cum pauci admodum sint, qui episcopi uoluntati se obijciunt. & ij tamen pauci ob uestram negligentiam, & dedecori & damno sunt toti ciuitati. probro afficiunt senatum, qui, cum episcopo faueat, ipsi sua malitia efficiunt, vt videatur illi aduersari, quod superioribus mensibus fuit apertissime declaratum. nam fraude eorum malitiosè confectum fuerat quoddam senatus consultum, quod uoluntati episcopi aduersaretur. at ubi primum fuit scelus patefactum, coactus mox fuit frequens senatus, & illud decretum nouo senatus consulto magnificè fuit abrogatum. Notam prætcrea inurunt ei societati, quæ corporis Christi nuncupatur, quę societas totam ferè ciuitatem complectitur.

fingunt

fingunt enim, omnes uno animo sentire contra episcopum. verum, si uultis mendacium patefieri, cogatur tota illa societas, proponaturque, vt suffragia dentur, & obseruentur, quot sint ij, qui regi se episcopi sui consilio velint, & qui eo inuito & contempto, suis obsequi appetitionibus cupiunt, & uix inuenientur decem, qui tam scelerato in pastorem suum sint animo, vt quę ad iudicium episcopi pertinent, ipsi sibi uelint usurpare. Ignominia etiam totam ciuitatem afficiunt. nam horum uitio uulgatur res per vicinas ciuitates, diciturque, non paucos quosdam, sed Fulginates impiè aduersus episcopum suum decertare, sibique episcopi officium sacrilegè vsurpare uelle. Et hęc quidem maximam vobis ignominiam pariunt, sed imminens damnum magis me solicitum habet. vereor enim, ne hic aureus calix, quem isti posuerunt in manu Domini, totam urbem inebriet, vt aliquid à propheta accipiam. nam memini ob unius peccatum in ingentem multitudinem iram Dei deseuisse. cum enim Achan Iof. 7.
contra Domini pręceptum tulisset de anathemate Ierichuntino, ob unius peccatum multi in prelio fuerunt interfecti. sic ob 1. Par.
unius Dauid peccatum in numerando populo, septuaginta mil- 121.
lia uirorum, trium dierum spatio pestilentia interierunt. quod si unius peccatum tanti mali fuit causa, vbi in ciuitate plures peccant, & illud peccatum, quod idololatriæ comparatur, nam quasi idololatrię scelus est (inquit) nolle acquiescere, quid ultionis non 1. Re. 15
est metuendum? nollem uos uestrę inertiæ serò pœnitere, & tum demum errorem agnoscere, cum flagella sentietis. nullus uestrum nunc se in hac re peccasse arbitratur. at flagella uos omnes peccasse arguent. nam non prohibere peccatum, cum possis, est participem esse peccati. Inuitus ego quidem hæc dico, sed Diuinæ mihi intentantur minę, nisi uenientem gladium longè antè Eze. 33.
præuideam, ac præmoneam. uidete enim, quid Ezechieli dicatur. [*fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. audiens ergo* Eze. 3.
ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. si me dicente ad impium, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius à uia sua, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.] audistis imminens capiti meo periculum, & quàm iustè ista admoneam, ne sanguis uester de manu mea requiratur? date ergo operam, ut, quo tempore absens ero, tamen

perniciosus error auferatur. & quidem poteram ego mea aucto ritate efficere, ut calix ille inde pręcipitaretur, sed uolo uos id facere cum gratia, non per uim, quod uobis à uestro pręcipitur episcopo. Neque uerò minor danda opera est, ut bona, quæ iam Dei benignitate in hanc urbem fuerunt introducta, conseruentur: & nunc tempus est, ut uos ea commemoretis inter uos, quæ interdum mihi soletis obijcere. cum enim uestrum aliqui audiunt me ex hoc loco conquerentem, pœnitere me, quantum in hac urbe operis fiat, adeunt me consolandi mei gratia, dicuntque, nimium penè effectum me episcopo. sublatæ sunt (inquiunt) impiæ illæ ac fœdę blasphemiæ, quę passim per urbem audiebantur. sublatus publicè ludendi abusus. meretrices, quæ ad uestras anniuersarias ac solennes nundinas quotannis suas & ipsæ merces afferentes, urbem inficiebant, exclusę sunt. fucum huius urbis mulieres deposuerunt, uestium pompis termini positi, eleemosynarum usus ita auctus, ut, cum hi postremi anni maiore penuria laborauerint, quàm superiores omnes, quos meminerimus, nullæ uoces clamantium ob famem auditæ sint, quę olim audiebantur. hęc & huius generis alia, quę commemorare mihi soletis, uelim nunc memineritis, curetisque, ut tot bona, ac tam egregia facta incrementum potius accipiant, quàm ulla ex parte minuantur. quod profectò facietis, si pręsentem rerum statum non cum superiori tempore, sed cum Euangelicis regulis conferatis. nam hęc quidem rerum conditio pulcherrima est, si cogitentur superiorum annorum sordes, ut uideatur nouum uer cum hieme collatum. sed, quemadmodum in uere delectat quidem vos post horridam hiemis faciem uidere flores, ac reuirescentem terràm. uerum non hoc estis contenti, sed expectatis fructus ęstiuos, quos uerni flores promittunt. ita existimare debetis, hæc quæ facta hactenus sunt, ueluti vernos flores esse, post quos maturi fructus sunt expectandi. ad quam maturitatem nisi uos inuicem alter alterum adhortemini, metus est, ne illud accidat, quod in uere usu euenire interdum solet, ut aliqua cœli intemperies flores deijciat, ut in æstate percipi fructus non possint. sic nisi studium adhibeatis, ut hoc quod cœptum est, augeatur, nullo negocio hæc spes uestri progressus abiret, atque inanis reperiretur. nam res humanæ ita se habent, ut cum aduer-

so

ſo quis flumine nauim trahit. oportet enim, ut continuo remorum impulſu eam ſubigat, quòd ſi remittat brachia, mox rapit eam pronus fluminis curſus, & nautæ labor inanis eſt effectus. Laborandum ergo uobis eſt, ut hæc ueſtra nauis optatum portum aliquando teneat, quod non fiet, niſi ualidis neruis incumbatis. cernitis enim in naui, rectori quidem nauis præcipuam eſſe curam illius regendę, uerum niſi reliqui nautæ ſuo quiſque officio fungantur, nihil rector ſolus efficiet. ſic labores omnes mei fruſtra ſuſcepti erunt, niſi & uos manum operi admoueatis. quod animoſè profecto facietis, ſi cogitetis, quanto cum labore ad hunc ſtatum perducta ciuitas ſit, quanta bona, ſi curetis eum augere, uel certe conſeruare, ſint ſecutura. quàm ingens damnum impendeat, ſi relabatur. memineritis, quid in Euangelio admoneat Dominus. [*cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens dicit. reuertar in domum meam, unde exiui, & cum uenerit, inuenit eam ſcopis mundatam atque ornatam. tunc uadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nocentiores ipſo, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora primis.*] hoc uehementer uobis eſt metuendum, & ſemper quidem, ſed multò magis quo tempore abeſt paſtor. tunc enim animoſius lupi graſſantur in gregem. memineritis, quod admonet Petrus. [*ſobrij eſtote & uigilate, quia aduerſarius ueſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.*] ſi corporei hoſtes ingruerent, tota egrederetur ciuitas, omnis ętas, omnis ſexus, pro ſua quiſque parte afferre opem conaretur, quamuis malum, quod impenderet, temporarium eſſet, & quę amittere metus eſſet, certe per mortem ſint amittenda. ubi uerò æterna ſalus agitur, atque inuiſibiles hoſtes noctes & dies inſidiantur, omnes dormiunt, nemo ſuccurrere huic periculo mecum conatur. ita ſolus relinquor, perinde quaſi negocium hoc ad uos nihil pertineat. cum tamen ueſtra duntaxat, aut certè in primis agatur cauſa. nam ubi meos quantos poſſum, labores impendero, cętera ueſtra erunt, ſiue uirtutum præmia, ſiue Diuinæ ultiones. quę cum ita ſint, tam ingens tamen inertia omnes occupauit, ut hoc uno uideri contentus poſſim, non ſi à quoquam veſtrum iuuer, ſed niſi quiſquam in veſtra quærenda ſalute mihi ſit impedimento.

Mat. 12.
Luc. 11.
1. Pe. 5.

quare obsecro uos per Dominum Iesum, vt tandem aliquando incipiatis expergisci, & tantum veternum à uobis excutiatis. Ex ijs autem, quæ me absente curæ esse vobis cupio, tria hic commemorabo. primum, vt, siquem forte auditis (quanquam spero non facile id euenturum) blasphema uerba proferre, illum notetis, mihique per literas prodatis, ut in eum seuerissima castigatione animaduertam. alterum est, quod ad publicè ludentes pertinet, quibus nostis me iandudum excommunicationem ac pecuniariam pœnam interminatum. quòd si uidero uos inertiores ad hos cohibendos, polliceor, & multò ante denuntio, me, ubi reuersus è uilla Deo iuuante fuero, non in ludentes solum, uerum etiam in spectatores animaduersurum. hæc autem duo uelim etiam prefecto urbis ac prætori sint cordi, qui si studiosè hoc negocium tractauerint, copiosa illis apud Deum merces non deerit. contra uerò, si officio defuerint suo, mala, siqua fient, quæ impedire ipsi potuissent, eorum negligentiæ ascribentur. Tertium est, ut, quod senatusconsulto superioribus diebus decretum fuit, ante quàm reuertar, absoluatur, ut scilicet locus unus, quemadmodum bene constitutæ ciuitates habent, & olim habebat hæc ciuitas, seorsum meretricibus constituatur, ne tam miserè inficiatur, quàm quotidie, atque adeo in dies magis infici cernitur. optarim, vt hæc ciuitas generosos illos animos induat, quibus olim erat prædita, neque ita multò ante. sunt enim adhuc, qui hoc meminerunt, mihique narrauerunt. fuisse hunc egregium morem, vt quæcunque mulier deprehensa fuisset, meretriciam artem exercere, confestim palàm cum tubæ sonitu ad lupanar perduceretur, vt lupæ in suis lustris ac lupanaribus degerent, neque incolumes vrbis partes suo commercio vitiarent. hi mores sunt à vobis repetendi, nisi vrbis vestrę nomen esse inane vultis. cum enim à fulgore nomen accepisse videatur, nisi clarescat, & fulgeat virtute & rectè factis, non Fulginea à fulgore, sed à fuligine Fuliginea digna erit, quæ vocetur. quod sanè maximum in vestrum dedecus esset redundaturum. sed, quando de charitate
1. Co. 3. scribens Paulus ait, eam sperare omnia, omnino sperandum est, vos in tanto rerum cardine minimè cessaturos, sed pristinam huius vrbis dignitatem recuperaturos. Quod reliquum est, iuuate me vestris ad Deum precationibus, vt siue pręsens siue absens

(nam

(nam vtroque tempore vobis veſtræque vtilitati ſemper ſtudeo) ea & cogitem & faciam, quę & Deo grata & vobis vtilia ſint futura. vt demum grex cum ſuo paſtore promiſſa iuſtis bona conſequamur. iuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & imperium ſempiternum. Amen.

ORATIO LXVIII.

Poſt reditum è villa.

PAVLVS apoſtolus, ſapientiſsimus eorum, qui præſunt, magiſter, cum perſuadere Corinthijs conaretur, vt æquo animo ferrent, quòd illis ſine ſumptu prædicaret Euangelium, neque ab eis accipere quicquam vellet, dixit. [*parentes theſaurizare debent filijs, non filij parentibus.*] quibus verbis docemur, oportere prçſules parentes carnis imitari, qui labores omneis ſuos ac totam vitam impendunt parandis opibus, quibus demum filij ſint fruituri. hoc ego intelligens, do operam pro viribus, vt non ſolum labores omnes mei veſtræ vtilitati ſeruiant, verum etiam, quicquid temporis mihi datur, in id inſumatur, quod vobis aliquando ſit profuturum. quod niſi prçſtarem, inferior eſſem ethnicis, qui cenſent, eſſe non modo eius, qui ſocijs, & ciuibus, ſed etiam eius, qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis vtilitatique ſeruire. quare hoc bimeſtri, aut non multò ſecus, ſpatio (nam paſtorum ac præſulum, non minus ocij, quàm negocij rationem extare oportet) quo abſens à vobis ruri habitaui, non ſum veſtri oblitus, ſed tractare ea curaui, quæ, cum præſens ſum, inſeruire veſtrę vtilitati poſsint. Non nego equidem illam huius temporis extra urbem moram, non nihil ad recreandas & animi & corporis uires ualuiſſe, ſed duo tamen erant, quæ efficere poſſent, ut illam iucunditatem minus ſynceram haberem. unum, quòd metuendum mihi ſemper eſt, quod

1. Co.9.

2.Co.14.

quidam inter externos scriptores scitè dixit de quouis patresfami-
„ lias peregrè proficiscente, quòd scilicet domum reuertenti cogi-
„ tandum sit, aut filij peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum
„ filiæ. quanquam non est necessarium hoc ab externis accipere,
cum habeamus Pauli exemplum, qui dum abesset, semper soli-
2.Co.12 citus erat de suis. [*metuo* (inquit ad Corinthios scribens) *nequa fiat, ut, si uenero, non quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis, qualem nolitis. nequo modo sint contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, seditiones. ne iterum, ubi uenero, humilem faciat me Deus meus apud uos, & lugeam multos eorum, qui antea peccauerunt, nec eos pœnituit immunditiæ, libidinisque, & impudicitiæ, quam patrarunt.*] ob hanc cau-
2.Co.13. sam absens etiam scribebat, ut paulò post ait. [*propterea hæc absens scribo, ne, cum præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem.*] Hæc eadem cogitatio me, quo tempore absum, solicitum tenet. ob hanc causam pro literis, quas scribebat Paulus, reliqui uobis eum, qui uices gerit meas, qui uos uerbo Dei identidem pasceret. si enim, cum præsens sum, uix quosdam continere in officio possum, quantò magis metuendum hoc absenti mihi est? &
Deu. 31. penè eadem dicendum cum Mose. [*si præsente me, & ingrediente nobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum, quantò magis cum recessero à uobis?*] quę uerba etsi non in uos omnes conueniunt, scitis tamen ipsi, quàm uera in plerisque sint. Et hæc quidem una est causa, cur minus syncera iucunditas ex amata mihi solitudine queat proficisci. altera est nihilò, quod ad meas priuatas rationes attinet, priore inferior. id enim mihi accidit, quod usu eueniret alicui, qui pulcherrimam, ac summę sibi utilitatis rem multos annos maxima cum uoluptate tenuisset, deinde ea res per uim sibi fuisset erepta. hanc siquis ei singulis annis semel ostenderet, neque aliam fruendi copiam prętерea faceret, is non tam aspectu amatæ rei delectaretur, quàm doleret illius recordatione, quam amisit. in hunc se modum res habent meæ. contigerat mihi ante episcopatum triginta iustos annos frui in cœnobio beata solitudine, à qua cum ea ui, quam omnes nostis, auulsus fui. nunc uerò, cum singulis annis pauculos dies imaginem quandam prioris felicitatis repeto, magis me torquere idonea est

cogitatio

cogitatio amissi boni, quàm breuis usura huius momentanei delectare. neque enim humana ulla, quæ uocantur bona, si etiam maxima quęque contingant, ut maximi honores, summa potentia, supremę opes, ęquare possunt illud animi bonum, cum eò peruentum est, ut sensus claudens hosce externos, sese intra se recipiat, & in terra adhuc degens terram relinquat, illamq; uitam, quæ in futurum promittitur, iam repræsentet, ac pignus expectati boni in præsenti teneat, vt dicere cum Paulo, atque eius similibus possit, [*consuetudo nostra in cælis est*.] at hæc felicitas agnosci ab illis non potest, qui uoluptatem aliam nullam intelligunt, quàm illam gulę, & uentris, & eorum, quæ sub uentre sunt. aut alias diuitias pręter pecunias, & immanes ex agris prouentus. aut alias dignitates & honores, præter satellitium, & in reliquos homines externam hanc potestatem, & imperium. ad quorum errorem reprehendendum, satis sunt ea, quæ ab externis & poëtis, & oratoribus, & philosophis dicuntur. simillimè enim mihi facere videntur ij, qui ijs duntaxat delectantur, quę sensibus blandiuntur, vt siquis explere famem cupiens, sinum aperiret, ac cibos omneis in eum immitteret ita, vt nihil per os in uentrem iret. hic profectò famem non depelleret. sic nimirum, qui opinantur, ex ijs voluptatibus, quæper sensus percipiuntur, hominem expleri, falluntur maximè, cum ad eam hominis partem non perueniant, quę sola hominem constituit, id est, ad mentem & rationem, sed brutis animantibus sint communia. & tamen maxima hominum pars hanc sequitur erroris opinionem, & propterea pauci admodum sunt, qui interioribus bonis frui, id est, veris, ac homini proprijs, & secum habitare, in se descendere, atque in sinu, vt dicitur, gaudere sciant. quòd uerò ij, qui mente magis, quàm sensibus consueuerunt delectari, non solum voluptatibus, sed etiam honoribus, ac dignitatibus, priuatam interioris hominis delectationem anteponant, & contra ij soli, aut in primis hisce externis ambiant honestari, qui bonis animi frui nesciunt, pulchè rin sacris literis ostenditur illa parabola, in qua dicitur, olim ligna decreuisse regem sibi constituere. & cum rogassent primum oliuam, deinde ficum, tertiò vitem, vt vna earum regnum acciperet, & hæ singulæ recusauissent propterea, quod nollent suam & pinguedinem, & dulcedinem,

Phil. 3.

dulcedinem, ac suauissimos fructus relinquere, qui & Deum & homines oblectarent, demum rogarunt rhamnum, arborem spinosam. at illa mox acquieuit postulationi, & regnum accepit. quare uerissimum ego sanè arbitror, quod quidam inter externos philosophos præstantissimus dixit. si daretur res publica, in qua omnes essent sapientes, maiorem inter eos futuram contentionem detrectantium ciuitatis gubernacula, quàm nunc est in alijs ciuitatibus, eorum, qui talia expetunt. Non ergo iudicet quisquam, magni me aliquid dixisse, cum solitudinem antepono ijs rebus, quæ tanti à plerisque omnibus fiunt, cum ethnici
Eph.2. etiam, & quos sine Deo Paulus uocat, id intellexerint. vt quidam ex eis, qui paulum quid è Platonis philosophia degustauerat, dixerit, [mihi recessus & solitudo prouincia est.] multò uerò hoc magis episcopo est consentaneum, qui si etiam haberet ciuitatem optimam, & optimis moribus præditam, clerum compositum, obsequentissimos ciues, & qui labores episcopi agnoscerent, gratique essent, ac consilijs illius omnibus, ac monitis obtemperarent, & augere semper illum honoribus certarent, ista tamen omnia, atque ijs multò plura tanti non sunt, vt ob ea fructus, qui ex solitudine capiuntur, relinqui debeant, si hoc illius arbitrio permittatur. cum uerò rarissimè ista accidant, sed frequentius fit, ex benefactis calumnias, &, cum optimè fueris meritus, ingratitudinem reportare, multò minus est mirandum, si ij, qui mente aliqua præstant, malint, si optio illis detur, recessum, ac solitudinem, quàm hasce sensuum blanditias, & ueluti Sirenum cantus, qui nihil aliud demum, quàm interitum afferunt. Et hæc quidem in omnibus hominum gradibus uera esse debent, sed potissimum in episcopis, qui ut subiectorum uoluntatibus satisfaciant, nescio quid plus homine, ac planè Diuinum habere illos oporteret. nam id ab illis plures expectant. ecce enim rem uobis penè ridendam, sed quę tamen ad materiam, qua de loquimur, pertinet, uobis narrabo. duobus ab hinc, opinor, annis, cum ruri agerem, accidit, vt vulpes filios prope illud rus peperisset, quare vt filios educaret, multas in illa uicinia gallinas est suffurata. hæc res cum aliquot dies progrederetur, muliercula quędam ita conquesta est. quid agit episcopus, qui huic malo non medetur? censebat enim, posse episcopum, atque adeo debere

here, etiam brutis, ac feris imperare. uerum, quid ego mulierculam in medium propono? quàm multi fuerunt hisce superioribus annis, quibus frugum penuria, & tritici caritatem laborauimus, qui intempestiuas pluuias, & cœli intemperiem, & agrorum sterilitatem episcopo referrent acceptam? ita quicquid accidit mali, episcopus vulgi iudicio in culpa est, cum succedunt prospera, nullam in ea re episcopus partem habet. Hæc omnia siquis contempletur, ignoscet meo huic affectui, neque ęgrè feret, siquid humani interdum patior, cum amissæ felicitatis mihi in mentem uenit. verum, quando Spartam (vt est in prouerbio) sorti.us sum, ea mihi ornanda est, & bibendus calix, quem dedit mihi pater. quare ad negocium Euangelicum de more, post duorum horum mensium interuallum, redeundum est, quod cum sequenti Dominico die aggredi animus sit, vt paratiores eo die uos habeam, meminisse debetis, me superiore annó per hosce ipsos dies inchoasse Euangelicam historiam, à Luca Euangelista conscriptam, vt illud uitium tolleretur, quod pastorum culpa in Christiano orbe plura iam secula inoleuit, ut, dum verbi Dei concionatores selectas quasdam Euangeliorum parteis quotannis easdem repetunt, nunquam à populis integra Euangelica historia audiatur. uitandi ergo, ac tollendi huius erroris gratia, decreuimus integrum deinceps Euangelium à Luca scriptum interpretari. quod si fiat, paucis annis omnem Seruatoris Christi uitam, dictaque eius, ac facta edocti eritis. quę res quantum ad vitam cum pietate degendam sit necessaria, quid attinet dicere, cum unus hic nobis scopus propositus sit ad imitandum? & sanè res hactenus Dei benignitate feliciter cessit. animaduerti enim, uos historia illa, quæ nunquam ex hoc suggestu fuerat vobis hactenus declarata, uehementer delectatos, & præterea illis mysterijs affectos, quę salutis nostrę gratiæ missa ad nos fuerunt. neque verò, quę sequuntur, minori uobis vtilitati sunt futura, quorum etiam vt unusquisque uestrum magis esse capax possit. nam etsi plerosque uestrum scio omnia retinere memoria, quæ dicta hactenus sunt, quia tamen maior huius conuentus pars non satis est exercitata, pręsertim mulieres, quarum non minor est habenda ratio, quàm virorum. atque hoc nostra philosophia ab externa differt, quòd illa paucos admodum admittit, si totam

Adag.

si totam hominum multitudinem contemplere, & eos, qui ingenio sint perspicaciore ad capessenda philosophiæ dogmata. nostra uerò quamuis maiora multò, ac celsiora complectatur, omnem tamen ætatem, omnem sexum, omnem hominum conditionem recipit. quin oportet pastorem maius adhibere studium pascendis imperitioribus, quàm reliquo hominum generi.
1.Cor.3. [*lac* (inquit) *nobis potum dedi, non solidum cibum.*] & Dominus
Ioa.21. commendans Petro suum gregem, prius agnorum meminit, quàm ouium. ob hanc inquam causam, vt scilicet omnes, qui huc conueniunt, uiri ac mulieres aptiores sint ijs intelligendis, quę ex sancto Euangelio deinceps tractabuntur, iudicaui, non inutile futurum, si ea, quę sex mensium spatio tractata à nobis fuerunt, breuiter vobis ante oculos ponam. Scripturus Euangelista Lucas Seruatoris Christi historiam, prius de generatione, atque ortu tractauit Ioannis Baptistæ. prudenter sanè, atque artificiosè. iustum erat enim, ut eius historia prius poneretur,
Luc. 1. tur, de quo dixerat angelus patri Zachariæ. [*ipse præibit ante illum in spiritu & uirtute Eliæ.*] scribit ergo primum Lucas, quo pacto Zacharias sacerdos esset, atque vxorem haberet Elisabet, quæ cum esset sterilis, & ambo prouectę iam essent ætatis, nihil posthac de suscipienda prole spei superfuerat. illo autem ipso tempore, quo humana spe fuerant destituti, felicissima promissa
ibidem. facta illis fuerunt. [*cum enim Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine uicis suæ coram Deo,*] & ingressus esset in templum Dei, ut odores incenderet, precareturque pro suę gentis salute, quæ per aduentum expectati Messiæ paranda erat, apparuit ei angelus, & dixit, non solum precationem eius fuisse auditam, uerum etiam addendum forè, quod ipse non postulauerat, quòd scilicet Elisabet eius uxor paritura esset ei filium. at quem filium? quo maior propheta nunquam inter natos mulierum surrexisset, qui spiritu sancto iam inde ab utero matris suę replendus esset, multosque filiorum Israël conuersurus ad Dominum Deum ipsorum. qua in re duo nobis sunt obseruanda maximo usui futura. primum, si nos Diuinæ regendos prouidentiæ permittamus, fore, ut multò maiora in nos Deus conferat, quàm optemus. neque enim tantum hi parentes filium ausi fuissent postulare, quantum acceperunt. deinde tum libentius ac copiosius Deum nobis be-

nignè

nighe facete, cum de proximorum utilitate cogitamus. quod Zachariæ contigit, cui, cum de populi ac suę gentis salute precaretur, tum hic filius promissus fuit, ac datus. Regressus demum Zacharias post impletos officij sui dies, non potuit quidem uxori rem patefacere, cum mutus, ut meministis potestis, in illa uisione, atque cum angelo collocutione factus fuisset, uerum concepit Elisabet, & quia iam anus conceperat, pudebat eam aperire sese. pulcherrimum sanè muliebris pudoris exemplum, in re tanti gaudij atque honoris erubescere unam ob causam, ne uideretur in senectute operam dedisse uoluptati. tale etiam quid de Sara scribitur. [*occultauit ergo sese Elisabet mensibus quinque*.] *Gen.* 18. nam in mense sexto res aperta fuit, cum Gabriel angelus à Deo *Luc.* 1. missus ad Mariam uirginem, nuntiauit ei, quòd conceptura in *ibidem.* utero esset sine uiri commercio, sed spiritus sancti uirtute, & paritura filium, qui altissimi filius uocandus esset. in qua historia illud inter cætera admirandum exemplum audistis uirgineæ constantię ac prudentiæ, quę neque honorificis angeli salutantis verbis sibi placuit, sed potius suspensa cogitabat, qualis esset illa salutatio, neque ad tam felicia tanti filii promissa prius acquieuit, quàm audisset, quo pacto futura fuisset illa generatio. in ipsa autem collocutione aperuit angelus Mariæ, quemadmodum Elisabet concepisset filium in senectute sua. quo audito, ubi discessit angelus; [*exurgens Maria cum festinatione abijt in Montana*,] ubi *ibidem.* erat Elisabet, eamque inuisit, ac salutauit, & quo potuit gestu, filium Dei in uirginis utero delitescentem adorauit, eique assurrexit. repleta item est Elisabet spiritu eodem sancto, per quem agnouit Mariam esse grauidam (nam externo intumescentis uteri signo intelligere id non poterat, cum tam recens concepisset) & eum, quem gestaret in utero, Dominum esse suum. prędixit quoque implenda esse ea, quæ dicta illi fuissent à Domino, quibus uerbis successit, canticum illud egregium Mariæ uirginis, canticum laudis, & gratiarum actionis. quem morem seruatum fuisse ostendimus apud Hebræos plerunque in acceptis à Deo beneficiis. Fit pręterea mentio partus Elisabet, lætitiæque ac gratulationis cognatorum ac uicinorum, quòd magnificasset Dominus misericordiam suam cum ea. in qua etiam natiuitate duo acciderunt signanda miracula. unum, quòd uterque parens, cum

alter de alterius voluntate nihil sciret, dixit, puerum debere Ioannem appellari. alterum, quòd mox, ubi impleta fuerunt ea, quę futura prędixerat angelus, [*apertum est os Zachariæ, & lingua eius, et loquebatur benedicens Deum. et repletus spiritu sancto prophetauit*] ea, quę in cantico ab illo edito nostis contineri. neque caret admiratione, quòd puer ille Ioannes ab ipsa tenera ętate, spiritu nimirum Dei agente, uersabatur in desertis, vsque ad diem ostensionis suæ ad Israël. de qua sequenti Dominico die iuuante Deo verba faciemus. Magna sunt hæc omnia, & admiranda, & quę, cum à nostra philosophia discesserimus, nusquam reperiantur. sed multò maiora sunt, quæ sequuntur, & stupore potius, quàm narratione digna. describitur enim deinceps, quo pacto in Bethlehem Iudææ, quò Ioseph cum Maria profecti erant, ut iuxta Augusti decretum profiterentur, natus est filius Dei in stabulo, & in præsepi collocatus, eo quòd non esset ei locus in diuersorio. O factum, quod ipsos etiam angelos commouit vt è cœlo descenderent, atque illud contemplarentur. nam audistis angelum pastoribus nocturnas custodias obseruantibus apparuisse, ac narrauisse, quę facta fuissent. neque hoc contentas cœlestes illas mentes adiecisse etiam, vt fieret cum angelo, qui hæc nuntiauerat,

Luc. 2. [*multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum,*] & gloriam ei canentium, quòd hominibus voluisset reconciliari. Narrat pręterea Euangelista, quemadmodum puer octauo die fuerit circuncisus, & is, qui fuerat auctor legis, legi obnoxius esse voluerit,

Gal. 4. [*ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ac adoptionem in filios acciperemus.*] narrat, quo pacto, cum quadragesimo die allatus fuisset Iesus in Ierusalem, vt seruaretur consuetudo legis, significatum fuerit seni illi venerando Simeoni, aduenisse illum, de quo iam

Luc. 2. antea [*responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini.*] quare [*uenit in spiritu in templum,*] &, cum infantem vlnis excepisset, ac Deo gratias egisset, breui illo quidem, sed mysteriorum pleno cantico prędixit matri, qualis infans ille futurus esset, ac quæ ipsi matri essent euentura. fit etiam Annę prophetissæ mentio, quæ processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à uirginitate sua, & hęc in uiduitate vixerat vsque ad annos octoginta quatuor, quę non discedebat à templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens

nocte

nocte ac die. & hac ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Demum narratur, quo pacto, cum duodecim esset annorum, ascenderit cum parentibus in Ierusalem, atque in eorum discessu ipsis nescientibus ibi ipse remanserit, demumque repertus fuerit in templo sedens in medio doctorum, audiens illos atque interrogans, quodque stuperent omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius: denique quòd descenderit cum parentibus, & venerit Nazaret, essetque illis subiectus, nempe Deus hominibus. quod quanti sit, & quanti hoc exemplum à filijs in parentes æstimandum, nihil necesse est longiori oratione rem persequi, quæ sua sponte clamat. quid enim non supremę obedientiæ, submissionis, subiectionis pręstent filij parentibus, cum ille filius Dei parentum omnium parens, tot annis Ioseph ac Marię fuerit obsequentissimus? Hactenus de historia à Luca scripta tractatum superiore anno à nobis fuit, quibus diebus loqui de illa potuimus. nam in diebus quadragesimę, & paschali toto tempore, alia quędam tractare fuit necesse. cętera deinceps consequenti tempore tractabuntur. reliquum illud est, vt frequentes adsitis, & auidè cœlestibus hisce alimentis pasci studeatis, ne tantis Dei donis ingrati vnquam fuisse deprehendamini. verè enim [*non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*] hęc si habuissent philosophi illi, qui generosius aliquantò, quàm cæteri, sunt philosophati, multò maiores, quàm nos, in hac uia fecissent progressus. quod icirco mihi persuadeo, quia cerno eos ex minimis quibusdam coniecturis, quas assequi cogitatione potuerunt, tantum profecisse, vt humana omnia contemnerent, ac pro nihilo putarent. nos verò si in tantis diuitijs paupertate laboremus, atque in hac ciborum abundantia pasci recusemus, quantam nobis accersemus condemnationem? quare quoties huc conuenitis, cogitate rerum maiestatem, quæ tractantur, neque in sola exiguitatis meę contemplatione immoremini. etenim nihil ego de meo huc affero, sed ea tantum uobis interpretor, quę filius ipse Dei è cœlo ad homines attulit factus homo, eorundem hominum salutis gratia. meminerimus hęc sola esse, quę viam ad cœlum nobis commonstrant, atque immortalem illam ac beatissimam uitam docent adipisci. cum enim Ps. 147.

ab his audiendis, & ab horum cogitatione, collocutione, consue
Matt. 8. tudine discesseritis, continuò in tenebras descenditis, quę de-
Luc. 13. mum ad illas extremas tenebras transmittunt, in quas Seruator Christus dicit impios ac peccatores esse conijciendos. nam ipsi uos iam estis experti, siquando aliqua occasione aut impedimento fit longius interuallum huius muneris annuntiandi verbi Dei, mox animum ad terram deprimi, & uigorem illum, quem continuatio Euangelicæ prędicationis seruare atque augere solet, amittere. Et sanè, si negocium hoc id vnum præstaret, ut ad beatam ac sempiternam uitam comparandam prodesset, deberemus die ac nocte in illud incumbere. uerum, quando etiam ad hanc uitam tranquillius agendam plurimum confert, quam habent Christiani homines excusationem, si non omnes huc suas cogitationes referunt? uultis uerò, ut breuibus uobis ostendam, hoc ita se habere? agite, uideamus, quęnam sint, quę tranquillum animum reddant. nam in hoc uno est uitæ humanæ solatium ac quies, si uidelicet quietus sit animus. quandiu enim perturbatus est, tandiu nullæ uoluptates, nullæ opes, nulli honores iuuare illum possunt, sed omnia ueluti in uas minimè syncerum coniecta acescunt, & iucunditatem illam, quam habere secum solent, amittunt. quęnam ergo sunt, quæ in omni rerum statu constantem mentem seruant? sola profectò sacrarum scripturarum medicina; quòd quæso mecum sic cognoscite. reperitur aliquis in summis calamitatibus uersari, in rerum omnium iactura, in filiorum amissione, atque interdum utraque eodem accidunt tempore: is accurrit ad sacrarum scripturarum medicinam, à quibus discit, nihil sine Dei nutu accidere nobis posse, cuius erga nos charitas cum parentum omnium amorem longo superet interuallo, cogitat illa omnia, quę tam aduersa uidentur, utilitatis suę gratia fuisse facta, & hac cogitatione intra animi penetralia recepta, mox omnis perturbationum tumultus conquiescit, & perinde sedatur animus, quasi nihil aduersi sit passus. his munitus armis magnus ille Dei athleta Iob suprema illa pertulit mala tranquillo animo, quę alioqui naturæ humanæ uidebantur non ferenda. cum enim tantarum facultatum, tot gregum, tot armentorum iactura, & præterea omnium filiorum interitus, eodem et uno tempore significatus illi fuisset, ad Diuinę prouidentię contempla-

templationem perfugiens dixit. [*Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*] sic cum postea corpus eius pessimo ac crudelissimo morbo affligeretur, & eius patientiam uxor reprehenderet, respondit. [*si bona accepimus de manu Domini, mala quare non perferamus?*] cernis, ut supremas hasce difficultates exiguo negocio superauerit hac una uia, dum ad Diuinæ uoluntatis & prouidentię considerationem se recipit, quæ omnia legendis, aut audiendis scripturis sacris perdiscuntur? at quantum hoc est, habere pharmacum, quo molestię omnes, quę inuadere hominem unquam possunt, superentur? rursus alius abundat opibus, honoribus, dignitatibus, quibus insolescere homines solent, & in multò plures & grauiores incidere perturbationes, quàm ij, qui aduersis premuntur. hinc enim lasciuia carnis, & aliarum corporis uoluptatum examina ita hominem obruunt, ut brutis animantibus parem, atque interdum inferiorem faciant. inde contentiones, & æmulationes, & maiora adipiscendi ardor ita exstimulant, ut euripi fluctus non sint frequentiores: at verò, si iste sacrarum scripturarum perfugium quęrat, omnia pacata habebit. discet, oportere hominem, omnibus à Deo acceptis bonis in eiusdem Dei honorem vti, & in proximi cuiusque vtilitatem. quare, quantum satis erit ad uictum & cultum Christiano homini consentaneum, tantum in suos vsus insumet, cætera ita tribuet, vt pauperum necessitatibus, ac proximi cuiusque vtilitatibus inseruiant. quo vitę genere quid iucundius queat excogitari? liber est ab ijs curis, quibus reliqui diuites conficiuntur, qui dies, ac noctes excruciantur ob suas diuitias, quas dum amittere metuunt, etiam proprios filios suspectos habent, nedum alios fures. at, quicunque Euangelicis pręceptionibus obtemperant, thesauros suos recondunt in cœlo, [*ubi neque erugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt, nec furantur.*] Inter illa quoque, quę tranquillum seruare animum solent, illud est, si parentes filios habeant morigeros, compositos, obtemperantes paternis monitis. at hoc solę scripturæ sacrę integrè pręstare idoneæ sunt. iccirco Diuinus ille aiebat psaltes. [*in quo corrigit adolescentior uiam suam? in custodiendo sermones tuos,*] & quoniam parentes nihil minus, quàm hoc curant, fit, ut dignas sua incuria pœnas luant, & tam multis ob filiorum intemperantem vitam

Iob. 1. — Iob. 2. — Matt. 6. — Ps. 118.

tam doloribus, ac molestijs obnoxij fiant, ut præstaret, illos omni filiorum solatio fuisse destitutos. Quid pręterea molestiorem hominum uitam reddit, quàm odia, inimicitiæ, lites, contentiones, & continua dissidia? at ijs illi in primis inuoluuntur, qui se ab Euangelicis documentis faciunt alienos. qui verò assiduè ad ea accurrunt, & Seruatorem Christum admonentem audiunt, [*diligite inimicos uestros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite ijs, qui uos oderunt, orate pro ijs, qui ledunt, & insectantur uos.*] audiunt, [*habeto beneuolentiam cum aduersario tuo citò, dum es in uia cum illo, nequando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris.*] audiunt Paulum reprehendentem eos, qui lites inter se exercebant, ac dicentem, [*cur non magis iniuriam patimini? cur non magis damnum accipitis?*] illi inquam, quorum sępe aures eiusmodi cœlestia documenta circunsonant, abstinent à litibus, ab inimicitijs, ab odijs, quæ perturbationes cum desunt, in summa quiete, ac tranquillitate uersari necesse est. Quid? quòd siquis omnino cupiat hoste superior uideri, ex solis Euangelicis legibus hanc superandi rationem discere licet? qui enim putant, se tum superasse hostem, cum eum iugularunt, nimium crassè decipiuntur. id enim fecerunt, quod vel araneus, uel scorpius potest. oportet autem superandi rationem inuenire, quæ hominem deceat. ea uerò est, cum non corpus, sed animus, ubi ueri hominis est sedes, vincitur. at quo pacto uincitur? audi Paulum. [*non uosmet ipsos* (inquit) *ulciscentes dilecti. quin potius date locum iræ. scriptum est enim. mihi ultio, ego retribuam, dicit Dominus. si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum. si sitit, da illi potum. hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius.*] animaduertis miram uincendi artem, qua inimicus tuus sponte sua fateatur se fuisse à te superatum, & præterea hanc uictoriam cum utriusque utilitate partam? quod contra fit in illa, quam mundus docet. nam plerunque is, quem tu superauisse arbitraris, meliore apud Deum (quæ res pluris, quàm cętera omnia est facienda) est conditione. tu verò mali Dęmonis mancipium factus, in Geennam cum illo, & sempiternum ignem demum conijcieris, nimirum si eam victoriam, quam solam mundus nouit, persequare. Idem ipsum in quærendis honoribus vsu venit. vt is scilicet euadat honoratior, qui præce-

Mat. 5. ibidem. 1. Cor. 6. Rom. 12.

pta sequatur Euangelica, atq; id uia compendiosiore assequatur. vide enim quid doceat Dominus. [*cum inuitatus fueris ab aliquo* Luc. 14.
ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, et ueniens is, qui te et illum uocauit, dicat tibi, da huic locum, et tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. quin potius cum uocatus fueris, uade, accumbe in nouissimo loco, ut, cum uenerit, qui te inuitauit, dicat tibi, amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coràm simul discumbentibus.] Cernis & hic Euangelicę philosophiæ efficaciam, quę rem tanti ęstimatam, nempe honorem, doceat fugiendo potius, quàm ambiendo adipisci? qui uerò hunc ea via quærunt, quæ à mundo agnoscitur, sæpissimè frustratur eos sua spes. homines enim contentiosi natura sunt, &, quem uident ambientem, ei quàm maximè aduersantur, fugientem uerò & recusantem, honore prosequi contendunt. Hęc & alia multa frequens in Diuinis scripturis exercitatio bona secum affert, quæ etiam in hac uita & iucunditatem & utilitatem afferunt maximam. cui cum pręterea sempiternæ uitæ iucunditas, quam solam ęstimare plurimi debemus, coniuncta sit, insanus profectò est, qui se in hos thesauros non totum dat. Quare excutite omnem torporem, & uos inuicem adhortamini ad tanta bona capessenda. neque fiat, ut ob neglectum tam ingens beneficium aliquando pœnas demus, sed potius ob illud agnitum maiora pręmia consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est gloria, & magnificentia & & potestas & imperium, & nunc & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO LXIX.

De natiuitate Domini.

Pſ. 127. HODIE uox exultationis & ſalutis audita
eſt in tabernaculis peccatorum. liceat enim
mihi aliquantiſper mutare prophetę uer-
ba, ut rei, de qua facturi uerba ſumus,
aptius accommodentur. nam Seruator
Chriſtus uenit ut ſaluos faceret peccatores.
Mat. 9. [*non ueni (inquit) uocare iuſtos, ſed peccato-*
Pſal. 13. *res*.] [*omnes enim declinauerant ſimul, inu-*
tiles facti] fuerant, non erat, qui faceret bonum, ne unus qui-
Pſ. 117. dem. uox ergo exultationis, & ſalutis in tabernaculis peccato-
Luc. 2. rum. cum angelus paſtoribus dixit. [*annuntio uobis gaudium ma-*
gnum, quod erit omni populo, quia natus eſt uobis hodie Seruator, qui
eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.] Quamuis duo nobis in-
duendi eſſent affectus hac ætate, gaudii ſcilicet ac doloris. gau-
dendum eſt ob cœleſtia dona, quæ cœleſtis pater noſtro generi
eſt impertitus, quibus Diuinæ illę mentes inuidere poſſent, niſi
charitas, qua ſunt plenæ, quaque nos proſequuntur, effeciſſet,
ut admirari potius & gratulari uoluerint, quàm inuidere. gau-
dendum eſt, cum terra cœlum facta ſit. quid enim in cœlo maius
Eſa. 9. eſt ipſo Dei filio, qui nunc [*puer natus eſt nobis*,] ac naturę no-
ſtræ copulatus? quidni gaudeamus, cum ęternus ille omnium
conditor, non contentus iusſiſſe, ut angeli & purgatisſimę illæ
Heb. 2. mentes, omnes eſſent adminiſtri ſpiritus, qui emitterentur in
miniſterium propter eos, qui hęredes futuri ſunt ſalutis, uoluit
ibidem. præterea unigenam filium ſuum, non angelos, ſed Abrahæ ſe-
men apprehendere? magna profectò hęc ſunt lætitię argumenta.
Phili. 4. ob hanc cauſam Paulus uolebat, ut fideles ſemper gauderent, [*gau*
dete (inquiens) *in Domino ſemper. iterum dico gaudete*.] non ſatis
illi fuit ſemel dicere, ut gauderent, niſi repetiſſet eandem ad gau
dendum adhortationem. & hoc ſane uidetur pleriſque omnibus
poſ-

poſsibile non eſſe. qui enim fieri poteſt (inquiunt) vt hoc apoſtolicum præceptum quis ſeruet, cum infinitis quotidie moleſtijs obnoxij ſimus? alium egeſtas opprimit, alium morbus. hunc inimicorum inſidię diuexant, illum iactura rerum. huius peccauit filius, illius filia mortua eſt, aut vxor ægrotat. hic liberorum ſolatio eſt deſtitutus, ille tantum filiorum habet numerum, vt eis alendis non ſufficiat. hoc anno ſumma alimentorum penuria eſt, altero peſtilentia. denique tot moleſtiarum genera, quæ horis omnibus ingruunt, naturam hanc noſtram circunſtant, vt præſtatu minimè poſsibile ſit apoſtolicum hoc præceptum. quid ergo dicemus ad hæc? nempe quòd hæc Pauli verba non ſunt facta hominibus, qui ijs ſimiles eſſent, qui ferè hac ætate ſunt. conabatur apoſtolus animas noſtras à terra in altum euehere, atque ad cœleſtem conſuetudinem transferre, verum quicunque non aſſequuntur magnitudinem apoſtoli, circa terram & carnem, veluti vermes in cœno, obuoluti corporis affectibus, quærunt, quo pacto fieri poſsit hoc, quod apoſtolus mandat. ſed cum inuitat homines ad ſemper gaudendum, non quemlibet appellat, ſed eos, qui ipſi Paulo ſimiles eſſent, qui tanquam non viuens in carne, Chriſtum habebat in ſeipſo viuentem, & mens, quę ad ſummum bonorum peruenerat, non admittebat perturbationes carnis. omnino enim anima, quæ ſemel creatoris ſui deſiderio eſt inflammata, & aſſueta delectari, atque hilareſcere cœleſti pulchritudine, lætitiam illam & tranquillitatem non mutabit ob varios caſus affectuum carnis, ſed ea, quæ triſtia alijs ſunt, additamentum lætitię faciet. qualis erat apoſtolus, qui ſibi placebat in infirmitatibus, in afflictionibus, in perſecutionibus, in neceſſitatibus, & quamlibet indigentiam materiam faciebat gloriandi. [*in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in perſecutionibus & anguſtijs.*] & quæ alij ęgrè ferre ſolent, & auerſari, in ijs ipſe exultabat. cernebat enim, momentaneam hanc leuitatem humanarum afflictionum, mirè ſupra modum, vt ipſe dicebat, ęternum gloriæ pondus parere. non cernimus quotidie infinitos penè homines, vbi ſperant aliquod lucrum adipiſci, ingentes moleſtias, ſummoſque labores alacriter ferre? & aliquod nuntium, quod ingentem quampiam lætitiam afferat, efficere, vt grauiſsimas quaſuis moleſtias obliuiſcamur? eſto enim quis veſtrum, qui in ſupremam

[Margin: 2.*Co*.11. — *ibidem.* — 2.*Cor*.4]

RRRR mam

mam inciderit calamitatem, iacturam rerum omnium fecerit, in carcerem coniectus miserrimam agat vitam, & subitò significetur ei, se paucos post dies huius vrbis, atque etiam totius prouinciç huius vmbriç futurum dominum. hic proculdubio ad hoc nuntium totus exhilaresceret, ac omnium malorum, quæ passus esset, memoriam abijceret. at hoc multò magis hic esset faciendum, cum ista tam felicia nobis nuntiantur. quid enim est, obsecro, ita graue, quod horum cœlestium donorum, & paternæ Dei curç, quam erga nos ostendit, contemplatione, leuissimum continuò non fiat? orbatur aliquis liberis. vbi venit illi in mentem, quanti Deus se nos facere declarauerit, cogitat immensam illam bonitatem, & sua & eorundem filiorum vtilitate id fecisse, & mox ille orbitatis dolor conquiescit. priuatur alius facultatibus, inopia conficitur, refert animum ad prophetç verba, qui
Psal. 54. ait. [*proijce onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet.*] & quod ait
Rom. 8. Paulus, [*qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non simul cum illo omnia nobis est donaturus?*] ad hęc verba quis tam abiectus animus, tam desperata est mens, quç vires non recipiat ac recreetur? quare semper gaudendi vir Christianus materiam habet. Rursus dolorem mouere nobis debet tanta hominum ingratitudo, qui ad tanta ac tam Diuina dona non excitentur, non inflammentur, non exardescant. nemo ex animo afficitur tam admirandæ erga genus nostrum dignationi Dei, nullos sentio tanta de re misceri sermones, perinde quasi hęc nihil ad se pertineant. hi sanctissimi dies iocis, & epulis, & ludis, & mille vanitatibus toti dedicantur, & natalicij filij Dei dies in Bacchanalia sunt commutati. O' scelus mille fulminibus vindicandum. O' uerè barbaras & prophanas mentes. O' insanos animos. si nuntiaretur, Romanum pontificem, sub cuius imperio hęc ciuitas est, immunes vos ab omni tributo facere, & omnia auferre vectigalia, quibus oppressi hactenus fuistis, omnia rerum genera excogitaretis, quibus omnem grati animi pręberetis significationem. nullus esset in vrbe locus, vbi non audirentur voces exultantium, vbi non miscerentur sermones de hac vestri principis erga vos liberalitate. pararetis magnifica dona, quibus eum pro huius vrbis facultate muneraretis, quamuis hę sint res temporariç, & somno quàm simillimæ, & bona, quç quantum

tum essent duratura ignoraretis. nam alterius principis aduentus immutare omnia facile posset, nunc verò nuntiatur nobis aduentus filij Dei, quem cœlestis pater misit in terram, vt nos non à pecuniario tributo, sed vt à Diaboli tyrannide, cui totum genus nostrum erat obnoxium, liberaret, atque vt æternum nobis in cœlo regnum compararet, & tam admiranda beneficia, non auditur, qui commemoret, qui celebret, qui gratuletur, & gratias agat. non parantur munera tanto Deo conuenientia. multum se fecisse existimant, qui decem quadrantes ad has Christi, quæ fieri quotannis iam consueuerunt, nuptias conferunt, cum interea tot superuacuos sumptus faciatis, tot insumatis pecunias, vt carnis voluptatibus obsequamini, & humanę gloriæ ac vanitati inseruiatis, à quibus demum nihil pręter damnum & salutis iacturam sitis reportaturi. Hi tam alieni à Christiana vita mores me vehementer excruciant, & multis fletibus sunt digni, & in media hac lętitia summum mihi dolorem faciunt, cum videam tantam in vobis supinitatem, qui bona tanta vestra non intelligatis, quæ si attenderetis, nihil esset, quod hisce rebus iudicaretis anteponendum. nam hic omnia inueniuntur, quæ expeti vsquam possunt. si quęritur vtilitas, ex quibus alijs rebus percipi fructus potest, quod æquari possit lucro, quod ij faciunt, qui in hanc philosophiam bene penitus se dant? quid maius assequi potest homo, quàm regnum, quod fine careat, & illam in æternis cœli sedibus felicitatem? sin voluptas quęritur, animique iucunditas, quid iucundius, quàm in Euangelica philosophia versari, & in ea longiora conficere spatia? quę summorum philosophorum dogmata, cum nostris collata, pueriles cogitationes non sunt existimandę? quæ historiæ maiorem, vel admirationem, vel delectationem afferre homini possunt, quàm hæ Euangelicæ? sola mediusfidius ea, quam hodie Christi ecclesia celebrat, ac recitat, obscurare omnes ethnicorum historias idonea est. audite.n. quàm sint admiranda, quę Lucas, natiuitatem Seruatoris Christi narrans scribit. [*Factum est* (inquit) *in diebus illis, exijt decretum à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis. hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrenio, & ibant omnes, ut profiterentur in suam quisque ciuitatem. ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazaret, in Iudeam, in ciuitatem* David, *quæ uocatur Bethlehem,* Luc. 2.

eo quòd esset de domo & familia David*, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat prægnans. Accidit autem cum essent ibi, completi sunt dies pariendi, & peperit filium suum primogenitum, ac fasciis eum inuoluit, reclinauitque eum in præsepi, quòd non esset eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem, rusticantes et excubantes excubias noctu super gregem suum. et ecce angelus* Domini *astitit illis, et claritas Domini circunfulsit illos, et timuerunt timore magno. et dixit illis angelus. ne timeatis, ecce annuntio uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate* David*. & hoc uobis signum. inuenietis infantem fasciis inuolutum, positum in præsepi. & subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, ac dicentium. gloria in altissimis Deo,* & *in terra pax, hominibus bona uoluntas. Et factum est, ut discesserunt angeli ab eis in cœlum, & homines illi pastores loquebantur inter sese. transeamus iam Bethlehem usque, & uideamus hoc, quod accidit, quod Dominus aperuit nobis. & uenerunt festinantes, & inuenerunt* Ma*riam, & Ioseph, & infantem positum in præsepi. cum uidissent autem, diuulgauerunt de uerbo, quod dictum erat ipsis de puero hoc. & omnes, qui audierunt, mirati sunt de iis, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Maria autem conseruabat omnia uerba hæc, *conferens in corde suo. & reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes* Deum *super omnibus, quæ audierant, & uiderant, ita ut dictum fuerat ipsis.*] Audiſtis admirandam hiſtoriam, ac tantæ maieſtatis, ut ipſos etiam angelos, ac cœleſtes illas & purgatiſsimas mentes ad lętitiam, & noſtro generi gratulandum inuitauerit? ſed vt totam hodie pertractemus, ratio temporis non patitur. quare ſatis erit in præſenti in una duntaxat illius parte immorari, atque adorandum hoc præſepe inuiſere. dicamus ergo

ibidem. & nos cum beatis illis paſtoribus. [*tranſeamus* Bethlehem *uſque.*] id eſt, domum panis, illius inquam panis, qui è cœlo deſcen-

ibidem. dit, [*& uideamus hoc uerbum, quod factum eſt, & Dominus oſten*

Pſ. 117. *dit nobis.*] *à Domino enim* (nam ab alio fieri res tanta non potuit) *factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*] quid enim fieri aliud mirabilius poteſt, quàm ut is, qui omnium eſt auctor, & & creator, & conſeruator, præſepis anguſtiis concludatur? Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethlehem Iudææ, & naſcitur

in ſtabulo,

ita expectent cœlestibus frui mysterijs, vt idiotæ non desperent, modo integram, atque à peccatis liberam agere vitam velint, suam etiam sibi partem esse reseruatam. quare nullum hominum genus, nisi sua culpa, harum diuitiarum, ac thesaurorum erit expers, quando ideo propositi sunt, vt omnis sexus, omnis ętas, omnes artes honestæ, ac facultates, eorum esse participes possint. ob hanc enim causam Dei filius, non solum homo fieri, sed nouissimus (ut dixit Esaias) tenuissimusque omnium hominum uoluit, ut fidem faceret, nullius quamuis abiectam sortem, a se esse reijciendam. Iesus Christus filius Dei nascitur in stabulo, & in præsepi collocatur. videtur mihi, fieri nullo modo posse, ut, qui hanc philosophiam intimis sensibus perceperit, eamque ex animo fuerit amplexatus, amare diuitias, & ambire honores possit. si enim credimus Iesum Christum esse Dei filium, sapientiam patris, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sint, qui non solum redemptor, verum etiam vitę magister sit datus generi nostro, & melioris vitæ dux, profectò habere pro certo debemus, omnia, quæcunque ille vel fecit, vel elegit, omnibus numeris esse absoluta, quæ autem reiecit, eadem & nobis, vt inutilia, & damnosa etiam, esse reijcienda. at cum ita humiliter nasci voluerit, eandemque humilitatem per totam vitam seruauerit, diuitias verò & honores recusauerit, significatio fit, eam uitam, quam ipse elegerit, esse potiorem. quod si ita est, quę est hęc absurditas, vt, qui à Christo cognomen accepit, diuersa, atque adeo contraria illi via ingrediatur? ij ergo, qui id agunt, facile arguuntur, se solo nomine, non seriò atque intimis affectibus Christianam philosophiam profiteri, à qua factis ipsis maximè abhorreant. [*uulpes* (inquit) *foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet,*] & eius sectatores audebunt optare diuitias? cum esset diues, nempe Dominus omnium, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate ueris opibus ditaremur, & homo Christianus ijs diuitijs, quas ipse salutis hominum gratia recusauit, affici patietur? contra potius faciendum esset, atque ad earum appellationem exhorrescendum, fugiendumque tanquam à conspecto angue, atque utendum opibus esset, non ueluti re expetenda, sed tanquam pharmaco ac medicamento aliquo, quibus

Esa. 53.
Col. 2.
Mat. 8.
Luc. 9.
2. *Co.* 8.

bus homines non ad satietatem utuntur, sed quàm possunt minimum accipiunt, & quantum ad uel conseruandam, uel recuperandam sanitatem satis esse, fuerit à medicis iudicatum. sic diuitiarum usus, ac necessitas non definienda esset à nobis, sed prudentioris alicuius ac spiritualis uiri iudicio metienda. uerum diuersa ratione hic spiritualis medici iudicio utimini, quàm in corporeis medicamentis. in illis enim si uestro arbitrio res permitteretur, minus acciperetis, quàm medicinæ ratio requireret. hic uerò contra, si uobis iudicandum relinquatur, eam summam uobis usurpatis, quæ uos obruere potius, quam iuuare consueuerit. Hæc & alia, quæ ad Christianam uitam, & honestos mores pertinent, facile pręstabimus, si cogitemus, quantum Deo debeamus in hoc dati filii sui unigeniti munere, & grati esse discamus. nihil enim minus Christianum hominem decet, quàm ingratitudo; in quo uitio etiam ethnici fatentur nihil non inesse mali. & profectò gratiores erant ethnici, siquid annotatu dignum discebant, quàm maxima Christianorum pars. quicunque enim ex eis aliquid se profecisse ex Socraticis dogmatibus arbitrabantur, gratias agebant & Socrati & Socraticis uiris, aiebantque, se nunquam eis referre gratiam posse. cum uerò nostra dogmata eius sint generis, ut omnis ethnicorum philosophia, si cum nostra conferatur, res sit admodum humilis, ac pene fabulosa, quę agendę nobis quotidie gratiæ essent Deo, qui tam ingentibus thesauris nos ditauerit? quos thesauros cum prophetæ, & Diuini uiri spiritu sancto reuelante multis ante seculis pręuiderent, miros induebant affectus. nunc enim celera-
Esa. 64. re optabant hunc aduentum, dicebantque. [*utinam dirumperes cœlos, & descenderes,*] nunc intuiti huius philosophiæ celsitu-
Esa. 2. dinem, metaphoricè eam describebant his uerbis. [*erit mons domus Domini in uertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.*] quo munere ne Iudæi destituerentur, quasi pręsagirent, quod postea factum est, cum cęteris credentibus ipsi in incredulitatem inciderunt, inuitabant suos, & adhorta-
ibidem. bantur dicentes.] *uenite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius.*] interdum contemplabantur lucis magnitudinem, quam allatura erat Euangelica prædicatio, & quasi res iam adesset,

in stabulo, ac in præsepi collocatur. hic est, qui [*in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat hoc uerbum,*] per quod omnia facta sunt, & hoc uerbum caro factum est, & inter nos fixit tabernaculum, & fascijs inuolutum est, ac repositum in præsepi. is, qui in tantam celsitudinem euectus est, ut in nomine eius [*omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum,*] ita se pro nobis deiecit, ut stabulum & præsepe suę natiuitati non esse indignum domicilium iudicauerit. In ipsis initijs pręstitit Dominus, quod ipse de se, cum humilitatem, atque animi submissionem commendaret, dixit. [*discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde.*] & sanè mirum est, homines tantum tanti Dei exemplum non imitari, atque adeo ab eo tam esse auersos, ut nihil magis uideantur perhorrescere. filius Dei Deus factis ipsis, non uerbis solum, ostendit, quanti humilitas sit facienda, demittens se non solum ad humanæ naturæ infirmitatem, verum etiam infra omnium hominum humillimam fortunam, & nos puluis, ac cinis possumus insolescere. O' stultitiam, ò temeritatem non ferendam. non uenit saltem nobis in mentem illius moris, qui hominibus esse familiaris solet? ut scilicet principum, quibus subiecti sunt, facta, ac mores studeant æmulari, non solum vt eis placeant, sed etiam propterea, quòd hęc principum imitatio gloriam secum quandam affert. tantique hoc à plerisque fit, vt vitia interdum non inglorium esse censeant imitari. cur ergo idem in diuino hoc exemplo non præstamus? cur, si non ob eam causam, ut tam benefico regi rem gratam faciamus, non saltem ambitione, & glorię appetitione ad amplexandam humilitatem rapimur, vt gloriari possimus, nos ipsius filij Dei factos esse imitatores? Solent item homines plurimi facere, sicui rex aliquis, ac princeps sua suęque domus insignia ferenda det. at hoc æterni regis Christi est insigne præcipuum, sese tam uehementer demisisse, quemadmodum ait Paulus. [*qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semet ipsum, in similitudine hominum factus, & forma inuentus ut homo.*] quòd si uilitas hęc, tantaque submissio nos ad eum imitandum reddit inertiores, cur non erigat, atque inflammet, quod sequitur? [*propter quod & Deus extulit illum in summam sublimitatem, & donauit illi nomen, quod*

Ioa. 1.

Phil. 2.

Mat. 11.

Phil. 2.

ibidem.

set, clamabant. [*populus, qui sedebat in tenebris uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*] & rursus. [*surge illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria* Do*mini super te orta est.*] interdum oculos referebant ad ingentem eorum numerum, qui crediturí ex toto orbe essent, & ecclesiæ gratulabantur in hæc uerba. [*exulta sterilis, quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habebat uirum, dicit* Dominus. *dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit.*] & alio loco. [*adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ. angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem. & dices in corde tuo. quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? ego destituta & sola, & isti ubi hic erant?*] Cernis quàm miris affectibus mouebantur sancti illi uiri, dum ea expectarent, quæ nunc impleta in nobis sunt? qui cum esse deberemus multò illis alacriores ad hęc tractanda, & commemoranda, sumus tamen inertissimi. hæc sunt illa bona, quæ Dominus suos auditores admonebat, cum diceret. [*beati oculi, qui uident, quæ uos uidetis. amen dico uobis, multi reges & prophetæ uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ uos auditis, & non audierunt.*] hæc eadem sunt, ob quę gratias agebat patri. [*confiteor* (inquiens) *tibi pater Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*] quare agnoscamus bona nostra, & in cœlestibus hisce donis discamus deliciari. his quæso assuescite, & filios uestros docete assuescere. adite frequentius hoc adorandum pręsepe, ubi omnia uobis arridebunt, nihilque in eo reperietis terribile, aut pertimescendum, infans est, ut metuendum non sit, ne seuerioribus uos increpet uerbis. fascijs est obuolutus, ut tutò adire liceat sine ullo verberum metu, quibus peccata nostra digna sunt. in stabulo ac præsepi iacet, ne uos magnifica palatia, & eorum splendor ab ingressu deterreant. date nunc operam, ut in eius amicitiam ac familiaritatem ueniatis, ante quàm ueniat tempus, cum ante illius tribunal estis statuendi, cum in peccatores seuerissima

Esa. 9. Esa. 60. Esa. 54. Esa. 49. Luc. 10. Mat. 11. Mat. 25 Luc. 13.

Mat.25. illa uerba est pronuntiaturus, [*ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.*] & quam ob causam? quia neglexerint exercere erga pauperes misericordiam. illud tempuponendum ante oculos est, cum immanes dotes paratis, ut filię uestræ locentur nobilioribus ac ditioribus, cum pretiosas uestes quæritis, cum in nuptiales cœnas tantam pecunię summam impenditis, cum in his uere Bacchanalibus nihil aliud, quàm prandia, & cœnas, & luxum cogitatis, quæ omnia impedimento sunt, quò minus de alendis pauperibus Christi fratribus sitis solliciti. quòd si identidem iudicium illud animo uersaretis, præsertim quoties opes uestras in hisce inutilibus rebus ac damnosis profunditis, abstineretis ab hac insania, atque ita fieret, ut & modestius uiueretis, quemadmodum Euangelicæ uos leges docent, & nunquam deesset, quo egenos & pauperes iuuaretis, qui nunc miserrimam uitam agunt ob eam unam causam, quòd nulla habita illorum ratione, uestras duntaxat appetitiones sectamini, quas non ratio, sed caro, & mundus, & stulta erroris opinio suggerunt. quòd ut omnes pręstemus, huius imploremus opem,
Esa.9. qui [*puer natus est nobis, & filius datus est nobis,*] qui & idem est uerus Deus, cui cum patre & spiritu sancto est gloria, & magnificentia & potestas & imperium, & nunc & in omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

Errata, quòd & pauca, & parui momenti (ea usi fuimus diligentia) esse confidimus, legentium iudicio corrigenda reliquimus.

VENETIIS, Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXVII.


NISI QV LEGITIME CERTAVERIT